

VI.
86

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA

UBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non ſolùm ad Hiſtoriam, ſed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

TOMUS SEXTUS

Complectens Sæculum Eccleſiæ Decimum Quintum.

AUCTORE

FR. IGNATIO HIACYNTHO
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. Fratrum Præd.

ROMÆ MDCCXX.
Ex Typographia Tinaſſii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

NOS FR. ANGELUS GULIELMUS
MOLUS

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Vicarius & Procurator Generalis ſalutem.

TEnore præſentium noſtrique auctoritate Officii licentiam facimus Reverendo admodum Patri Fratri *Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon* in Sacra Facultate Pariſienſi Doctori ac in Collegio Caſanatenſi Conventus Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ noſtræ Provinciæ Alumno, typis edendi Opus in plures Tomos diſtributum, cui titulus eſt: *Hiſtoria Eccleſiaſtica variis Colloquiis digeſta, &c.* dummodò prius approbatum fuerit à duobus Ordinis noſtri in Theologia Magiſtris, & aliis ſervatis de jure ſervandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 2. Aprilis 1720.

FR. ANTONIUS GULIELMUS MOLUS
Vic. & Proc. Generalis Ordinis.

Loco ✝ Sigilli.

Fr. Bernardus d'Arcet Magiſter, & Socius.

Regiſtr. fol. 82.

EPISTOLA AMICI

Clerici Regularis Scholarum Piarum
S. Pantaleonis de Urbe

AD AVTHOREM,

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOREM,

Et Collegii Caſanatenſis Theologum.

IN variis homines juratos Artibus annos
Abſoluūt:ſunt qui lunares nocte labores
Aſpiciant ſævi metuentes omina Cœli,
Vanarumque Orbem quatiant terrore minarum.
Sunt qui res Scriptis memorent, quas turba Deorum
Geſſerit in Latio;quæ Marti templa decoro,
Quæ Floræ, & Veneri ſurgebant marmore; quanto
Tibridis Vrbs ſtrepitu reſonabat, cùm Saliorum
Stulta cohors terram pede percutiebat inani.
At nil ſuavius eſt, quàm docta volumina Sacris
Implere Hiſtoriis; quid enim ſermone prophano
Indiget hæc ætas in terram curva,nimiſque
Ver-

Vergente in Vitium Naturâ cerea flecti.
Propterea tua Scripta tubis, Vir maxime, fama
Ultima Tyrreni feret ultrà littora ponti,
Cùm res Divinas, & Sancta negotia Sedis
Romanæ Populis memorent celebranda futuris.
Poſteritas etenìm in ſtudium propenſa videbit,
Vecta triumphali quotiès Capitolia curru
Relligio aſcendit victrix ſpolia inter & arma;
Res tot Sæclorum mirabitur ordine recto
Deſcriptas: quis enim tot poſſet tempora ſolus
Amplecti, & Veteris Latii Sermonibus uti,
Hìc, ubi barbara lingua ſagaces verberat aures?
Ergò tibi meritos porrexit Gallia honores,
In primâ cùm te ſapientum Sede locavit,
Et Sacram Capiti dedit, aptavitque coronam.
Prætereà tua laus ſit major, dum ſtudiorum
Heroi egregio rationem providus offers,
Palladis Auſoniç qui Sacras protegit Ædes;
Ille etenim centum effigies diſponit avorum
Porticibus, qui purpureo velamine fulgent,
Aut Romam, & terras divinâ lege coercent;
Nam quæ progenies tot jactat ſigna, viroſque

Præclaros, quot Gens Burgheſia? majus in Urbe
Nil hâc gente vident Populi, Martiſque Nepotes.
Ergò animum ſtudiis agita, mentemque labore
Gallorum decus eximium, tibi Pallas amica,
Mæcenaſque favet longinquis notus ab Indis.

AP-

APPROBATIO.

SExtum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomum, à ſpectatiſſimo viro Fr. *Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo conſcriptum, Jubente Rm̃o Patre *Fr. Gulielmo Molo*, totius Ordinis FF. Prædicatorum Vicario, & Procuratore Generali, maximâ animi cum voluptate legi, perlegique. De cujus præſtantiſſimo Auctore, hoc candidum certè Judicium ferre nullus dubito: partes ſcilicèt ipſe omnes præcellentiſſimi Hiſtorici cumulatiſſimè explevit. Genus ſcribendi ejus doctum, nitidum, terſum, preſſumque. Rerum ipſarum ſedulus ſcrutator, ſeverus Iudex, ab affectibus immunis: nihil enim temerè, ſed omnia neceſſariis argumentis confirmat. Iàm verò, quid Collegæ noſtri, mihique multis nominibus chariſſimi, ſummam prudentiam, quid reconditam eruditionem, quid cæteras, quibus excellit, virtutes commemorem perſequarque. Uno verbo totum ipſius elogium complectar. Decimi Quinti Eccleſiæ Sæculi Hiſtoriam contexuit non minori gravitate, ſtylique elegantiâ, quàm integritate, & eventuum narratione fideli, quę cultiſſimo cuilibet ingenio, quantum admirationis ſit allatura, intelliget ſanè, quiſquis eam haud perfunctoriè lectitabit. Quamobrem, cùm Opus iſtud, nihil aliundè cōtineat, quod Fidei, aut bonis moribus non ſit conſentaneum, ut publici quantocyùs juris fiat, dignum omninò eſſe cenſeo. Datum Romæ, in Conventu S. Marię ſuper Minervam, die III. Aprilis, Anni 1720.

Fr. Patricius Plonket Ordinis Prædicatorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus.

AP-

APPROBATIO.

BEnè habet, jam Vir Cl. *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, Ordinis Prædicatorum, quatuordecim emenſus eſt Sæcula ſtylo eleganti, terſo, polito, facili, & claro elaborata. In præſenti ſolitæ inhærens methodo ſex Colloquiis abſolvit Hiſtoriam Sæculi decimi quinti, quam commendare lubens abſtineo; brevi, Deo fortunante, poſtrema duo Sæcula editurus, ſicque coronidem impoſiturus Operi arduo, egregio, & perutili, cujus laudes multis jam pridem celebratas ſi perſequi velim, actum agere videar. Quid aliud reliquum eſt, quàm ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſos, maximè verò Theologiæ Candidatos, quorum in gratiam ſcribere ſe profitetur Author, non minùs ſingulari modeſtia, quàm ſummâ eruditione conſpicuus, etiam atque etiam adhorter, ut Opus hoc aureum diligenter & accuratè pervolutent, in eoque immorentur, haud immemores præclari Moniti, quod habet Seneca Epiſtolâ ſecundâ: *illud vide ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum, & inſtabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat.* Cæterùm, tomus iſte ſextus decimi quinti Eccleſiæ Sæculi complectens Hiſtoriam, nil habet quod ejus editionem remorari poſſe videatur, immò, nullus dubito, quin hoc volumen ſextum magnam præſtantiſſimo Concinnatori famam apud æquos rerum æſti-

æſtimatores conciliet. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Calendis Aprilis anno 1720.

Fr. Antonius Bardon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, Catedraticus Caſanatenſis, Ordinis Prædicatorum.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

T. Epiſcopus Heracliæ Vicesgerens.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO.

REVERENDI ADMODUM PATRIS
LEONIS A' S. FELICE

Carmelitæ Diſcalceati, Sacræ Theologiæ Prælectoris, & Definitoris Provincialis.

SÆculi Decimi Quinti Hiſtoriam Eccleſiaſticam novâ Methodo, Methodicâ claritate, clarâ eloquentiâ, eloquentiori profunditate, profundiori eruditione, eruditiori veritate, Veriſſimâ, ingenioſiſſimâ, ac Doctiſſimâ ſubtilitate Ideatam, delineatam, adamuſſimque exaratam *ab Admodum Rev. P. Magiſtro Ignatio Hiacintho Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. Prædicat. de Mandato Rm̃i P. Fr. *Gregorii Selleri* Sacr. Apoſt. Palat. Magiſtri, maximâ animi jucunditate revolvi; atque ex Auctoris Nomine Omen, ex Omine, ſi (*a*) *Doctrina ſua noſcitur vir*, illicò percepi hominem (*b*): Qui elevans ſe ſupra ſe, *ineptas, & aniles fabulas devitando, ac Doctrinam ſenum auferendo, protulit de Theſauro* (*c*) Omniſciæ ſuæ mentis *nova, & vetera* (*d*): A Sæculo ſiquidem, & uſque in Sæculum *conſiderans Multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes Hiſtoriarum propter multitudinem rerum*, per (*e*) Sæcula aptare, diſponere, ac Sapientiſſimè redigere *cura-*

(a) *Proverb.* 8. (b) 1. *ad Timot. cap.* 4.
(c) *Iob.* 12. (d) *Matth.* 13. (e) 2. *Maccab. cap.* 2.

ravit, volentibus quidem legere, ut eſſet animi oblectatio, Studioſis verò ut facilius poſſint memoriæ commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Orbi ergo Litterario Illuceſcat, ut etiam ab Hiſtoriæ (*f*) *veritate auditum avertentes, & ad fabulas convertentes* illuminet, ac *ſemitam Sæculorum cuſtodire cupientibus* in Hiſtoriis (*g*), oſtendat viam bonam, per quam ambulent ne ad falſitatis *lapidem offendant pedem ſuum*. (*h*) Ita judicare minimè dubitavi, dum Heterodoxum omne deteſtatur, & Impugnat acriter, Orthodoxum Dogma amplectitur, & propugnat feliciter. Datum Romæ in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria 12. Ianuarii 1720.

(f) 2. *ad Timot. cap.* 2. (g) *Job.* 22.
(h) *Pſalm.* 90.

Fr. Leo à S. Felice Carmel. Diſcalceat. Sacræ Theol. Prælector, & Definitor Provincialis.

IMPRIMATVR,

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

INDEX
COLLOQUIORUM
Quæ in ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomo continentur.

COLLOQUIUM I.

IN quo deſcribitur ſtatus Eccleſiæ ſub Imperatoribus Orientis & Occidentis, & ſub aliis Orbis Chriſtiani Principibus Sæculi XV. pag. 5.

COLLOQUIUM II.

In quo texitur ſeries Epiſcoporum, qui illuſtriores Eccleſiæ Sedes, Romanam præſertim & Conſtantinopolitanam, Sæculo XV. tenuerunt. pag. 85.

COLLOQUIUM III.

In quo recenſentur Hæreſes & Controverſiæ, quæ Sæculo XV. Eccleſiam exagitarunt. pag. 162.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis tùm Oecumenicis, tùm Natio-

na-

nalibus, ſeu Provincialibus, in quibus Sæculo Eccleſiæ XV. profligatæ ſunt Hæreſes, extincta Schiſmata, & reſtaurata Eccleſiæ Diſciplina. pag.241.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illuſtribus, qui Sæculo XV. tàm in Oriente, quàm in Occidente, Doctrina, Vitæque Sanctimonia floruerunt. pag.341.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Diſciplina tàm Eccleſiaſtica, quàm Monaſtica, & Ethica Criſtiana Sæculi XV. pag.437.

MEN-

M E N D A,

Quæ irrepſerunt in Editionem hujus Tomi ſexti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

MENDA			CORRIGE.
Pag.	Lin.		
10.	28.	ſuum	ſuam
28.	8.	*Theodorus*	*Theodoricus*
80.	21.	quadringenteſimo	quingenteſimo
80.	32.	Colloquo	Colloquio
88.	29.	conterſerit	contorſerit
113.	6.	pertitisſimus	peritisſimus
190.	13.	libri 2.	libri XI.
233.	26.	*Haredoxi*	*Heterodoxi*
238.	14.	ſalvo conducto	ſalvo conductu
260.	25.	*Jo:vigeſimi tertii*	*Jo:vigeſimus tertius*
368.	18.	MCCCCXVIII.	MCCCCXCVIII.
414.	30.	MCCCCCIV.	MCCCCXLIV.
459.	lin.ult.	nnuere	innuere

HI-

HISTORIA
DECIMIQUINTI
ECCLESIÆ SÆCULI
Variis Colloquiis digeſta.

HISTORIA decimi quinti Sæculi varios ac memorabiles complectitur eventus, quos dùm Eccleſiaſtici Scriptores referunt, nunc lugentem exhibent Eccleſiam lethali Hæreſum, & diuturni Occidentalis Schiſmatis vulnere petitam, nunc eam lauro coronatam de Hæreſibus triumphantem, &, extincto funeſto illo Schiſmate, ſub uno tandem Capite in terris viſibili, Romano videlicet Pontifice, felicitèr adunatam depingunt, maximiſque laudibus extollunt ſummam vigilantiam Romanorum Pontificum, & zelum Sanctiſſimorum Antiſtitum, qui bellum id ætatis enatis Hæreſibus, flagitiis, improbitati, lapſis in deteriora moribus indixerunt, collapſam Eccleſiæ diſciplinam ſeveritate legum, ſeu Sacrorum Canonum, ſanxerunt, veterem Eccleſiæ dignitatem conſtituerunt, & quæ temporum labe obrepſerant vitia emendarunt. Eccleſiam graviſſimis malis Sæ-

culo XV. conflictari permiſit Deus, ut indè illuſtrior, & innumeris decorata palmis glorioſior appareret. Illam quidem exagitarunt *Wicleffiſtæ*, quorum hæreſis ſub finem præcedentis, ſeu Sæculi decimi quarti, jam in Anglia pullulare cœperat. In eam vexillum quoque erexerunt Huſſitæ, aliique nefandi Hæretici, qui Religionem impia novitate, opinionum portentis, & flagitiorum monſtris deformare tentarunt. At illa, potentiſſimo Dei adjuta præſidio, omnes illos hæreticos in perniciem avitæ Religionis conſpirantes exarmavit, & clariſſimos de illis retulit triumphos. Luctuoſa itidem fuit Sæculo ineunte decimo quinto Eccleſiæ Romanæ facies, dùm *Gregorius XII.* & *Benedictus XIII.* Sedem *Petri* eodem ſibi tempore vindicarent. Suos uterque habebat Auctores, Patronoſque maximos ac ſanctiſſimos; hinc inde Provinciæ, Regna, Reges, Doctores, Juriſconſulti, Præſules, Concilia, jura ſtabant. Unum rebus deſperatis, & abolendo Schiſmati præſentiſſimum remedium afferri poſſe videbatur, ſi cederet uterque contendentium, uterque Pontificatum abdicaret. Viſa erat ea ſententia potior inprimis Sacræ Facultati Pariſienſi, cujus tum prudentia ſingularis & fides maximè enituit. Sed cogi poſſe *Benedictus XIII.* negabat, ac ſe Gallorum, & Aragonum, qui eum, ceu legitimum Pontificem, agnoſcebant, opibus ſuſtentans, bellum atrox & inteſtinum fovebat. Inſtabat interim *Sigiſmundus* Imperator Occidentis, & Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Italiam circumcurſabat, ut diſſidentes & convulſas Orbis partes componeret; ſed nihil omninò promovebat. Epiſcopi, qui ad dirum illud tollendum Schiſma Concilium Piſanum

num celebrarunt, nihil profecerunt aliud, niſi ut ad duos Pontifices Maximos tertius adderetur. Tandem, pacem ac concordiam fruſtrà quæſitam à Regibus, Imperatoribus, Juriſconſultis ac Doctoribus, dedit Deus Eccleſiæ magnis hactenùs jactatæ procellis, & graviora mala metuenti, effecitque, ut *Carolus VI.* Galliarum Rex in celeberrimo Præſulum Regni ſui, & Procerum conventu juberet ſuis ſubditis, ut ab obedientia & cauſa *Benedicti XIII.* qui Avenione ſedebat, recederent. Sic *Benedictus XIII.* à Gallia deſtitutus, in ordinem redactus eſt, & brevi poſtea in Concilio Conſtantienſi electo in Romanum Pontificem *Martino V.* vetus ac ferale iſtud Schiſma poſt annos ferè quinquaginta ſuſtulit Deus Optimus Maximus, & ſæviſſimam tempeſtatem in diu optatam tranquillitatem convertit. Hanc communem Fidelium ex iſtius Schiſmatis extinctione profectam lætitiam cumulavit etiam Deus felici illa unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, quæ eodem Sæculo XV. in Concilio Florentino celebrato anno MCCCCXXXIX. cum ingenti plauſu, & feſtivis omnium gratulationibus facta ac promulgata eſt. Sed, proh dolor! hæc unio diuturna non fuit. Captâ namque à *Mahomete II.* Turcarum Imperatore anno MCCCCLIII. Conſtantinopoli, Regiâ Græcorum urbe, pulſi ſunt Græci, vel qui remanſerunt, durum Barbarorum jugum ſubierunt, & à Latinis perpetuò deinceps Schiſmate fuerunt ſeparati. Hæc tamen Imperii Græcorum ruina, ita diſponente Deo, ceſſit in maximam Eccleſiæ Latinæ utilitatem. Græcorum quippè doctiſſimi à Barbaris patriâ pulſi, *Theodorus Gaza*, *Argyropulus*, *Georgius Trapezuntius*, *Beſſario*, aliique

aliique plurimi in Italiam venêre, ut inde barbariem, ac ſubinde è Germania, & è Gallia expellerent. Excepti fuerunt ſummâ humanitate, & liberaliſſimè habiti à Pontificibus Romanis, & à Principibus Italiæ, maxime à *Medicæis* & à *Valeſiis* Regibus Galliæ; humaniores litteras, & præcipuè Græcas, docuerunt cum ſummo applauſu, cum incredibili frequentia & fructu auditorum, atque ex eorum Scholis prodierunt innumeri viri, ingenio, eruditione & eloquentiâ præſtantiſſimi, quorum alii ad Epiſcopales Infulas, alii ad Purpuram, alii ad Pontificiam dignitatem evecti, de tota Eccleſia, quà libris editis, quà confutatis Hæreſibus, quà ſancitâ in Conciliis Eccleſiaſticâ Diſciplinâ, optimè meriti ſunt, nomenque ſuum ſeræ poſteritati conſecrarunt. De variis illis eventibus, qui Sæculo XV. contigerunt, quosque ſummatim hìc perſtrinxi,ut eos uno ſub aſpectu videre poſſes, copiosè diſſeremus in ſex Colloquiis, quibus Hiſtoriam Sæculi XV. comprehendemus. In primo deſcribemus Statum Eccleſiæ ſub Imperatoribus tàm Orientis, quàm Occidentis,& ſub aliis Orbis Chriſtiani Principibus. In altero texemus ſeriem Epiſcoporum, qui illuſtriores Sedes, Romanam præcipuè, Sæculo XV. tenuerunt. In tertio proferemus Hæreſes & Schiſmata, quibus eodem Sæculo vexata eſt Eccleſia. In quarto agemus de Conciliis tùm Oecumenicis, tùm Nationalibus, ſeu Provincialibus, in quibus vel profligatæ fuerunt hujus Sæculi Hæreſes, vel extincta Schiſmata, vel reſtaurata Eccleſiæ diſciplina. In quinto producemus in medium celebriores Scriptores, qui Sæculo XV. doctrinâ & pietate tàm in Oriente, quàm in Occiden-

dente floruerunt. Ultimum Colloquium erit de Doctrina Fidei, de Diſciplina tùm Eccleſiaſtica, tùm Monaſtica, necnon de Doctrina Morali Sæculi XV.

COLLOQUIUM PRIMUM,

In quo deſcribitur Status Eccleſiæ ſub Imperatoribus Orientis & Occidentis, & ſub aliis Orbis Chriſtiani Principibus Sæculi XV.

DISCIPULUS. QUo loco fuerunt res Eccleſiæ Sæculi decimi quinti ſub Imperatoribus Orientis?

MAGISTER. Peſſimo loco fuerunt res Eccleſiæ Sæculi XV. ſub Imperatoribus Orientis, præſertim poſt captam à Turcis Conſtantinopolim anno MCCCCLIII. quo anno *Mahometes* hujus nominis *II.* abolito penitùs Græcorum Imperio, longè latèque in Oriente Turcarum imperium propagavit. Imperabat in Oriente Sæculo ineunte decimo quinto *Manuel Palæologus*, Græcorum Imperator, qui, ut obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæcul. XIII. & XIV. cùm à *Bajazethe* Turcarum Rege bello premeretur, & numeroſo ipſius exercitui repellendo impar eſſet, totam penè Europam peragravit, ut à Principibus Chriſtianis, potiſſimùm à Gallorum, & Anglorum Regibus, copias auxiliares impetraret, quas tamen ob Anglicos tumultus, Regiſque Chriſtianiſſimi *Caroli VI.* morbum, cùm obtinere haud potuiſſet, rebus infectis

in Orientem rediit, & gratiſſimum in itinere nuntium accepit de ſoluta Conſtantinopolis obſidione à *Bajazethe*, ob *Tamerlanis*, celebris Tartarorum Regis, in Syriam irruptionem, ingentesque Turcarum ſtrages ab illo editas. Obiit *Manuel Palæologus*, Græcorum Imperator, Apoplexiâ correptus anno MCCCCXXV. cùm biduo ante obitum Monaſticam veſtem induiſſet, ſumpto *Matthæi* nomine. Orientis, ſeu Græcorum Imperii hæredem *Manuel Palæologus* filium ſuum reliquit *Joannem Palæologum*, qui omnem curam, operam, & induſtriam contulit ad promovendam Eccleſiæ Græcæ cum Latina unionem, ut indè à Principibus Chriſtianis faciliùs eliceret auxilium ad frangendas Turcicas vires, & ad tutandos jam nutantis Imperii Græcorum fines ſibi omninò neceſſarium. Quamobrem *Joannes Palæologus*, Græcorum Imperator, cum fratre *Demetrio*, ſimulque *Joſephus*, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha, multique Græcorum Epiſcopi, Presbyteri, & Laici nobiles ad littus Venetorum appulerunt; & indè ſolventes Ferrariam versùs ad flumen Padum ſitam navigarunt, quò jam *Eugenius IV.* Concilium in Baſileenſi civitate cœptum tranſtulerat. Sed cùm in civitate Ferrarienſi cœpiſſet paulò poſt graſſari peſtis, neceſſitas Patribus incubuit, indè abſcedendi, eâque de causâ *Eugenius IV.* Pontifex Maximus Synodum Ferrarienſem anno MCCCCXXXIX. tranſtulit Florentiam, primariam Tuſciæ civitatem, quam Arnus præterfluit. In hac Synodo Florentina, cui interfuit *Joannes Palæologus* Græcorum Imperator, feliciter completa eſt, poſt varias hinc indè Græcos inter & Latinos altercationes, unio Eccleſiæ Græcæ cum Latina,
ſicut

ſicut in Colloquio IV. agendo de Florentina Synodo operoſiùs oſtendemus. Felicem profectò *Joannem Palæologum* Græcorum Imperatorem, ſi initam in Concilio Florentino Eccleſiæ Græcæ cum Latina unionem, quam ipſemet ſummo animi ſtudio, magniſque curis & laboribus procuraverat, à ſuis Græcis ſollicitè conſervari ac retineri curaſſet. Tunc enim ab *Eugenio IV.* Summo Pontifice, qui jam profuſâ liberalitate ei ſuppetias contra Turcas tulerat, majora ſubſidia accepiſſet, quibus ferocium Turcarum impetus nullo negotio retudiſſet, & eorum molitiones ac machinationes omnes inanes planè reddidiſſet. At *Joannes Palæologus*, officii ſui immemor, non eam, uti debuerat, ad evertendum Schiſma, ſollicitudinem adhibuit, ſuâque negligentiâ occaſionem dedit *Eugenio IV.* Pontifici Maximo ſuas itidem curas de copiis auxiliaribus deſtinandis remittendi, ut videre eſt in Epiſtolis ejuſdem Pontificis ad *Conſtantinum Palæologum*, *Joannis Palæologi* filium, datis XI. Kalend. Maji anni MCCCCXLI. Vitam protraxit *Joannes Palæologus*, Græcorum Imperator, uſque ad annum MCCCCXLIX. quo mortuus eſt die XXXI. Octobris, ætatis ſuæ LVIII. Imperii XXIV. Mortuo *Joanne Palæologo*, Græcorum Imperium affectavit *Demetrius*, filius *Joannis Palæologi*, ſed ætate junior, & natu minor, dictuſque *Porphyrogenitus*, hoc eſt Imperatore patre natus; hujus tamen *Demetrii* factio compreſſa eſt, & decretum tàm à Græcis, quàm ab *Amurathe* Turcarum Principe, ut *Conſtantinus*, filius natu maximus Joannis Palæologi, anteponeretur *Demetrio* juniori, eique Græcorum deferretur Imperium. Fuit autem iſte *Conſtantinus Palæologus* magni ani-

mi Imperator, & bellicâ fortitudine nulli ſecundus, qui ſæpiùs Turcas fudit, vicit, profligavit, ob idque *Draconis* nomen conſecutus. Ad eum graviſſimas litteras ſcripſit *Nicolaus V.* ſucceſſor *Eugenii IV.* ut ipſum hortaretur ad Concilii Florentini Decreta promulganda, ſanctæque unionis conſummandum opus, quod ſi exequi renueret, & Schiſma penitùs non aboleret, Conſtantinopolis expugnationem, totiuſque Imperii excidium ei infra triennium à Deo eſt interminatus. Veritatem hujus Pontificiæ comminationis, heu nimium! comprobavit eventus. Anno ſiquidem milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio *Mahometes* hujus nominis *II.* Turcarum Princeps, Conſtantinopolim validiſſimâ obſidione oppreſſam poſt quinquaginta quatuor dies cepit, & invaſit numero potiùs militum, quàm virtute expugnatàm. Captâ civitate, ipſe quoque Imperator *Conſtantinus*, dum acriter pugnat, vulneratus, & à trepida multitudine abreptus, ad portas urbis ad fugam tractus eſt, ubi fugientium impetu conculcatus & obtritus fuit. Agnito per paludamentum cadavere, abſciſſum eſt ipſi caput, paloque affixum per Barbarorum caſtra ad terrorem Chriſtianorum circumlatum eſt. Dein, Barbari civitate potiti innumera impietatis, & crudelitatis ediderunt monimenta; quæ non tam verbis exprimi, quàm ſanguineis lachrymis deplorari debent.

Sacroſanctum Corpus & Sanguinem Chriſti Domini in terram projecerunt, Crucifixi imagini impiè inſultarunt, eamque ſputo, luto, ſordibus inquinarunt, cæteras Sanctorum Imagines aut confregerunt, aut combuſſerunt; Sacras Reliquias cani-

nibus ac ſuibus objecerunt; Templa prophanarunt, vaſa diripuerunt, Altaria deſtruxerunt, Virgines ſacras conſtuprarunt, adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt, Viros Eccleſiaſticos ac Monachos, cæterosque omnis generis, ſexus, ætatis homines ignominiosè traxerunt, vendiderunt, aut crudelem in eos carnificinam exercuerunt; theſauros omnes abſtulerunt, nec Auguſtalibus ſepulchris parcentes, ea ſuffoderunt, cadavera diſſiparunt, ut inde aurea ornamenta auferre poſſent. Hæc fuit horrenda Urbis Conſtantinopolitanæ calamitas, & Græcorum Imperii ruina, quæ tamen fuit juſta Dei animadverſio in Græcos, in ſui Schiſmatis defenſione obduratos. Inde enim totius origo mali, ad quod curandum, quantùm egerint Romani Pontifices conſiliis, litteris, legationibus, hortationibus, comminationibus, precibus, expenſis, auxiliis; arguentes, obſecrantes, increpantes, inſtantes opportunè importunè, nihil denique omittentes, quò poſſent eos in viam veritatis reducere, ſatis in præcedentibus Colloquiis commonſtravimus. Sed ſurdis cecinerunt Romani Pontifices, & cuncti eorum conatus apud obſtinatiſſimam illam, & ad relapſum proniſſimam gentem ad nihilum reciderunt: uno verbo, perire voluerunt Græci, & quantò plus Turcæ eos provinciis & urbibus ſpoliabant, tantò acriùs & animoſiùs inter ſe digladiabantur, ita videbantur dolere de tarditate ſuæ ruinæ, quæ tandem contigit, Deo ita permittente, & Græcos his verbis, quæ leguntur Proverbiorum capite primo, increpante: *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis;*

Ego

Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis, id quod timebatis, advenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc invocabunt me & non exaudiam, manè conſurgent & non invenient me.

Sunt nonnulli Scriptores, qui teſtantur, Conſtantinopolim à Turcis captam fuiſſe an. MCCCCLII. die ipsâ Pentecoſtes Spiritui Sancto ſacrâ, idque occulto Dei judicio factum eſſe putant, eò quòd Græci à fide Spiritus Sancti à Patre, Filioque procedentis ſæpiùs receſſiſſent. Verùm, quamvis hæc ſententia aliquos haud ignobiles nacta ſit patronos, optimè tamen monet *Spondanus* ad ann. MCCCCLIII. communem eſſe antiquorum opinionem, Conſtantinopolim à Turcis captam eſſe anno MCCCCLIII. die XXIX. menſis Maji, in quam diem prædicti anni non incidit Pentecoſtes, ſed incidit in diem XX. menſis Maji anni MCCCCLIII. Cùm igitur die vigeſimâ nonâ menſis Maji ejuſdem anni MCCCCLIII. contigerit expugnatio Urbis Conſtantinopolitanæ, ſequitur Conſtantinopolim captam fuiſſe biduo poſt Octavam Pentecoſtes, & non ipsâ die Pentecoſtes, ſicut modernis illis Scriptoribus, qui myſteria quærunt, de quibus philoſophari poſſint, perperàm viſum eſt. Et ſanè, quamvis præcipua cauſa malorum & miſeriarum, quibus tandem oppreſſi ſunt Græci, ſuum ex Schiſmate ab Eccleſia Romana, & Hæreſi de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre originem habuerit, nullis tamen diebus alligatus eſt Deus ad faciendam vindictam in nationibus, cùm habeat ipſius providentia ſuos numeros, & terminos, quibus res convenientiùs peragat, quàm

quàm quod homines cogitare, aut philoſophari poſſunt.

D. *Conſtantinus* ille *Palæologus*, Græcorum Imperator, qui, ut mox obſervaſti, in excidio urbis Conſtantinopolitanæ periit, reliquitne aliquos ſuperſtites liberos, qui proſtratum Græcorum Imperium erigere, armisque recuperare poſſent?

M. *Conſtantinus Palæologus*, ultimus Græcorum Imperator, duas quidem uxores habuit, ſed nullos ex illis liberos procreavit, ſicut oſtendit *Carolus Du Freſne Dominus Du Cange* in Hiſtoria Byzantina pag.246. ubi erroris arguit Scriptores aliquot, *Monſtrelletum* ſcilicet, qui *Amurathem* uxori *Conſtantini* in ipſa æde Sophiana ſtuprum intuliſſe, hancque in Serajo incluſiſſe Sultanum *Mahumetem* commemorat: *Crucium* etiam ſcribentem, uxorem *Conſtantini Palæologi*, ejusque liberos coram Sultano ad menſam prandente truncatos: *Theodorum* quoque *Zygomalam* aſſerentem, filios *Conſtantini Palæologi*, pridiè quàm Urbs Conſtantinopolis caperetur, divinis munitos Sacramentis, juſſu *Conſtantini Palæologi* morti traditos fuiſſe, ne in Barbarorum manus inciderent: denique *Æneam Sylvium*, qui Epiſtolâ CLXII. ait, *Conſtantini Palæologi* filium, captâ à Turcis urbe Conſtantinopoli, *Peram* confugiſſe, ibique à Turcis obſidione cinctum. Quæ quidem omnia, ut à veritate Hiſtoriæ penitùs aliena jure merito rejiciuntur à *Carolo Du Freſne*, & tanquam futilia confutantur ab *Allatio*, viro doctiſſimo, libro I. *de Eccleſ. Orient. & Occid. conſenſu*. Nullos itaque liberos cùm procreaſſet *Conſtantinus Palæologus*, ultimus Græcorum Imperator, in ipſo ſemel mortuo defecit omninò Chriſtianorum

Orien-

Orientis Imperium, &, ut omnes memorant, atque obſervatione dignum cenſent Scriptores, ſicut Occidentale Imperium ab *Auguſto* inchoatum in *Auguſtulo* deſierat, ita Orientale Imperium à *Conſtantino Magno* inſtitutum, ſub altero *Conſtantino* everſum eſt anno MCCCCLIII. Fuit autem Imperium Orientis à *Conſtantino Magno* inſtitutum an. CCCXXX. ac ſubindè duravit annos mille centum & viginti tres annos. Hujus Imperii non exigua eſt amplitudo. Comprehendit quippè duas integras Imperii Romani Diœceſes Illyrici nempè & Orientis, quarum nomine continebantur Macedonia, Dacia, Oriens in ſpecie ſic dicta, Ægyptus, Aſia, Pontus, & Thracia, quas ſimul cum inferioribus earum Provinciis enarratas habes apud *Pancirollum* in Notitia Imperii Orientalis. Vide etiam Anonymum *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr.& Civ.cap.*10.*De Imperio Turcico*, ubi Catalogum exhibet omnium Hiſtoricorum, qui de utroque hoc Imperio aliquid litteris prodiderunt.

D. Cùm Turcæ, captâ urbe Conſtantinopoli anno MCCCCLIII. Orientis Imperium invaſerint, illudque armis longè latèque propagaverint, neceſſe eſt ut breviter hìc attexas ſeriem Imperatorum, quos Sæculo XV. Turcæ in Oriente habuerunt.

M. Ut ea, quæ de Turcarum Imperatoribus dicturus ſum, faciliùs percipere poſſis, in memoriam revocare debes omnia, quæ jam in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæcul.XIII. & XIV. obſervavimus de Turcarum Origine, de *Bajazethis* eorum Regis victoriis, de ejus clade & calamitatibus à *Tamerlane* Tartarorum Rege ei illatis, ac poſtremò

de

de illius morte, quam ſibi, inſtar feræ, caveâ incluſo, & ad ludibrium ab eodem *Tamerlane* hàc illàc circumducto conſcivit anno MCCCCI. Hunc in modum è vivis ſublato *Bajazethi* Turcarum Regi quinque ſuperſtites manſerunt filii, qui totis duodecim annis mutuam in cædem ſemper armati, de Regno Patris acerrimè diſceptarunt, illud fœdè dilacerantes; Aſiamque & Europam cruentis præliis infeſtantes. Tandem anno MCCCCXIV. unus è digladiantibus *Bajazethis* filiis, dictus *Mahometes*, Principis Tryballorum & Thraciæ, Ducumque ad ipſum deficientium auxiliis adjutus, Turcico Imperio potitus eſt. Hic *Mahometes* Turcarum Rex, vir bellicoſus fuit, ut videre eſt apud *Leunclavium* in Hiſtoria Muſulmana, & in Annalibus Turcicis. Pacem pepigit cum Græcis, ſed bello laceſſivit Venetos propter regionem, quæ Jonium ſpectat, debellatâ tamen Turcarum Claſſe à Venetis, qui tredecim Barbarorum naves commiſſo prælio ceperant, pacem cum illis inire coactus eſt: Dein, cum Caramaniæ Principe pugnavit, eumque in Pruſiam cum exercitu irrumpentem debellavit, ſuamque in poteſtatem redegit, quem tamen libertati reſtitutum ac muneribus cohoneſtatum in ſuam Provinciam remiſit, poſtquam ab eodem Caramaniæ Principe trium Oppidorum & unius Caſtri deditionem accepiſſet. *Iſmaeli*, Sinopæ Principi, bellum denuntiavit *Mahometes*, eumque ad pacem Tributi penſitatione redimendam adegit. Walachos itidem bello aggreſſus, ad Danubium Caſtra locavit, ipſiſque Tributum imperavit. Sedem Imperii ſui Pruſâ Bithyniæ, ubi Majores ejus habuerant; Adrianopolim, nobilem Thraciæ civitatem, tranſtulit, recuperatis

ratis

ratis in Aſia iis, quæ *Tamerlanes*, Tartarorum Rex, patri ejus *Bajazethi* armis ademerat. Obiit Mahometes in Regia Urbe Adrianopoli anno MCCCCXXII. ſicut aſſerit *Leunclavius*, qui ex Turcarum Annalibus res à filiis *Bajazethis* toto Anarchiæ tempore geſtas, & Hiſtoriam iſtius *Mahometis*, qui filiorum *Bajazethis* Turcarum Regis minimus fuit, & paterni Imperii hæres, accuratè quinque integris libris, ſeu 8. 9. 10. 11. & 12. ſuæ *Hiſtoriæ Muſulmanæ* deſcripſit. Inter fratres *Mahometis* Turcarum Regis unus fuit, quem *Chalcondylas* lib. 4. de rebus Turcarum *Jeſum* appellat, *Phranzes* verò lib. 1. cap. 21. *Joſephum* nominat. Hic ad Græcos ſe recipiens, Chriſto nomen dedit, dictus in Baptiſmo *Demetrius*, cui frater *Mahometes*, Turcarum Rex, liberaliſſimè res vitæ neceſſarias providit, & aliquot poſt annos ad Superos migravit; Chriſto, cujus fidem in terris profeſſus fuerat, æternùm in Cœlis potiturus. Quatuor ſuperſtites filios legitimos moriens reliquit *Mahometes* Turcarum Rex, ſed ſuis injunxit, ut *Amurathem* natu maximum in Sultanum acciperent, juſſitque celari mortem ſuam diebus quadraginta, donec *Amurathes* ex Aſia rediiſſet, Regnumque eſſet adeptus. At Græci *Amurathi* oppoſuerunt *Muſtapham*, qui filius *Bajazethis* dicebatur, quique Græcis pollicitus eſt Calliopolim, quam tamen Turcæ, evecto in Regnum Turcicum *Muſtapha*, reddere noluerunt. Hunc *Muſtapham*, qui jam Serras occupaverat, ac Romaniam totam in deditionem acceperat, armis aggreſſus *Amurathes*, debellavit ac ſtrangulari juſſit. Hoc victo, alium *Muſtapham*, fratrem *Amurathis*, ſubſtituerunt Græci, quem ſimiliter oppreſſit ac ſuffocavit *Amura-*

ra-

rathes, qui hoc pacto in Imperio Turcico confirmatus, Græcorum vires debilitavit, Theſſalonicam cepit, & Chriſtianis maximas intulit clades. Poſt captam Theſſalonicam *Amurathes* hujus nominis *II.* continuo victoriæ curſu omnem circa Peloponneſum regionem uſque ad Sinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit, à quo ut *Joannes Caſtriotus*, qui in Epiro, & eâ parte Macedoniæ, quæ ad Adriaticum vergit, Albaniæ nomine hodie celebris, regnabat, quietem & pacem impetraret, cùm ſe bello ſuſtinendo imparem proſpiceret, Crojâ, ditionis ſuæ Metropoli, urbe munitiſſimâ, *Amurathi* ceſſit, obſidesque fidei dedit filios, inter quos *Georgius* minimus, qui indole animi, & formâ corporis præſtans, tantam apud *Amurathem* gratiam iniit, ut familiariſſimum ipſum in ſuo palatio haberet, quem litteris & moribus Turcicis inſtructum ad Mahometanæ legis diſciplinam traduxit, atque ob miram proceri vim corporis, & præſtantis ingenii, expeditique conſilii vigorem, *Scandebergum*, hoc eſt, *Alexandrum Dominum*, cognominavit, ejuſdemque virtute ac fortitudine multis privatis certaminibus affatim probatâ, uſus etiam deinceps eſt ejus victrice operâ in bellis copiisque ducendis tam contra Mahometanos in Aſia, quàm Chriſtianos in Europa. At *Georgius Caſtriotus*, dictus *Scandebergus*, & eo nomine in Hiſtoria celebratiſſimus, cùm videret, defuncto Patre ſuo Epiri Rege, ejusque ditione ab *Amurathe* occupatâ, & veneno fratribus, ejuſdem *Amurathis* insidiis, de medio ſublatis, nullam ſibi affulgere ſpem ditionem paternâ recuperandi, quamvis ei ab *Amurathe* promiſſam; Turcicum excutere jugum, & pater-

ternam occupare ditionem generosè deliberavit, ac feliciter ſuſceptum propoſitum perfecit anno MCCCCXLIII. poſt celebrem illam victoriam, quam *Vladislaus* Ungariæ Rex eodem anno ad Moravum fluvium reportavit. In hac victoria enituit maximè virtus *Huniadis Vaivodæ*, fortiſſimi exercitus Regis Hungariæ Ducis, qui nocte concubiâ cum decem millibus Equitum Barbaros aggreſſus, eorum triginta millia cæcidit, quatuor millia cum novem ſignis cepit, cæteris fugâ dilapſis ad centum millia. Hinc ad fines Thraciæ & Macedoniæ procedens, objectum ſibi *Carambejum* Præfectum Aſiæ, virum manu & ingenio promptum, cepit, ejuſque copias grandi pariter cæde proſtravit. Huic pugnæ ad Moravum fluvium commiſſæ aderat *Georgius Caſtriotus*, dictus *Scandebergus*, & in exercitu Turcarum militans, poſt cladem acceptam, occaſionem ipſe arripiens rebus ſuis conſulendi, & paternam ditionem recuperandi, ceſſit *Huniadi*, & Secretarium Baſsæ, Turcici exercitus Ducis, captum ſcribere nomine *Amurathis* compulit litteras ad Præfectos Crojenſes, & Epirotas, ut ei urbes redderentur. Deinde, ingenti celeritate *Crojam*, urbem paternæ ditionis caput, adiens, eam maximo Crojenſium, & omnium Epirotarum gaudio obtinuit; Turcis indè, aliisque plurimis munitionibus & locis, aut pulſis, aut cæſis. Poſt inſignes illas victorias anno MCCCCXLIII. de Turcis ab *Vladislao* Poloniæ & Ungariæ Rege, auxilio & miniſterio *Juliani* Cardinalis & Legati Pontificis, & *Huniadis Vaivodæ*, necnon *Georgii Caſtrioti*, dicti *Scandebergi* partas; *Amurathes*, Turcarum Rex, militaribus Chriſtianorum apparatibus ac victoriis territus,

pacem

pacem honeſtis conditionibus obtulit Chriſtianis, eamque cum illis ſanxit, quam tamen, Turcis Aſiatico bello diſtentis, cùm imprudenti conſilio abrupiſſent Hungari, Chriſtianus exercitus à Turcis ad Warnam profligatus eſt, & in eo prælio *Vladislaus* Hungariæ Rex, & *Julianus* Legatus Pontificis cæſi ſunt, ac Chriſtiani multâ clade affecti anno MCCCCXLIV. ſicut eleganter in ſuo Commentario *De rebus geſtis Vladislai Regis, & pugna Varnenſi* deſcribit *Philippus Callimachus*, natione Tuſcus, ſed juſſu *Pauli II.* in Poloniam profugus, ex quo *Bonfinius* in Rebus Hungaricis, *Cromerus* in Polonicis, & alii Scriptores res geſtas in hoc funeſto prælio exſcripſerunt, ut videre eſt apud *Spondanum* in Continuatione *Baronii* ad annum MCCCCXLIV. Poſt hanc victoriam de Chriſtianis relatam, *Amurathes*, Turcarum Rex, arma vertit in *Georgium Caſtriotum*, dictum *Scandebergum*, Epiri Regem, qui, ut mox diximus, ab eo defecerat, & Chriſtianitatem iterum profeſſus, paternam ditionem recuperaverat. At infeliciter *Amurathi* ceſſit Martis alea. A *Scandebergo* ſiquidem, Epiri Rege, non ſemel repulſus, victusque *Amurathes*, dum ejus Regni caput Crojam obſideret, ac tandem coactus turpiter obſidionem Crojæ ſolvere, ex mœrore & apoplexia diem clauſit extremum, cùm nimiâ vini copiâ ſe ſe in convivio ingurgitaſſet anno MCCCCLI. Ejus Corpus delatum eſt Pruſam Bithyniæ ad Sepulchra Majorum.

Amurathi II. ſucceſſit in Turcico Imperio ejus filius *Mahometes* hujus nominis *II.* unius & viginti circiter annorum adoleſcens, quem nonnulli Authores falsò ſcripſerunt Chriſtianâ matre natum,

Maria ſcilicet, ſive ut alii vocant, *Irene*, filia *Georgii Bulcovizii* Serviorum Deſpotæ, quæ puerum Chriſtianis præceptis & moribus imbuerit. Hoc ſiquidem falſum eſſe manifeſtò liquet ex Annalibus Turcicis, & annorum ſupputatione, ut demonſtrat *Leunclavius* in Pandectis Hiſtoriæ Turcarum Numero 1. & *96.* idque confirmant teſtimonia Græcorum *Chalcondylis*, & *Spandugini*, quorum ille *Mariam*, ſeu *Irenem*, filiam *Georgii* Serviorum Deſpotæ, quam *Amurathes* uxorem duxit, appellat non *Mahometis* matrem, ſed novercam: hic verò diſertis verbis tradit, *Amurathem* nullam ſobolem ex *Maria*, ſeu *Irene*, Georgii Serviorum Deſpotæ filia, ſuſcepiſſe. Non potuit ergo *Irenes*, ſeu *Mariæ*, eſſe filius *Mahometes*. Hic ille eſt, qui, ut antea dicebamus, Urbem Conſtantinopolim, devicto *Conſtantino Palæologo*, ultimo Græcorum Imperatore, cepit anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, & Turcarum Imperii fines latè propagavit. Duo quippè Chriſtianorum evertit Imperia, Conſtantinopolitanum videlicet & Trapezuntinum; Regna duodecim, & Urbes ſupra ducentas expugnavit. Venetis *Corinthum*, *Lemnon*, *Mitylenam*, *Eubæam* eripuit, Genuenſibus abſtulit *Theodoſiam*, ſeu *Capham*, & in Italia *Hydruntum* occupavit; *Albam* tamen *Græcam*, nunc vulgò *Belgradam* appellatam, & *Rhodum* fruſtra tentavit, hanc Inſulam egregiè propugnante Rhodiorum Equitum Magiſtro *Petro Albuſſonio* natione Gallo. Quatuor linguas, præter ſuam Arabicam, noviſſe *Mahometem II.* Græcam, Latinam, Chaldaicam, Perſicam, teſtatur *Phranzes*, & Aſtronomiæ ſtudio addictiſſimum, ex Syderum converſionibus didiciſſe, Regna & Provin-

vincias poſteà ſe ſubacturum, quas reverà tum fortitudine, tùm calliditate obtinuit. Obiit *Mahometes II.* Nicomediæ anno MCCCCLXXXI. quinto Nonas Majas, ut tradit *Bonfinius*. De hujus Turcarum Imperatoris crudelitate, perfidiâ, libidine, aliiſque vitiis, necnon de quarumdam ſpecie virtutum, victoriis, & rebus geſtis plura apud *Chalcondylem* libris 8. 9. & 10. *de Rebus Turcicis*, apud etiam *Joannem Leunclavium* in Hiſtoria Muſulmana, in Annalibus Turcarum, & in *Pandectis Hiſtoriæ Turcicæ* legi poſſunt. Hic brevitèr dumtaxat obſervabo, quoſdam eſſe Scriptores, qui, poſt *Iſidorum* Cardinalem Ruthenum in Epiſtola de expugnatione Urbis Conſtantinopolitanæ, aſſerunt, hunc *Mahometem II.* Turcarum Imperatorem, tam infenſo odio Chriſtianos fuiſſe proſecutum, ut, Chriſtiano ſibi obviante, tanquam indè fœdaretur, oculos & os abluere ſolitum eſſe. Verùm, id à Græcis in Turcarum odium de induſtria fuiſſe confictum autumant periti alii Scriptores, vel ſaltem, ut ait *Spondanus* ad annum MCCCCLI. Num. XI. id intelligendum eſt de initiis Imperii *Mahometis II.* cùm poſteà ſæpiùs etiam benignè cum Chriſtianis illum egiſſe, ſaltem poſtquam cepit Conſtantinopolim, certum ſit. Narrat enim *Spondanus* ad annum MCCCCLIII. *Mahometem II.* captâ Conſtantinopoli, tribuſque diebus peractis, quibus eam direptioni militum permiſit, cùm triumphum duxiſſet, ultrò Chriſtianis facultatem conceſſiſſe Conſtantinopolim redeundi, & ſecundùm Religionis ſuæ ritus vivendi. Quò autem Chriſtiani libentiùs ad Urbem incolendam allicerentur, voluit *Mahometes*, ut Epiſcopi Patriarcham eligerent, cùmque ab ipſis *Georgius*

Scholarius fuiſſet Patriarcha electus, & mutato, pro more, nomine *Gennadius* eſſet appellatus, ac priſtinæ conſuetudinis eſſet, ut electo Patriarchæ Imperator Virgam Paſtoralem auream lapillis & margaritis diſtinctam donaret, hæc pronuntians verba: *Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit*, & equum de Regio Stabulo, albo & aureo ſtratorio ornatum, cui Patriarcha inſidens, toto Procerum comitante cœtu, cum fauſtis acclamationibus in Patriarchium ducebatur, præſtitit *Mahometes* eadem omninò officia *Gennadio* Patriarchæ Conſtantinopolitano. Hæc *Spondanus* refert ex *Phranze*, qui Scriptor coævus eſt, & tunc Conſtantinopoli præſens erat. Addit etiam ibidem *Spondanus*, quòd cùm *Mahometes* in Patriarchium aliquandò introiſſet, colloquio blando cum *Gennadio* Patriarcha per Interpretem habito, de Religionis Chriſtianæ dogmatibus eum interrogaret, & cum omni fiducia reſpondere compelleret; præſtitit id graviter Patriarcha, ac præclarè de Sanctiſſima Trinitate, & Verbi Divini Incarnatione diſſeruit. Quæ adeò lubentèr *Mahometes* ab eo accepit, ut non ſolùm ab eo tempore Patriarcham majori veneratione coluerit, & Græcis benevolentiorem ſe ſe exhibuerit; verùm etiam ipſam Patriarchæ de articulis Fidei Diſſertationem ſibi dari voluerit, quæ Græcè, Latinè, & Turcarabicè extat libro 2. *Turco-Græciæ*, viginti Capitulis diſtincta, egregium ſanè Fidei Chriſtianæ monumentum. Hæc pauca ex *Spondano* hìc obſervanda eſſe duxi, ut his Scriptoribus aſſenſum minimè præbeas, qui, re non ſatis perſpectâ, confidenter aſſeverant, *Mahometem II.* Turcarum Imperatorem,

toto

toto Imperii ſui tempore implacabilis in Chriſtianos odii fuiſſe. Sed redeamus ad ſeriem Turcarum Imperatorum. Mortuus *Mahometes Secundus* anno, ut jam diximus, milleſimo quadringenteſimo octogeſimo primo, quo in Rhodios, in Sultanum Ægypti, & Italiam bellum parabat; duos reliquit filios, *Bajazethem* natu majorem, & *Zemem*, inter quos de paterno obtinendo Imperio haud parva ſuborta eſt contentio. Magna Procerum pars *Zemi* favebat, quòd, licèt ætate minor, ad tractanda tamen arma aptior, & moribus humanior eſſet, eâque de cauſa etiam à patre dignior Imperio judicatus eſſet *Bajazethe*, qui quietis amantior, & libidini deditus ab armorum ſtrepitu abhorrebat. Prævaluit tamen *Bajazethes* hujus nominis *II.* & paterno Imperio potitus eſt. Id ægrè tulit *Zemes*, ejus frater, qui Pruſam, antiquam Regum Bithyniæ, ipſorumque Othomanorum Regiam, actutùm occupavit, ut ſaltèm Aſiatico frueretur Imperio. Verùm, *Zemes* victus ab *Achmete Baſſa* apud Neapolim Natoliæ, fugit in Ægyptum, inde Mecham, & indè expulſus, confugit Rhodum, ſeque Summo Rhodiorum Equitum Magiſtro *Petro Albuſſonio* tradidit. Ubi verò *Bajazethes* fratrem ſuum *Zemem* Rhodi eſſe audivit, ampliſſima ad Magnum Magiſtrum munera miſit, eumque impensè rogavit, ut *Zemem* diligentiſſimè cuſtodiret, ne quid turbarum inter Turcas cieret, quadraginta inſuper millia ducatorum ſingulis annis ad ejus alimenta ſe numeraturum pollicitus eſt, pacemque cum Chriſtianis perpetuò culturum. Oblatas conditiones accepit *Petrus Albuſſonius*, & in Arverniam, Galliæ Provinciam, *Zemem* miſit, annuente Rege Chriſtianiſſimo *Ludovico*

co XI. qui tamen Legatos à *Bajazethe*, Turcarum Imperatore, ad ſe miſſos, & in Provinciam appulſos, ſtatim regredi, & Galliâ excedere juſſit, nihil ſibi cum Chriſtiani nominis hoſtibus commune eſſe animo planè Chriſtianiſſimo profeſſus; nec ipſum *Zemem* videre voluit, quòd Mahometanæ legis cultor eſſet. Manſit autem *Zemes* in Gallia, detentus in quadam Equitum Arce, cui nomen *Burgonovo*, uſque ad annum MCCCCLXXXIX. quo anno Romam ad *Innocentium VIII.* Pontificem Maximum ductus, ſub illius, & *Alexandri VI.* Pontificatu in honeſta cuſtodia vixit, *Bajazethe* ad ejus ſuſtentationem quadraginta ducatorum millia annuatim mittente. Tandèm *Zemes* è Romana cuſtodia dimiſſus, Terracinam perductus eſt, ubi veneno ei propinato extinctus eſt anno MCCCCXCV. Mortuo *Zeme*, majoribus turbis agitatum eſt Turcarum Imperium. *Bajazethes* ſiquidem Turcarum Imperator, frater *Zemis*, tres filios habuit, *Achmetem*, *Corcutem*, & *Selimum*, qui impotenti regnandi ambitione abrepti, civile bellum, ac ſeditiones accenderunt. *Achmetem* filium natu maximum anno MDXI. ſibi ſucceſſorem deſtinarat *Bajazethes II.* At *Selimus* tertio loco genitus, cæteris audacior arripere conatus eſt Imperium, ſed commiſſo prælio victus à patre, *Midgen* aufugit, Oppidum versùs Varnam ſitum. Non tamen deſpondit animum, ſed anno ſequenti, ſeu MDXII. Janizzari, qui duritiem & feritatem *Achmetis*, majoris natu filiorum *Bajazethis*, ferre haud poterant, & in *Selimum* magis propendebant, quòd ſtatribus ſuis vigilantior ad bella gerenda videretur, *Bajazethem* Imperium abdicare, & *Selimo* filio rerum adminiſtrationem tradere compulerunt. Exauctora-

ratus *Bajazethes*, cùm Didymoticum, Thraciæ urbem, in qua natus erat, ſe ſe reciperet, juſſu filii ſui *Selimi*, veneno in itinere ſublatus eſt, ut teſtatur *Leunclavius* in *Pandectis Hiſtoriæ Turcicæ*. Nec hoc parricidiali ſcelere contentus *Selimus*, ſtatim in Aſiam tranſgreſſus, fratres ſuos *Achmetem*, & *Corcutem* de medio ſuſtulit, illorumque, quos in ſua poteſtate habuit, filiorum fauces elidi juſſit. Sæviit quoque in amicos fratrum, & in eos, quos ipſe ſibi ante Imperium proximos, conjunctiſſimosque habuerat; veritus ne aliquandò ab his impeteretur, quibus animi ſui motus perſpectos exploratosque eſſe probè noverat. Sed de *Selimo*, Turcarum Imperatore, plura dicemus in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæculi decimi ſexti, in quo obiit, ſeu die XXII. menſis Septembris anni MDXX.

D. Extinctum Chriſtianorum in Oriente Imperium, totque à ferociſſima Turcarum gente illatæ Chriſtianæ Religioni clades, apertiùs, quâm vellem, probant, deploratiſſimum fuiſſe Sæculo decimoquinto Eccleſiæ Orientalis ſtatum, nec poſſum quin vehementer doleam miſeram Chriſtianorum ſortem, qui eo Sæculo Barbarorum tyrannidem ſubire coacti, durâ nunc ſervitute oppreſſi ingemiſcunt. Ne igitur diutiùs ante oculos verſetur hæc acerba, nimiùmque funeſta Eccleſiæ Orientalis calamitas, expone, quæſo nunc, quo loco fuerint Sæculo decimo quinto res Eccleſiæ ſub Imperatoribus Occidentis, eorumque ſeriem ac geſta deſcribe.

M. Imperabat in Occidente ſub finem Sæculi decimi quarti *Wenceslaus* filius *Caroli IV.* cujus mentionem fecimus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæcul. XIII. & XIV. Sed cùm hic Imperator gulæ,

inertiæ, crapulæ, libidini, omnique turpitudini ſeſe dederet, eamque ob cauſam variis carceribus detentus, nec mores mutaret; tandem, ne ſub ipſo corrueret Imperium, & labefactaretur Eccleſia, fuit ab Electoribus anno milleſimo quadringenteſimo exauctoratus, eique ſtatim ſuffectus *Fridericus*, Dux Brunſuicenſis, egregius ſanè Princeps, induſtrius, & rei militaris peritiſſimus, qui eâ, quâ pollebat, fortitudine, labans Imperium erigere ac firmare potuiſſet, niſi rediens è Comitiis à *Waldekiano* Comite fuiſſet propè Friſlarium occiſus, juſſu, ut fertur, Archiepiſcopi Moguntini. Occiſo *Friderico* ſubſtitutus eſt ab Electoribus *Robertus*, ſive *Rupertus* Bavariæ Dux & Comes Palatinus, cognomento *Parvus*, quòd corporis parvi eſſet, ſed magni animi, juſtitiæ cultor, belli paciſque artibus clarus, & Imperialis Majeſtatis conſervandæ ſtudioſus. Suam depoſitionem flocci fecit *Wenceslaus*, ac priſtinam flagitioſam vitam in ſuo Bohemiæ Regno, quò ſe recepit, agere perrexit, ingenti Principatus dedecore, atque Religionis, litterarum, & civilis ſtatus maximo detrimento. Quin, & vecors adeò fuit *Wenceslaus*, ut cùm Cives Nuremburgenſes detrectarent obedire *Ruperto* electo Imperatori, niſi priùs annueret *Wenceslaus*, eique ad aſſenſum ſuum præbendum viginti aureorum millia offerrent, ipſe, repudiato auro, ceſſerit jure ſuo, & tantùm ab illis exegerit aliquot optimi vini plauſtra. Quo facto ignaviam ſuam prodidit, docuitque, ſe pluris convivium, quàm Imperium facere. Sed mittamus *Wenceslaum*, qui poſt depoſitionem ſuam reliquum vitæ in Bohemia egit, &, ut inquit *Cuſpinianus*, obiit *tanquam porcus in volutabro*. Ejus in Imperio Occi-

cidentis ſucceſſor *Rupertus* totum ſe contulit ad reparanda damna, quæ Italiæ præſertim *Wenceslaus* intulerat. Urbem, ditionemque Mediolanenſem *Joanni Galeatio*, Virtutum Comiti, vendiderat *Wenceslaus*, ipſumque primi Mediolanenſium Ducis titulo inſignierat. Fuit autem iſte *Joannes Galeatius*, teſte *S. Antonino*, Authore coævo, 3. part. Chronici, tit. 22. cap. 3. *Magnus utique Dominus, ſeu potiùs tyrannus in Italia, ſicut quicumque alius ex longis temporibus retroactis ..... ſtatura procerus erat, & pulcher aſpectu, non mediocriter literatus, eloquentia clarus, callens ingenio, & in agendis aſtutus & ſagax, adeò ambitione devictus, ut, Dei timore poſtpoſito, proditionibus non parceret, & veneficiis, ut omnibus dominaretur per tyrannidem, & demùm Rex Italiæ fieret. Duas uxores habuit ſucceſſivè, quarum primam filiam Regis Franciæ veneno extinxit. Secundam uxorem ſuſcepit conſobrinam, ſcilicet filiam Bernabonis avunculi ſui ſine diſpenſatione, licèt poſteà obtinuerit. Unum ex conſobrinis ſuis veneno perire fecit; exindè ſub prætextu devotionis voti ſui implendi pergens Mediolanum, Bernabonem ipſum (avunculum & ſocerum ſuum) ſibi paternaliter obviantem capi, & incarcerari mandavit, & veneno vitam finire, ejusque duos filios interfici juſſit, alios duos perpetuo exilio relegavit, ut dominio eorum, & patris uſurpato liberiùs potiretur.* Sic *Joannes Galeatius* magnis in dies ſucceſſionibus clarior, totius Italiæ Principatum agitabat animo, cùm præter Inſubres, Bononiam, Senas, Peruſiam, Piſas, Umbriæ partem, Veronam inſuper, & Vicentiam cum aliis civitatibus obtineret, ac Florentinorum rebus inhiaret, cum quibus continua bella geſſit, quæ S. *Antoninus* tùm à ſe viſa, tùm à *Leonardo* *Are-*

Aretino, Hiſtorico Florentino, deſcripta, loco mox à me laudato refert. Ad hanc coërcendam *Joannis Galeatii*, non Etruriæ ſolùm, ſed univerſæ Italiæ formidabilem potentiã, in Italiam à Bonifacio IX. ſucceſſore *Urbani VI.* & à Florentinis invitatus *Rupertus* Imperator, bellum indixit *Joanni Galeatio*, ni omnes civitates & loca Romano Imperio ſubjecta, quæ in Italia occupabat, quamprimùm reſtitueret. Hanc conditionem pacis repudiavit *Galeatius*, aſſerens, ſe illa omnia jure à *Wenceslao* legitimo Imperatore poſſidere, eademque adversùs ipſum *Rupertum* Imperii invaſorem defenſurum. In Italiam itaque adversùs *Joannem Galeatium*, Mediolanenſium Ducem, cum exercitu properavit *Rupertus* Imperator, ſed ab illo repulſus, in Germaniam, nullo operæ pretio facto, rediit. Mortuo paulò poſt, ſeu anno MCCCCII. *Joanne Galeatio*, multæ civitates ſe à ſervitute vindicarunt, quarum aliæ ad priſtinos dominos reciderunt, & inter cæteras Bononia, Peruſia, Aſſiſium ad Eccleſiæ Romanæ ſubjectionem; in aliorum aliæ ditionem venerunt, putà Veronam, & Patavium occuparunt Veneti anno MCCCCV. quo Scaligerorum & Carrarienſium dominatus extinctus eſt. Piſæ Florentinorum jugum acceperunt. Alias alii invaſerunt, renovatis etiam Guelforum & Gibellinorum factionibus, atque ingentibus ubique patratis crudelitatibus, proditionibus, nequitiis, cædibus, direptionibus, cæteriſque ejuſmodi omnis generis malis, ſceleribuſque, quæ *S. Antoninus* loco citato pluribus proſequitur. Bello etiam id temporis Romam laceſſivit *Ladislaus*, filius *Caroli Dyrrachini*, in quem *Urbanus VI.* Regnum Neapolitanum, abdicatâ eo Regno *Joanna* Re-

Regina, tranſtulerat. Hic, inquam, *Ladislaus*, flagitioſi patris non minus flagitioſa proles, Romam haud ſemel occupare conatus eſt, ſed à *Ludovico* Duce Andegavenſi, & filio hujus *Ludovici* Andium itidem Ducis, quem *Joanna* Regina Neapolitana à *Carolo Dyrrachino* oppreſſa filium adoptaverat, quique contra *Carolum Dyrrachinum* indicto bello in Apulia vitâ exceſſerat, victus ac repreſſus eſt anno MCCCCXI. Sed victoriâ ſuâ uti neſcivit *Ludovicus*, & quietis amans, abjectâ rerum Italicarum curâ, in Gallias rediit. Quò factum eſt, ut *Ladiſlaus*, qui tunc Regnum Neapolitanum tenebat, animos reſumpſerit, ſoleretque dicere, ſi hoſtes eadem ipsâ die victoriam proſecuti fuiſſent, tàm ſe, quàm Regnum in eorum poteſtate futurum, ſi alterâ die non ſe, ſed Regnum; ſi tertiâ, nec ſe, nec Regnum, quoniam adversùs eorum vim opportuna remedia adhibuiſſet. Tandem anno MCCCCXIII. *Ladislaus* Romam per fracta mœnia armatus invaſit; *Joannem* Papam *XXIII.* & Cardinales in fugam compulit, Baſilicas ſacras expilavit, honeſtas fœminas & ſacras Virgines effræni ſuorum libidini permiſit, in multos crudeliter ſæviit, ac majora molitus, totius Italiæ dominatum uſurpaſset, niſi impius ac perfidus ille Rex, juſto Dei judicio, fœdâ, pudendâque morte anno MCCCCXIV. occubuiſſet. His infeſtis bellis exagitata ac lacerata eſt Italia toto tempore Imperii *Ruperti*, qui amiſsâ omni ſpe hæc bella compeſcendi, de Italia non ultra ſollicitus Imperium per decem annos pacificè adminiſtravit, obiitque in oppido *Oppenheim* Bavariæ anno MCCCCX. & Heidelbergæ ſepultus eſt, ubi Academiam olim excitaverat. Poſt mortem *Ruperti*

Im-

Imperator ab Electoribus deſignatus eſt *Jodocus*, Brandeburgi & Moraviæ Marchio, *Caroli IV*. Imperatoris ex fratre *Joanne Henrico* nepos, dictus *Barbatus* à prolixa, quam geſtabat, barbâ. Sunt nonnulli Scriptores, qui aſſerunt, *Jodocum* fuiſſe electum Imperatorem immediatè poſt depoſitionem *Wenceslai*, ſed dubium non eſt quin fallantur, cùm *Theodorus Niemus* Scriptor coetaneus, & oculatus, in vita *Joannis* Papæ, & *Gobelinus Perſona* in *Coſmodromio Ætate* VI.cap.90. teſtentur, *Jodocum* fuiſſe dumtaxat electum Imperatorem poſt obitum *Ruperti*. Id etiam conſtat ex ejuſdem *Jodoci* Conſtitutione *de reſiſtendo Regiæ Majeſtati, ſi contra Ordinationes Imperii fecerit*; datâ Francofordiæ anno MCCCCX. Regni ejus primo; hæc autem *Jodoci* Conſtitutio extat inter Conſtitutiones Imperiales à *Goldaſto* collectas. Verùm, iſte *Jodocus* nunquam fuit Imperator coronatus, neque quidquam egit memoriâ dignum, utpotè homo ad res gerendas ineptiſſimus. Obiit Brunæ in Moravia ſexto menſe poſt electionem ſuam. In ejus locum ſtatim ab Electoribus ſubrogatus eſt *Sigiſmundus*, Imperatoris *Caroli IV*. filius, & frater *Wenceslai*, quem propter inertiam exauctoratum eſſe diximus.

D. *Sigiſmundus* in regimine Imperii paremne ſeſe exhibuit *Wenceslao* fratri ſuo, cui Principum conſenſu, ob flagitioſam ejus vitam, ſumma Imperii dignitas abrogata eſt?

M. *Sigiſmundus*, Princeps omni virtute clarus, Imperium optimè adminiſtravit, ſibique omnium ſubditorum animos ſapientiâ, prudentiâ, munificentiâ, juſtitiæ, ac religionis ſtudio devinxit, quos *Wenceslaus*, ejus frater natu major, ſegnitie & mo-

rum

rum turpitudine à ſe penitùs alienaverat. Varia fuit *Sigiſmundi*, antequam ad Imperium eveheretur, fortuna. Inprimis, ex Marchione Brandeburgenſi, Rex Poloniæ fuit deſignatus, & poſt mortem *Ludovici* Hungariæ Regis, qui filiam *Mariam* ipſi cum ſpe Regni deſponderat, Rex Hungariæ ſalutatus eſt anno MCCCLXXXVI. At, poſt infelicem Nicopolitanam Expeditionem, quam copiis Galliarum Regis adjutus contra *Bajazethem* Turcarum Regem anno MCCCXCVI. ſuſcepit *Sigiſmundus*, & à Turcis victus è prælio fugere coactus eſt, in Hungariam, ob rem malè geſtam, redire non auſus, primò Conſtantinopolim, indè *Rhodum*, & Ægeum Joniumque pelagus emenſus, in Dalmatiam, & Croatiam venit, ac demùm poſt duodeviginti menſium abſentiam, amicorum ope, in Hungariam reverſus eſt, non paucis tamen Hungaris in ipſum conjurantibus, & ſecretò agentibus apud *Ladislaum*, qui poſt mortem *Caroli Dyrrachini* patris ſui Regnum Neapolitanum tenebat, ut ad Regnum Hungariæ accipiendum acceleraret. Sed *Ladislaus* & patris ſui miſerabili fato abſterritus, & varia Hungarorum ingenia ſuſpecta habens; inſtantibus eorum ſuaſionibus aures præbere cunctatus eſt, donec ab Hungaris, à fide *Sigiſmundi* apertè deficientibus, fuiſſet Rex proclamatus, & ipſe *Sigiſmundus* à ſuis captus in cuſtodiam anno MCCCCI. eſſet detruſus. Tunc *Ladislaus*, quaſi de Regno Hungariæ capeſſendo ſecurus, *Jaderam*, Dalmatiæ urbem Hungarici Regni, pervenit, ibique conſedit, dum quid rerum in Hungaria ageretur intelligeret, & quò tandem res vergerent expectaret. Quod ſanè prudentèr fecit. Nam *Sigiſmundus* vinculis ſolutus in Bohemiam fugit,

fugit,ibique contractis copiis in Hungariam rediit, Regnumque Hungaricum recuperavit. *Ladiſlaus* autem ſuâ ſpe fruſtratus, Neapolim regreſſus eſt, priùs tamen, ut ajunt, in compenſationem ſumptuum expeditionis venditâ Venetis Jaderâ, quam illi urbem obtinere maximè cupiebant, pretio centum millium florenorum auri. Pacem etiam cum *Sigiſmundo* Hungariæ Rege inivit *Ladiſlaus*, eique commendavit perfidorum Hungarorum ultionem, quam *Sigiſmundus* non ſtatim præſtitit, ne extremâ inimici deſperatione correpti aliquid obſtinatiùs molirentur, ſed eam ſuo tempore cumulatiſſimè perfecit. Electus â Septemviris anno MCCCCX. Imperator *Sigiſmundus*, ſeſe ſtrenuum, & ad quælibet gerenda promptiſſimum exhibuit, facilèque *Carolos*, & *Ottones*, ſuos in Imperio deceſſores, æquaſſet, ſi ad pacis artes, quibus excelluit, parem felicitatem addidiſſet; ſed ſola ei defuit in bello felicitas. Quippè qui in bello, quod adversùs Hæreticos Huſſitas, Bohemiam hoſtilitèr infeſtantes, ſuſcepit, â *Joanne Ziſca*, illorum Duce audaciſſimo,manuque & conſilio prompto, ſæpiùs acie victus fuit, pleraque Oppida ab eodem Duce intercepta, novaque Urbs in præcelſis rupibus, ſituque munitiſſimis, *Thaboris* nomine condita, prædarum, & prædonum receptaculum, undè perduelles Huſſitæ *Thaboritarum* ſibi nomen indiderunt. Verùm, *Sigiſmundus* quod armorum felicitati defuit, pietate ac religionis ſtudio uberrimè compenſavit. Suas ſiquidem omnes curas ad extinguendum funeſtum Schiſma, quo id temporis miſerum in modum Occidentalis lacerabatur Eccleſia, contulit, nec ſolùm, ut pacem Eccleſiæ redderet, Legatos circumquàque ad Principes

cipes Chriſtianos miſit, ſed etiam Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Italiam adire non dubitavit ipſe, ut hocce negotium pro Eccleſiæ utilitate ſuſceptum ad optatum exitum perducere poſſet, quod tandem in Concilio Conſtantienſi, extincto trium Pontificatui inhiantium Schiſmate, feliciter perfectum eſt. Huic Concilio Conſtantienſi, necnon Concilio Baſileenſi interfuit *Sigiſmundus*, & in his duobus Conciliis egregiam Eccleſiæ navavit operam, effecitque ut Hæretici Bohemi & Huſſitæ ad ſaniorem mentem reducti in Eccleſiæ gremium revocarentur, ſicut latiùs oſtendemus in Colloquio quartó diſſerendo de Conciliis, quæ Sæculo XV. fuerunt celebrata. *Sigiſmundi* Imperatoris temporibus Neapolitanum Regnum diuturno bello laboravit, Aragonibus, & Gallis de eo obtinendo acritèr inter ſe decertantibus. Mortuo namque *Ladislao*, Rege Neapolitano, anno, ut ſuperiùs diximus, milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, *Joanna*, ejus ſoror, Regnum Neapolitanum jure hæreditario tenuit, levis, & impudica fœmina, quæ *Jacobo Borbonio* Marchiæ Comiti nupta, eumdem poſtea ſummum ſibi jus in Regno Neapolitano vindicantem fugere coëgit in Galliam, ubi mundo nuncium remittens, Regulam *S. Franciſci* profeſſus eſt. Poſthæc, *Martinus V.* Pontifex Maximus, *Joannam* Regno Neapolitano abdicavit, omniaque illius Regni jura in *Ludovicum III.* Andegavenſem tranſtulit. Quòd ægrè admodùm ferens *Joanna* in auxilium evocavit *Alphonſum* Aragoniæ, Siciliæque Regem, quocum de adoptione, Regnique ſucceſſione pacta eſt. Hinc atrox exarſit bellum *Alphonſum* inter & *Ludovicum*, ſed ſecuta diſcordia inter *Joannam* Regi-

ginam, & *Alphonſum*, occaſionem dedit *Joannæ* in gratiam & adoptionem recipiendi *Ludovicum III.* Andegavenſem. Tandem poſt obitum *Ludovici III.* qui contigit anno MCCCCXXXIV. recruduit bellum inter eumdem *Alphonſum* Aragoniæ Regem, & *Renatum* filium *Ludovici III.* Ducis Andegavenſis, quem paritèr *Joanna* hæredem Regni Neapolitani dixerat; ſuperior tamen fuit *Alphonſus*, quippè qui anno MCCCCXLII. immiſſo per cuniculum aquæductus milite, Neapolim occupavit, & exindè in Gallias reverſo *Renato* Andegavenſi, ſummâ rerum in Regno Neapolitano, abſque ullo competitore, potitus eſt *Alphonſus*. His, & aliis bellis, quibus Italia *Sigiſmundi* Imperatoris temporibus conflagravit, non fuit perturbata pax Imperii Romani, quod *Sigiſmundus* ſapientiſſimè adminiſtravit uſque ad annum MCCCCXXXVII. quo in urbe Znoyma in Moravia obiit. Coronam Regni Hungariæ obtinuit *Sigiſmundus* anno MCCCLXXXVI. Coronam Regni Bohemiæ anno MCCCCXX. & Coronam Imperii anno MCCCCXXXIII. accepit ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo. Duas uxores habuit *Sigiſmundus*, quarum prima fuit *Maria*, filia *Ludovici* Regis Hungariæ, quæ, dotis nomine, Hungariæ Regnum detulit *Sigiſmundo*. Altera uxor fuit *Barbara*, filia *Hermanni* Comitis Ciliæ, impudiciſſima fœmina, quam *Sigiſmundus* paulò antè mortem detruſerat in carcerem, quia de novis nuptiis agebat, cum Polonorum Rege in damnum filiæ ſuæ *Eliſabethæ*. Sed, mortuo *Sigiſmundo*, ſoluta è carcere, ſeſe in omnem luxuriam ſinè ullo pudore effudit, nullâ aliâ de cauſa ſibi vitam expetendam dicens, niſi ut voluptati corporis ſui inſerviret.

Mor-

Mortuo *Sigiſmundo* Imperatore, *Albertus* hujus nominis *II.* filius *Alberti* Auſtriæ Ducis, & *Joannæ de Bavaria*, qui *Elizabetham*, filiam *Sigiſmundi*, uxorem duxerat, in Soceri ſui *Sigiſmundi* Regna & Imperium ſucceſſit. Et primò Rex Hungariæ in Alba Regali coronatus eſt Kalendis Januarii anni MCCCCXXXVIII. deindè Bohemiæ Rex pridiè Nonas Maji ejuſdem anni Pragæ ſalutatus eſt, ac tertio Kalendas Junii ejuſdem anni ſolemni pompâ inauguratus: tandèm decimo tertio Kalendas Aprilis à Septemviris denunciatus eſt Imperator. Tentarunt quidem nonnulli impedire, ne *Albertus* Regno Bohemiæ potiretur, & eâ de cauſâ *Caſimirum*, fratrem Regis Poloniæ, annorum tredecim adoleſcentem, evocarunt, eam in ſpem erecti fore ut *Caſimirus* exercitu Polonorum fretus *Albertum* ſuperaret, ac ſolio deturbaret. Sed *Albertus*, debellatis Polonis, *Caſimirum* in patriam inglorium redire compulit. Nec Polonos tantùm, ſed Moravos fudit *Albertus*, Sarmatas repreſſit, Huſſitas Auſtriam devaſtantes in fugam egit, Turcas quoque ex Hungaria repellere jam inceperat; ſed in medio rerum curſu morte præreptus eſt, quam ſibi ex nimio peponum eſu comparavit. Obiit ex dyſenteria non procul à Strigonio in pago cui *Longo* nomen, dum Budâ Viennam reverteretur, ſexto Kalendas Novembris anni MCCCCXL. Optimis artibus tum belli, tum pacis enituit, religioſus, liberalitate ac juſtitiâ præſtans, in bellis audax, & manu promptus, magnusque planè futurus Imperator, ſi longiorem vitam egiſſet, qui tam brevi temporis ſpatio tam multa & præclara geſſit, de quo verè dici poteſt: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa*, Sap. cap. 4.

cap.4. v.13. *Elizabetha* filia Sigiſmundi Imperatoris, quam *Albertus*, ut mox diximus, matrimonio ſibi ſociaverat, genuit *Annam*, *Elizabetham*, & *Ladislaum*, filium poſthumum, quem Regina *Elizabetha* poſt mortem mariti Hungariæ Regem ab Archiepiſcopo Strigonienſi conſueto ritu coronari curavit.

In locum demortui *Alberti* Imperatoris, Septemvirûm ſuffragiis electus eſt *Fridericus* hujus nominis *III.* Auſtriæ Dux, *Ernesti* Auſtriaci filius, & *Alberti* Auguſti patruelis, viginti ſex annorum juvenis, peregrinatione in Terram Sanctam illuſtris, dictus *Pacificus*, quòd pacis artibus addictus, à bello abhorreret. Bis Romam profectus eſt *Fridericus III.* Primò, Romam venit anno MCCCCLII. quo unà cum *Eleonora* Auguſtâ, conjuge ſuâ, Coronam Imperii à *Nicolao V.* Pontifice Maximo ſuſcepit. In reditu *Borſium*, Marchionem Eſtenſem, Mutinæ Ducem creavit, ſed cùm munera libentèr acciperet, & nec liberalitatis, nec ſapientiæ, cùm per alium ſemper loqueretur, ſpecimen ullum daret, ab Italis ferè contemptus in ſuam Germaniam receſſit. Romam ſecundò venit *Fridericus* anno MCCCCLXVIII. tum ut votum perſolveret, tum etiam ut cum *Paulo II.* Pontifice Maximo deliberaret de Expeditione contra Turcas ſuſcipiendâ. Hungariæ Regnum turbis haud parùm agitatum eſt imperante *Friderico*, cujus fidei ac tutelæ filium ſuum poſthumum, dictum *Ladislaum*, commiſerat *Elizabetha* Regina Hungariæ, & uxor *Alberti II.* Imperatoris, Hungariæque Regis, poſt cujus obitum, qui, ut ſuperiùs diximus, contigit anno MCCCCXL. regnavit in Hungaria *Vladislaus*. Sed *Vladislao* Hungariæ Rege victo & occiſo in pugna,

gna, quam anno MCCCCXLIV. ad Varnam habuit cum Turcis, Hungari ſecundùm hanc calamitatem *Ladislaum* poſthumum *Alberti* Cæſaris, & *Elizabethæ* filium, puerum dumtaxat quinquennem, Hungariæ Regem anno MCCCCXLV. elegerunt, addito tamen Curatore Regni *Joanne Huniade*. Noluit *Fridericus* Imperator *Ladislaum*, quem mater Elizabetha ejus tutelæ commiſerat, reddere, & eam ob cauſam iratus *Joannes Huniades*, Regni Hungarici Curator, Auſtriam, aliasque *Friderici* Imperatoris Provincias armis pervaſtavit. Hic eſt ille *Joannes Huniades* fortiſſimus Dux, qui, ut anteà dicebamus, regnante in Hungaria *Vladislao*, inſignem de Turcis victoriam anno MCCCCXLIII. reportavit, ſed anno ſequenti à Turcis in pugna Varnenſi victus eſt, quam ignominiam dum anno MCCCCXLVIII. abolere parat, majorem cladem à Turcis, quos ſæpè armis debellaverat, accepit in prælio Coſſovenſi, è quo ipſe perniciſſimo equo fugere coactus eſt. Manſit *Ladislaus* ſub tutela *Friderici* Imperatoris uſque ad annum MCCCCLII. quo anno ægrè ab Imperatore dimiſſus, Regna Hungariæ, Bohemiæ, & Auſtriæ, quæ ipſius pater *Albertus* poſſederat, obtinuit. Verùm *Ladislaus*, quamvis Rex appellaretur, alieno tamen arbitrio ductus, in regnis ſuis Triumviratum inſtituit. *Joannes Huniades* Hungariam rexit, *Poggiebracius* Bohemiam, *Vlricus* Auſtriam. Mortuo tandem *Ladislao* Hungariæ Rege an. MCCCCLVII. non abſque graviſſima ſuſpicione veneni à *Georgio Poggiebracio*, & *Joanne Rokyſana*, tunc Huſſitarum capitibus, propinati, *Matthias*, magni illius Herois *Joannis Huniadis* filius, & paternæ fortitudinis hæres, Rex Hungariæ electus eſt, belloque laceſſivit

Fridericum Imperatorem, ac Viennam, Auſtriæ Metropolim, poſt aliquot menſium obſidionem fame ad extremum redactam, deditione recepit anno MCCCCLXXXV. cum magno dedecore Imperatoris, qui, ut in Sileſiæ Annalibus legitur, tum per Germaniam circumcurſans, in parietibus hoſpitiorum hujuſmodi ſententiam ſcribere ſolitus erat: *Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas eſt oblivio*. Bellum inter *Fridericum* Imperatorem, & *Matthiam* Hungariæ Regem perduravit uſque ad an. MCCCCLXXXIX. quo pax inter utrumque ſancita eſt. Bellum etiam geſſit *Fridericus* Imperator cum *Georgio Poggiebracio*, viro forti, ſed Huſſita, qui poſt mortem *Ladiſlai* Rex Bohemiæ anno MCCCCLVIII. fuit electus. Litteræ, imperante *Friderico*, per Italiam in magno ſplendore fuerunt, Græcorum doctiſſimis, qui captâ à Turcis anno MCCCCLIII. Conſtantinopoli, ad eam accurrebant, æmulatione ſuâ Latinorum acuentibus ſtudia, ſicut opportuniùs oſtendemus in Colloquio quinto agendo de viris Illuſtribus Sæculi XV. At Italia, litteris licèt clara, funeſtis tamen bellis, imperante *Friderico* fuit funeſtata. Mortuo ſiquidem anno MCCCCLVIII. *Alphonſo* Aragoniæ & Siciliæ Rege, quique Regnum Neapolitanum occupaverat, confeſtim J*oannes*, filius *Renati* Andegavenſis, quem ab iſto *Alphonſo*, à Regni Neapolitani poſſeſſione depulſum, in Galliam, patriam ſuam, rediiſſe ſupra obſervavi, magno exercitu collecto, in Apuliam profectus eſt, collatiſque ſignis *Ferdinandum*, filium *Alphonſi* acie victum, & Caſtris exutum in fugam egit, actumque omninò de eo fuiſſet, niſi *Scandebergus*, Epiri Rex, abjectâ omni cunctatione ei ſuppetias tuliſſet. Eo auxilio adjutus *Ferdinan-*

dus

dus hoſtes repulit, & omnia ſibi in Regno Neapolitano à *Joanne* Andegavenſi erepta in poteſtatem recepit, uti refert *Marinus Barletius* libro decimo *de Geſtis Scandebergi*. Alia bella, imperante *Friderico*, excitavit in Italia dominium Ducatus Mediolanenſis. Mortuo namque ſinè liberis *Philippo Maria* Duce Mediolanenſi, *Joannis Galeatii* Ducis Mediolanenſis filio, ad Mediolanenſe dominium *Fridericus* Imperator, *Alphonſus* Aragonum & Siciliæ Rex, *Carolus* Dux Aurelianenſis, *Ludovici* filius, *Franciſcus Sfortia* aſpirarunt, & pro ſuo in illum Ducatum jure acerrimè decertantes, nova bella in Italia moverunt, de quibus legendus eſt *Æneæ Piccolominei* Cardinalis Senenſis liber *de Europæ Statu ſub Friderico Imperatore*. Obiit *Fridericus III.* Lyntzii die VII. Septembris anni MCCCCXCIII. Imperium tenuit per quinquaginta quatuor annos, nullusque Imperatorum, *Octavianum Auguſtum* ſi excipias, tamdiu imperavit. Multa circumferuntur præclara Apophtegmata ab hoc Imperatore dicta, quæ *Æneas Sylvius*, qui fuit poſteà Summus Pontifex, dictus *Pius II.* collegit, eaque Tomo II. *Rerum Germanicarum* inſeruit *Marquardus Freherus*.

D. Quem in Imperio Occidentis ſucceſſorem habuit *Fridericus III.*?

M. Succeſſorem Imperii *Fridericus III.* reliquit filium, quem ex prima conjuge ſua *Eleonora* genuit *Maximilianum* hujus nominis *I.* quem anno MCCCCLXXXVI. jam Imperii conſortem fecerat, & Regem Romanorum ab Electoribus deſignari curaverat. Hujus electionis & coronationis *Maximiliani I.* Hiſtoria deſcribitur Tomo 3. Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri*. Gubernacula ita-

que Imperii Occidentis poſt obitum patris ſuſcepit *Maximilianus* annum agens ætatis ſuæ trigeſimum quintum, Imperiumque per viginti quinque annos ab obitu patris adminiſtravit, utpotè mortuus anno MDXIX. De his, quæ egit *Maximilianus* Imperator ab anno MD. uſque ad annum MDXIX., quo è vivis exceſſit, in Colloquio I. in Hiſtoriam decimi ſexti Eccleſiæ Sæculi ſermonem inſtituam, hìc verò breviter referam illius geſta ab obitu patris uſque ad finem Sæculi XV. In primis, *Maximilianus* multùm ab Hiſtoricis commendatur ob juſtitiam, clementiam, temperantiam, magnanimitatem, modeſtiam, liberalitatem, Chriſtianæ pietatis cultum, & cæteras alias virtutes, quibus præditus erat. In Italiam non ſemel venit, ſed Imperii coronam à Pontifice non accepit, bellis ſemper implicitus cum Gallis, Helvetiis, & Venetis. *Maximilianum* Cæſarem in Italiam anno MCCCCXCVI. advocarunt *Ludovicus Sfortia* Dux Mediolanenſis, aliique Italiæ Principes, unà cum Venetis, qui *Caroli VIII.* Galliarum Regis bellicum metuebant apparatum contra Regnum Neapolitanum, quod Chriſtianiſſimus ille Rex ſibi vindicare in animo habebat; eorum votis annuens *Maximilianus* Expeditionem in Italiam ſuſcepit, ſed ſuo nomini ac dignitati valdè indecoram. Nam Ligurnum unà cum ſuis ac Venetorum & Ducis Mediolanenſis viribus oppugnare volens, turpitèr indè à Florentinis, in Gallico fœdere conſtantiſſimis, repulſus, in Lombardiam rediit, & ibi mutatis ſæpè pro levitate animi conſiliis, demùm in Germaniam adeò inglorius abſceſſit, ut ſeſe Italis, qui à multo tempore Cæſares armatos non viderant, virium ſuarum tenuitate oſtenſâ, deridendum

dum

dum deinceps præbuerit, & Cæſareum nomen Longobardicis dicteriis objecerit. Nec felicior fuit exitus belli, quod anno MCCCCXCIX. cum Helvetiis geſſit *Maximilianus* Cæſar. Ab his quippè ſemper victus eſt, licèt *Cæſariani non ſolùm peditum numero eſſent ſuperiores, ſed & equitatu florentiſſimo inſtructi, ac in cunctis aliis, quæ ad bellicum pertinent apparatum, longè præſtarent; animi autem virtute cederent minimè. Verùm, dum nimiam audaciam maturis præferunt conſiliis, talem ſenſere eventum, qualem contemptus, & nimia parere ſolet temeritas*, ut ait *Bilibaldus Pirkeimerus*, Patritius Norimbergenſis, in hujus belli, quam deſcripſit, Hiſtoria, quæ extat tomo 3. Rerum Germanicarum *Marquardi Freberi*. De bello, quod cum Venetis anno MDIV. egit Imperator *Maximilianus*, & de aliis ejus geſtis uſque ad ipſius obitum, qui, ut mox notavimus, contigit anno milleſimo quingenteſimo decimo nono, opportuniùs dicemus in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæculi decimi ſexti.

D. Galliarum Regum pia pro Fidei Catholicæ propagatione, & extirpandis Hæreſibus ſtudia, curas, leges, necnon maximam reverentiam erga Summos Pontifices, quos interdùm profugos exceperunt, foverunt, & contra eorum hoſtes ac Tyrannos armis potentèr adjuverunt, jam ſatis ſuperque expendimus in noſtris præcedentibus Colloquiis. At vehementèr timeo, ne iſtud florentiſſimum Regnum graviſſimis Sæculo XV. fuerit calamitatibus oppreſſum, regnante præſertim *Carolo VI.* quem per dementiam regnandi impotem evaſiſſe, memini te obſervaſſe in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculorum XIII. & XIV.

M. *Carolus VI.* Galliarum Rex, qui ab anno MCCCLXXX. regnare cœpit, adeò populis ſuis charus fuit ob probitatem, manſuetudinem, pietatem, liberalitatem, aliaſque Regias dotes, ut *Benè Amati* cognomen apud eos conſecutus ſit. Sed, poſtquam *Carolus* Rex anno MCCCXCII. in amentiam incidiſſet, reliquum ejus Regni tempus domeſticis turbis, civilibus, externiſque Anglorum bellis, tributorum gravitate, & diuturno, quod Eccleſiæ ſinum lacerabat, Schiſmate adeò funeſtum fuit, ut niſi Deus auxiliarem manum imminenti Galliarum Regni ruinæ ſuppoſuiſſet, in extremas clades & Anglicam ſervitutem corruiſſet illud Regnum, quod *Carolus VI.* ob continuam penè mentis & corporis infirmitatem per ſe regere haud poterat. Tot malorum fontem & originem hìc breviter aperire neceſſe eſt. *Joannes* Dux Biturigum, & *Philippus* Burgundiæ Dux, *Caroli VI.* patrui, adminiſtrationem Galliarum Regni, ob penè continuum Regis morbum ſuſceperunt, ſecluſo ejuſdem *Caroli* Regis fratre *Ludovico* Aurelianenſium Duce. Hinc Ducem Burgundiæ inter & Ducem Aurelianenſem implacabile odium erupit, quod acriùs recruduit & exarſit, poſtquam, mortuo *Philippo* Burgundiæ Duci, qui naturâ placidior erat, ſucceſſit filius *Joannes*, ingenio ferox, qui bellorum civilium fomitem in Regno Galliæ ſubminiſtravit, & in illud extraneas tandem Anglorum copias induxit. Tentavit quidem, ac diù multùmque laboravit *Joannes* Biturigum Dux, ut ferales iſtæ inter conſanguineos Principes diſcordiæ extinguerentur. Nihil tamen promovere potuit, eòque, exaſperatis hinc inde animis, res perducta eſt, ut *Joannes* Dux Burgundiæ æmu-

æmulum ſuum *Ludovicum* Ducem Aurelianenſem, è Palatio Reginæ tunc ex puerperio decumbentis redeuntem, per ſummum nefas in media Pariſiorum Civitate Sicariorum manu jugulaverit. Hoc immani perpetrato parricidio, in Flandriam, quæ ad ſe materno jure pertinebat, protinus aufugit Dux Burgundiæ, crimen ſuum armis defenſurus. Hinc ad cauſam dicendam vocatus, multo equitatu fretus, & turbâ militum ſtipatus Pariſios venit, & quamvis *Valentina*, Ducis Aurelianenſis vidua, cùm liberis, quos ex eo ſuſceperat, Regis fidem imploraret, ne hoc parricidium inultum pateretur, Rex tamen, qui mentis compos non erat, veniam dedit armato Burgundiæ Duci, cujus parricidii defenſionem impiè ſuſcepit *Joannes Parvus* Theologus Pariſienſis, ejuſdem *Joannis* Ducis Burgundiæ ſtipendiarius, Ducemque Aurelianenſem, ceu *Tyrannum*, licitè à quovis occidi potuiſſe propugnavit. Hæc venia Duci Burgundiæ à Rege conceſſa gravius excitavit belli incendium, nedùm ſopivit. Dux quippè Burgundiæ cum *Henrico V.* Anglorum Rege fœderatus, in Gallias evocavit Anglos, quorum prima irruptio contigit anno MCCCCXV. quo ad *Azincurtium* propè Caletum prælium commiſſum eſt, in quo Galli ab Anglis victi ſunt, & interempti eorum Duces *Alenconius*, *Barenſis*, *Brabantinus*, Comites Nivernenſis, & Marli, *Alebretus* Magiſter Equitum, *Caſtilionæus* Maris Præfectus, Militum Francorum decem millia occubuerunt, captique Duces Aurelianenſis, & Borbonius, Comes Vindocinenſis, *Richemontius*, & *Buſſicaldus* Franciæ Mareſchallus, ac nobiliſſimarum familiarum Proceres permulti. Interim, eodem anno mortuus eſt *Ludovi-*

dovi-

dovicus Galliæ Delphinus, *Caroli VI.* Galliarum Regis filius primogenitus, cui ſucceſſit *Joannes* ejus frater, ſed *Joanni* anno ſequenti, ſeu MCCCCXVI. ex immodico pilæ exercitio è vivis ſublato, *Carolus*, ultimus filiorum *Caroli VI.* in Delphini locum ac ſpem Galliarum Regni ſucceſſit. Contra *Carolum* Galliæ Delphinum novas turbas excivit Dux Burgundiæ, quippè qui Rothomagum, Rhemos, Catalaunum, Trecas, Antiſiodorum occupavit, & *Henricus V.* Angliæ Rex, cum Duce Burgundiæ fœderatus, Cadomum, omnemque Normanniam inferiorem aut expugnavit, aut deditione recepit. Tot malis *Carolus* Delphinus, in quo ſolo totius Regni Galliæ ſpes inclinata recumbebat, pro virili occurrere ſatagebat, & Rothomagum quidèm Duci Burgundiæ eripuit, ſed *Henricus V.* Anglorum Rex longâ obſidione & fame Rothomagum domuit, Urbemque ingreſſus eſt die XIX. Januar. an. MCCCCXVIII. Acceſſit eodem anno civilibus externisque bellis, quibus miſera diſcerpebatur Gallia, Ducis Burgundiæ factio ex Laniis, viliſſimisque conflata hominibus, qui ferrum in Aurelianos acuentes horrendas Lutetiæ Pariſiorum cædes patrarunt, unoque die Comitem *Armeniacum* Regni Comeſtabilem, *Henricum Morleum* Cancellarium, cum aliquot Epiſcopis, Abbatibus, & Parlamenti Senatoribus adverſantibus, aut ſuſpectis Duci Burgundiæ, trucidarunt, tantâque rabie in alios promiſcuè ſævierunt, ut eorum cadavera feris & vulturibus objecta, aut in fluvium projecta, aut è furcis publicis ignominiosè pependerint. *Carolus* autem Delphinus, qui præcipuè ad necem depoſcebatur, vix nudus ex ea ſtrage ſubductus eſt à *Tanneguino de Caſtello*, forti & nobili

li Britone. Inter hæc, delirus Rex *Carolus VI.* equo impoſitus & per urbem circumductus, hæc probare coactus eſt. Dux verò Burgundiæ, qui tunc verſabatur apud Trecas unà cum Regina *Elizabetha* Bavarâ, quæ ſe,amentemque Regem Duci Burgundiæ penitùs tradiderat, ejusque omnibus conſiliis, quantumvis perverſis, Regnoque exitialibus fortiter ſolita erat adhæreſcere, confeſtim Pariſios accurrit, & à Pariſienſibus ingenti pompâ receptus eſt, moxque novâ excitatâ in Aurelianos, ſeu Armeniacos (quo nomine *Caroli* Delphini fautores appellabantur) ſeditione per *Capelucham*, publicum & infamem Urbis ſervum, innumera ſcelera, ſævitiæ & ſacrilegia edita ſunt. Tandèm, divinam ultionem Dux Burgundiæ, belli fax, totque flagitiorum author, expertus eſt anno MCCCCXIX. Cùm enim ad controverſias dirimendas, pacemque amico fœdere ſtabiliendam, conventum eſſet, ut per Colloquii ſpeciem *Carolus* Delphinus, & *Joannes* Dux Burgundiæ, cum denis omninò comitibus, venirent Montoriolum, quà Icauna fluvius Sequanæ immiſcetur, & ad id in medio pontis ligneum tabernaculum fuiſſet conſtructum; ibi inter Principum comites ortâ contentione, Dux Burgundiæ, inſcio, nec iſtis inſidiis conſentiente Delphino, incertâ manû occiſus eſt, atque ita mortem Duci Aurelianenſi ſuo juſſu perfidiosè illatam pari talione luit, & implevit Chriſti Domini dictum, *Matthæi* cap. 26. verſ. 52. *Converte gladium in locum ſuum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

D. Eâ Ducis Burgundiæ nece fuitne planè extinctum incendium ab eo in Galliarum Regno exci-

citatum, & tandem poſtliminio revocata Chriſtianiſſimi hujuſce Regni diù optata tranquillitas?

M. Tantùm abeſt, ut Ducis Burgundiæ mors vaſtitate Regnum Galliæ, incenſione urbes, internecione cives liberarit; ut potiùs, majoribus concitatis turbis, oleum camino addiderit. At enim *Philippus* hujus nominis *II.* cæſi *Joannis* Ducis Burgundiæ filius, ad ulciſcendam illatam patri ſuo necem Superos & Acheronta movit. In primis, Urbem Regiam, Carnutum, Trecas, Regem, & Reginam *Henrico V.* Angliæ Regi tradidit: deindè curavit, ut *Catharina*, Galliarum Regis *Caroli VI.* filia, matrimonium iniret cum eodem *Henrico V.* Anglorum Rege, eâ lege, ut *Henricus* gener, ſi ſocero ſuo *Carolo VI.* ſuperſtes foret, liberique ex *Catharina* procreati in Regnum Galliarum ſuccederent. Poſtremò, conſentientibus *Carolo VI.* qui nec ſui, nec Regni, nec mentis potens erat, & *Elizabetha* Regina, quæ plusquàm novercali odio filium proſequebatur, *Carolum* Delphinum abſentem poſtulavit in judicium de nece Ducis Burgundiæ, fecitque ut judicaretur indignus, qui in Regnum ſuccederet, & omni ſpe regnandi dejiceretur. His ita conſtitutis, *Henricus V.* Angliæ Rex, quaſi Orbis terrarum victor, in Angliam reverſus eſt, fratremque ſuum Ducem Clarentiæ Pariſiis reliquit cum titulo Gubernatoris Galliarum Regni. *Carolus* Delphinus in his rerum anguſtiis copias collegit, & prælium anno MCCCCXXI. cum Anglis ad Baugium in Andibus conſeruit, in quo Angli magnâ clade affecti ſunt, cæſusque Dux Clarentiæ, *Henrici V.* Anglici Regis frater. Hanc cladem cùm accepiſſet *Henricus* Anglorum Rex, fraternos ma-

manes ulturus, cum ingentibus copiis venit in Gallias, ſed infauſto exitu, nam totum penè ipſius exercitum peſtis, fames, & ruſticorum exercitus diſſiparunt. Minuit tamen utcùmque dolorem utriusque cladis *Henrico V.* Angliæ Regi genitus ex *Catharina* filius *Henricus*, hæres Galliarum Regni injuſtè deſignatus per pacta matrimonii *Catharinæ* Franciæ, *Caroli VI.* filiæ, cum *Henrico V.* Anglorum Rege, quæ Obſervationibus ſuis in Hiſtoriam *Caroli VI.* inſeruit *Godefridus* pag.696. Verùm perbrevem ex hoc nato ſibi filio lætitiam habuit *Henricus V.* Angliæ Rex. Anno ſiquidem ſequenti, ſeù MCCCCXXII. *Henricus* Angliæ Rex in morbum incidit, eoque ingraveſcente, ad Vincennarum nemus delatus obiit, duosque ſibi ſuperſtites fratres reliquit *Betfortium*, & *Gloceſterium* Duces, quorum primo Regni Franciæ, alteri Angliæ Regni adminiſtrationem partitus eſt, eosque rogavit, ut ejus filio *Henrico*, qui unius dumtaxat anni puer erat, patrum loco eſſent, donec adoleſceret. *Henrici V.* Angliæ Regis mortem ſecuta eſt eodem anno MCCCCXXII. *Caroli VI.* Galliarum Regis mors, atque ita demùm factum eſt, ut *Carolus* Delphinus, *Caroli VI.* Galliarum Regis filius, tot hactenùs ſævis tempeſtatibus actus, defuncto patre, in jura regiæ ſucceſſionis, & naturæ lege, & gentium Inſtitutis, & Franciæ inconcuſſo jure vocatus ſit, dictus Rex *Carolus VII.* cognomento *Victor*, eò quòd Regnum Franciæ ferè perditum, & ab Anglis occupatum recuperaverit tum bellica virtute, tum præſertim fretus auxilio Dei, qui his calamitoſis temporibus *Joannam Darciam*, Aurelianenſem Puellam, vulgò Gallicè dictam *La Pucelle d'Orleans*, velut

lut alteram *Deboram*,ſuſcitavit,quæ ultima metuentium Gallorum animos erigeret, Patriam liberaret, Anglos profligaret, Regem,remque Francicam in priſtinum ſplendoris ſtatum reſtitueret.

D. Geſtio quàm maximè ſcire præclara facinora, quibus hæc Puella Aurelianenſis, *Joanna Darcia*,Regem *Carolum VII.* à potentiſſimis hoſtibus Anglis, totumque Galliarum Regnum ab imminenti ruina vindicaverit?

M. Non omnia iſtius heroinæ Puellæ Aurelianenſis toto Orbe celebrata facinora hìc referenda ſuſcipiam, cùm bellica facta hujus Puellæ, quæ magnum Hiſtoriæ, & Galliarum Regni decus eſt ac ornamentum, libri potiùs materiem, quàm Compendii Hiſtorici ſuppeditent argumentum; ſed illuſtriora tantùm ejus geſta perſtringam, ut indè intelligas, Deum aliquandò infirma eligere, ut fortia quæque confundat. *Joanna Darcia*, ruſticana, & ſimplicis animi Puella, nata eſt in agro Tullenſi, *Jacobo* patre Agricola, & *Izabella* matre. A Deo, dum paſcendo ovium gregi intenta eſſet, juſſa eſt ad Galliarum Regem proficiſci, arma induere, collapſum abſque ulla ſpe Regnum erigere,& perduellium populorum factiones vireſque infringere. Redactus erat eo tempore ad ultimas anguſtias Gallorum Rex *Carolus VII.* & bis acie victus, *Rex Biturigum* ab hoſtibus per ludibrium dicebatur. Aureliam, nobiliſſimam Galliæ Celticæ urbem, obſidione cinxerant Angli, eamque mox occupaturi erant, cùm ad Regem *Carolum VII.* cui ultimum imminebat periculum, hæc Puella divinis inſtincta vocibus venit, aſſerens ſe à Deo miſſam eſſe, ut Aureliam ab Anglica obſidione liberaret, & ſtatim

tim Martio ardore ſuccenſa, in ferrum, ignem,gladios, & in omnia vitæ diſcrimina ultrò proſiliens ad ſolvendam Aureliæ obſidionem intrepidè perrexit, & per hoſtium munitiones impetu facto, obſeſſis auxilia, commeatumque intulit. Dein,Anglos aggreſſa, crebris irruptionibus eos fregit, ab urbe repulit, ad *Patajum*, Belſiæ vicum, profligavit, capto *Talleboto* Anglorum exercitus Duce. Regem *Carolum VII.* per medios hoſtes ad inaugurationem ſuſcipiendam Remos perduxit, Urbes Trecas, Catalaunum, Remoſque Regiæ poteſtati ſubjecit,Bellovacum, Laudunum, Sueſſiones, Compendium, Silvanectum, aliaque Oppida Anglis eripuit. Tandèm, irrito conatu Lutetiâ ab Anglis tentatâ, Compendienſibus ab iiſdem Anglis obſeſſis ſuppetias ferens hæc Puella, dicta Aurelianenſis, urbem ingreſſa eſt, ſed poſterâ die eruptionem faciens, ab hoſtibus capta, in Anglorum poteſtatem venit, à quibus Rothomagum ducta, & magiæ, hæreſeos, & luxuriæ per calumniam accuſata, ac nemine in ejus defenſionem hiſcere auſo, Sæculari tradita Magiſtratui,viva in foro exuſta eſt die XXXI. menſis Maji anni MCCCCXXXI. Verùm, iſtius heroinæ Puellæ Aurelianenſis innocentia multis momentis liquidò comprobari poteſt. Primò, quia *Carolus VII.* Galliarum Rex, ei prædicanti, ſe à Deo miſſam fuiſſe, non priùs fidem adhibuit, quàm variis interrogationibus à Theologis, Juriſperitis, Proceribus, & Senatu Pariſienſi tunc Pictavium translato, tentata ac probata fuiſſet, & ipſa prudentèr, conſtantèr ac ſanctè ad omnia reſpondiſſet. Secundò, hanc Puellam innocentem, ac Deo charam fuiſſe facilè perſuadent, tum ſecundiſſimus rei ſecutus exitus, qualem

lem non niſi Deo auctori adſcribere fas ſit: tum etiam ingentia ejusdem Puellæ, duodeviginti annos dumtaxàt tum temporis natæ, in Regem, totumque Galliarum Regnum merita, quæ Rex *Carolus VII.* commendavit Regio Diplomate, quo mirabilem illam Puellam, ejusque patrem, matrem, fratres, conſanguineos, ac eorum poſteros, ad nobilium ordinem anno MCCCCXXIX. evexit, ut videre eſt apud *Dionyſium Godefridum*, qui Regium iſtud Diploma refert in ſuis Obſervationibus ad Hiſtoriam *Caroli VII.* Tertiò, vitæ illius Puellæ innocentiam, ac Sententiæ in eam ab hoſtibus latæ iniquitatem luculentèr oſtendunt graviſſimi Scriptores, quos laudat *Joannes Hordal* in Vita ejuſdem admirabilis Puellæ. Hi ſiquidem probatiſſimæ fidei Scriptores, de illius Puellæ natalibus, vitâ, religione, moribus, rebusque geſtis ſermonem habentes, teſtantur, Virginem illam injuriâ fuiſſe damnatam. Non inficior quidem, hanc Puellam Aurelianenſem ab Univerſitate Pariſienſi cenſurâ eſſe perſtrictam tanquam proditricem, doloſam, crudelem, ſitibundam effuſionis ſanguinis humani, ſeditioſam, & ad tyrannidem provocantem, Schiſmaticam, Apoſtatricem, divinatricem, blaſphemam in Deum, contemptricem Dei in ſuis Sacramentis, Legis divinæ ac ſacræ doctrinæ, Sanctionumque Eccleſiaſticarum prævaricatricem, malè ſapientem & errantem in fide, atque de Idololatria ſuſpectam &c. Hanc Univerſitatis Pariſienſis Cenſuram *Egaſſius Bulæus* inſeruit tomo 5. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis à pag. 394. uſque ad pag. 409. At, iſtius Cenſuræ Univerſitatis Pariſienſis nulla ratio meritò haberi debet, tum quia extorta fuit ab *Henrico VI.* Angliæ

Rege,

Rege, qui tunc Pariſiis dominabatur, ſeque Galliæ Regem appellabat, & à *Petro Cauchonio*, Vinitoris in agro Remenſi filio, Epiſcopo Bellovacenſi, inſigni Anglorum fautore, patriæ, religionis & æquitatis proditore; tum quia etiam *Calliſtus III.* Pontifex Maximus, volens ut cauſa Puellæ Aurelianenſis diligentiùs examinaretur, dedit anno MCCCCLVI. Judices *Joannem* Archiepiſcopum Remenſem, *Guillelmum* Pariſienſem, *Ricardum* Conſtantienſem, Epiſcopos, qui, viſis & accuratè expenſis omnibus & ſingulis Proceſſus Inſtrumentis, Actis, monumentis, & Scripturis, Puellam Aurelianenſem innocentem dixerunt, pronuntiarunt, declararunt, & omnes Proceſſus in ipſam factos, vel Sententias in eam latas, tanquam *dolum, calumniam, iniquitatem, repugnantiam, juriſque & facti errorem continentes* damnarunt, atque auctoritate Apoſtolicâ omninò reſciderunt, & in irritum miſerunt, ut conſtat ex Sententia ab his latâ, quam ex Regio Cartophylacio erutam, in ſuis ad Hiſtoriam *Caroli VII.* Obſervationibus edidit *Dionyſius Godefridus* pag. 903. Legendus eſt etiam *Egaſſius Bulæus* pag. 406. ejuſdem Tomi Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, ubi apertè innuit, hanc Univerſitatis Pariſienſis Cenſuram contra Puellam Aurelianenſem, inſtigante *Henrico* Angliæ Rege, qui etiam ſe Galliæ Regem nuncupabat, factam fuiſſe, eâque de causâ eumdem *Henricum* Regem, ne quid probri in Epiſcopum Bellovacenſem, in Doctores Pariſienſes, alioſque, qui in hoc negotium inquiſierant, jaceretur, eos ſuis litteris immunes eſſe voluiſſe; Univerſitatem quoque Pariſienſem ad Summum Pontificem, ad Collegium Cardinalium, & ad Imperatorem litteras

perſcripſiſſe, in quibus totius negotii ſeriem, executionemque judicii exponit. Quas Univerſitatis Pariſienſis litteras poſtquàm deſcripſit *Egaſſius Bulæus*, ſubdit: *Cæterùm Valeranus Varanus*, Theologus Pariſienſis, *ſub finem libri IV. vitæ*, quam carmine conſcripſit, Puellæ Aurelianenſis, ait, *Cor Virginis Aurelianenſis mediis in cineribus illæſum intactumq; & ſanguine plenum fuiſſe inventum*:

Poſtremò enituit pietas in morte Puellæ,
In cinerem cunctos dum flamma reſolveret artus,
Illæſas cor habet venas, mirabile dictu,
Nec ſinceri animi temerant incendia ſedem;
Albaque tum viſa eſt orbi prodire columba,
Et petere Æthereos, multis ſpectantibus, Orbes.

His & aliis momentis probatur innocentia Puellæ Aurelianenſis, quam ſtatim ac Angli iniquè damnaſſent ac vivam combuſſiſſent, toto Galliarum Regno pulſi ſunt magnis cladibus affecti, & omnes urbes, quas occupaverant, in *Caroli VII.* Galliarum Regis, ubique victoris, poteſtatem ac fidem receptæ. Sic res Anglorum poſt Puellæ Aurelianenſis ſupplicium in præceps ruentes documento fuerunt, hanc *Sampſonis* æmulam morte ſuâ & flammis plus eis, quàm vitâ & armis nocuiſſe. In iſtius gloriæ partem cum Puella Aurelianenſi optimo jure venire debet *Carolus VII.* ſapientiſſimus & fortiſſimus Galliarum Rex, qui ampliſſimas Urbes, & integras Provincias per nefariam conjurationem ab ejus obſequio divulſas partim armis, partim deditione recepit, ac ſummâ voluptate perfuſus omnia in ſuo Regno derepente in melius mutata vidit, quæ ipſe depoſita propemodùm & conclamata invenerat, dum, mortuo patre ſuo *Carolo VI.* Regni habe-

habenas moderari cœpit. Regnavit autem in Galliis *Carolus VII.* annos triginta novem, & obiit anno MCCCCLXI. Fuit optimus Princeps, cujus pietatem, fortitudinem, juſtitiam, benignitatem, ſtudium Religionis & pacis Eccleſiaſticæ, cæteraſque alias Regias dotes paſſim prædicant Scriptores. Eo regnante procuſa eſt ab Epiſcopis Eccleſiæ Gallicanæ in Concilio Bituricenſi anno MCCCCXXXVIII. celebrato *Pragamatica ſanctio*, quæ in Galliis viguit uſque ad annum MDXVI. quo, inito *Leonem X.* Pontificem Maximum inter & *Franciſcum I.* Galliarum Regem *Concordato Gallico*, ut vocant, abrogata eſt pragmatica illa ſanctio, ſicut fuſiùs oſtendemus in ſexto Colloquio in Hiſtoriam Sæculi decimi ſexti. Quatuor filios, & ſeptem filias *Carolus VII.* ſuſcepit ex conjuge ſua *Maria*, filiâ *Ludovici II.* Ducis Andegavenſis; ſed duo dumtaxat filii ei ſuperſtites vixerunt *Ludovicus*, & *Carolus*, quorum primus *Carolo* patri ſucceſſit in Galliarum Regnum, dictuſque eſt *Ludovicus XI.*

D. Virtutum Patris ſui *Caroli VII.* ſicut, & Galliarum Regni, hæreſne fuit ac ſtudioſus ſectator *Ludovicus XI.*

M. Patri ſuo *Carolo VII.* longè diſſimilem ſeſe in Galliarum Regni adminiſtratione exhibuit *Ludovicus XI.* qui, motâ in patrem rebellione, apud *Philippum* Burgundiæ Ducem exul vixit, donec fuerit poſt mortem patris Galliarum Rex ſalutatus annos undequadraginta natus. Eum Principem fuiſſe ingenio quidem perſpicaci, & acuto, ſed callido, verſatili, ſuſpicioſo, pervicaci, vario, & incerto, memoriæ prodiderunt Hiſtorici. Enituit in ipſo præſertim haud vulgaris prudentia politica, quâ

ſe è graviſſimis periculis expedire,& à negotiorum difficillimorum ambagibus explicare ſolebat. Enim verò, ſub exordium Regni ſui ad Regis Aragoniæ cum *Henrico* CaſtellæRege dirimendamControverſiam electus arbiter *Ludovicus XI.* ſuis ipſe rebus ſemper intentus, Comitatus Ruſcinonenſem, & Cerdaniæ Regno ſuo adjunxit. Nec iis contentus, quatuor ad Somonam urbes, *Sanquitinum*, *Peronam*, *Ambianum*, *Abbavillam*, cum Comitatu Pontinenſi, & alia Oppida, quæ vi pacis Atrebatenſis *Carolus VII.* Galliarum Rex, pretio quadringentorum millium aureorum *Philippo* Burgundiæ Duci oppignaverat, corraſis undequaque pecuniis, redemit. Id iniquo animo tulit *Carolus* Comes Caroleſii, *Philippi* Ducis Burgundiæ filius, à quo Principes, & nobiles Galliæ ſollicitati, ſe adverſus Regem *Ludovicum XI.*, quem oderant, paratos oſtenderunt, & in eum conjurationem fecerunt, quæ dicta eſt *Factio boni publici*, eò quòd conjurati illi Principes, licèt peculiarem odii cauſam, & belli gerendi occaſionem haberent, cauſam tamen boni publici prætexerent, & neceſſitatem tollendi vectigalia, quibus populus opprimebatur. Pugnam cum exercitu conjuratorum ad *Montem Lehericum*, qui ab urbe Lutetia octavo circiter lapide diſtat, commiſit die XXVII. Julii anni MCCCCLXV. *Ludovicus XI.* ſed cùm neutri exercitui ſatis liquida victoria conſtitiſſet, & aliundè fœderati Principes, magnas undecumque copias accipientes, bellum acriùs inſtaurarent; conſultiùs viſum eſt *Ludovico XI.* ſequi ſaluberrimum conſilium ſibi datum à *Franciſco Sfortia* Duce Mediolanenſi, ut videlicèt Principibus contra ipſum fœde-

fœderatis omnia, quæ peterent, in præſenti concederet, diſtractos deinde à ſe invicem ſingulos datâ occaſione opprimeret. Eo conſilio tempeſtivè uſus *Ludovicus XI.* pacem cum Principibus conjuratis pepigit ad *Confluentium* propè Pariſios die v. menſis Octobris anni MCCCCLXV. cujus initæ pacis conditiones Obſervationibus ſuis in Hiſtoriam *Philippi Cominæi* inſeruit *Dionyſius Godefridus* pag. 403. Editionis Regiæ. Hoc pacto diſſipata eſt illa Principum fœderatorum in *Ludovicum XI.* Galliarum Regem Factio excitata potiſſimùm à *Carolo* Comite Caroleſii, *Philippi* Ducis Burgundiæ filio, qui unde ſibi ditionum ſuarum incrementa pollicebatur, inde ſibi ultimum excivit exitium. Nam cùm eſſet naturâ ferox, amplis opibus ſuperbiens,& novarum cupidus rerum,finitimos laceſſere non deſtitit,præſertim *Renatum* Lotharingiæ Ducem, quem Principatu ſpoliatum compulit in Franciam fugere. Poſteà, Helvetios aggreſſus, infelici marte cum eis pugnavit, duobus prælіis magnâ ſuorum internecione profligatus. Quò factum eſt, ut *Renatus* Lotharingiæ Dux opibus *Ludovici XI.* ſuffultus, ademptum ſibi Principatum recuperarit, quem,dùm *Carolus* Comes Caroleſii, *Philippi* Ducis Burgundiæ filius, iracundiâ præceps,denuò invadere molitur,& *Nancejum* obſidet,à *Renato* Lotharingiæ Duce, Germanicis, & Helveticis auxiliis inſtructo,victus, in prælio cecidit die v. Januarii anni MCCCCLXXVI. unicâ relictâ filiâ *Maria*, quæ *Maximiliano*, Imperatoris *Friderici* filio, nupta eſt. Auditâ *Caroli* Ducis Burgundiæ morte, *Ludovicus XI.* Galliarum Rex, Burgundiæ Ducatum occupavit, veteremque in Belgio ditionem poteſtati ſuæ

ſubjecit. Tandem *Ludovicus XI.* graviſſimo ac diuturno morbo implicitus, mortiſque horrore perculſus, omnibus Sanctis vota nuncupavit, ut valetudinem recuperaret, & longiori vitâ potiretur, cujus tanto deſiderio tenebatur, ut Medico ſuo ſingulis menſibus decem millia nummûm donaret. Quin etiam ex Calabria *S. Franciſcum de Paula*, Ordinis FF. Minimorum Fundatorem, evocavit, à quo de voluntate Dei, qui ipſum ex hoc mundo vocare decreverat, admonitus, ejuſdem Sancti precibus, & adhortationibus mortem tranquillo animo expectavit, & omnibus Eccleſiæ munitus Sacramentis obiit die XXIX. Auguſti anni MCCCCLXXXIII. ejuſque Corpus in Æde B. *Mariæ de Cleriaco* ſepultum eſt. Filio ſuo *Carolo*, quem ex *Carola*, filiâ *Ludovici* Sabaudiæ Ducis, ſuſceperat, egregia ante obitum ſuum documenta dedit, quæ legi poſſunt inter *Obſervationes Dionyſii Godefridi* pag. 488. Legendus pariter eſt *Philippus Cominæus*, qui *Ludovici XI.* & *Caroli VIII.* Galliæ Regum *Hiſtoriam* Gallicè ſcripſit, quam *Juſtus Lipſius* in Notis *ad primum librum Politicorum* judicat eſſe dignam, quæ ab omnibus *Alexandris* legatur, & quam ſibi, veluti in Breviarium Imperatorium, aſſumpſerat *Carolus V.* Cæſar.

D. Mortuo *Ludovico XI.* nulliſne turbis agitatum eſt Galliarum Regnum?

M. Moriens *Ludovicus XI.* tutelam filii ſui *Caroli*, qui tertium decimum agebat annum, commiſerat *Annæ* ſorori ſuæ, quam *Petrus Borbonius*, Bellijoci Dominus, uxorem duxerat. Eam ſibi prælatam ægrè tulit *Ludovicus* Aurelianenſis Dux, qui ad *Franciſcum* Britanniæ Ducem fugiens ac belli facem præferens, pleroſque Regni Proceres in

ſocie-

ſocietatem vocavit;ſed commiſſo ad Fanum *Albini* in Aremoricis cum regiis Ducibus prælio,Dux Aurelianenſis victoriâ pariter ac libertate cecidit anno MCCCCLXXXVIII. & à Galliarum Rege *Carolo* hujus nominis *VIII.* filio *Ludovici XI.* per triennium in carcere detentus eſt., Supplici tamen Britanniæ Duci eâ lege venia conceſſa eſt, ut quod armis Regis *Caroli VIII.* partum erat, id in illius poteſtate maneret. Inter hæc, *Franciſco* Britanniæ Duce defuncto, *Annam*, ejus filiam, *Maximiliano* Romanorum Regi pactam, matrimonio ſibi copulavit *Carolus VIII.* repudiatâ *Margarita*, filiâ *Maximiliani*, quam, Patre *Ludovico XI.* auctore, ſibi deſponderat. Id autem omninò neceſſarium eſſe duxit *Carolus* Rex, ut Britannia, pro qua totiès cruentis admodùm præliis decertaverant Galli, redemptis, ac conciliatis eo conjugio Britonum animis, priſtinâ quiete frueretur, & ut prædicta Provincia, quæ ad arcendas Anglorum Claſſes maximè opportuna erat, Gallico Dominio in perpetuum amico fœdere uniretur. Hujus matrimonii Pacta *Carolum VIII.* inter & *Annam*, Britanniæ Ducis filiam, inita die XIII. menſis Decembris anni MCCCCXCI. publicavit *Dionyſius Godefridus* in ſuis Obſervationibus pag. 622. eademque ex *Argentræo* Aremoricæ Hiſtoriæ Scriptore Latinè inſeruit in ſuis Obſervationibus in Commentarios *Philippi Cominæi* pag. 518. Hoc *Caroli* Regis matrimonium haùd parùm movit *Maximiliani* Romanorum Regis ſtomachum, tum ob repudii filiæ ſuæ *Margaritæ* opprobrium, tùm maximè ob ſibi abreptam Britanniæ prædam, quam ex matrimonio *Annæ*, Britanniæ hæredis,ſeipſum conſecuturum ſperabat.

Suâ itaque ſpe deluſus *Maximilianus* bellum *Carolo VIII.* Galliarum Regi intulit, ſed cùm ei viribus impar eſſet, pacem cum ipſo, receptâ filiæ dote, inire coactus eſt. Hujus ſancitæ pacis Tractatum Silvanecti confectum die XXIII. menſis Maji anni MCCCCXCIII. refert ſæpè laudatus *Dionyſius Godefridus* in Obſervationibus ad Hiſtoriam *Caroli VIII.* pag. 640. & ad *Philippi Cominæi* Commentarios, pag. 507. Eo Auſtriaco bello feliciter confecto, paceque in Regno compoſitâ, *Carolus VIII.* Expeditionem Italicam magno animo ſuſcepit, ad eam præcipuè inſtigatus à *Ludovico Sfortia* Mediolani Principe, qui exitialibus odiis à *Ferdinando* Rege Neapolitano, & ab *Alphonſo* ejus filio diſſidebat. Anno itaque MCCCCXCIV. *Carolus* Rex ſuperatis Alpibus in Italiam deſcendit, eamque repentino terrore complevit. Piſis, Florentiæ, & Romæ magnificè exceptus, rectà Neapolim duxit exercitum, totoque Regno, nemine obſiſtente, potitus eſt. Hic rapidus victoriarum, triumphorumque curſus timorem incuſſit Venetis, & *Ludovico Sfortia* Duci Mediolanenſi, qui adiunctis ſibi *Maximiliano* Imperatore, & *Ferdinando* Hiſpaniȩ Rege, clàm etiam *Alexandro VI.* Pontifice Maximo favente, conjurationem fecerunt, & *Carolum VIII.* Galliæ Regem, ordinatis in Apulia rebus, in Galliam redeuntem intercludere decreverunt. Erant in Venetorum caſtris millia quadraginta armatorum, *Carolo* verò Regi ſeptem haùd ampliùs millia militabant. Nihiloſeciùs, commiſſo, apud *Forum-Novum* non longè à Parma Civitate diſtans, prælio, ab exigua Gallorum manu perrupta ſunt hoſtium caſtra, & Rex è tantis anguſtiis, Deo faven-

favente, liberatus, gloriæ ac decoris plenus rediit in Gallias anno MCCCCXCV. Hic fuit exitus illius Expeditionis Italicæ, in qua, ut candidè fatear, bellica Gallorum virtus, quàm prudentia magis emicuit, tantâ ſiquidem incuriâ Galli, oblectationibus ac ludis dediti, hoc adminiſtrabant Regnum, ut ad id diſſipandum, non occupandum veniſſe viderentur. Hinc anno ſequenti, ſeu MCCCCXCVI. Neapolitani, cæterique omnes ad *Ferdinandum* defecerunt, & paulò poſt, mortuo *Gilberto Mompenſerio* Prorege Neapolitano, Galli ex Italia exceſſerunt, tam facilè perdito Neapolis Regno, quàm parto. *Carolus VIII.* in Galliam reverſus, obiit Ambaſiæ in Turonibus die ſeptimâ Aprilis anni MCCCCXCVIII. annos natus duodetriginta, repentinâ morte, ſeu Apoplexiâ ſublatus, prævisâ tamen, ac maculis conſcientiæ paulò ante deterſis accuratè per pœnitentiam, & Confeſſionem Sacramentalem. Fuit optimus Princeps, magnificus, comis, pius, ac liberalis. Waldenſes Hæreticos in Vallibus, aliiſque Delphinatus locis adhuc degentes partim exterminavit, partim ad Catholicam Religionem cum ſumma ſollicitudine revocavit. *S. Franciſcum de Paula* maximâ veneratione proſecutus eſt, & Ordinem FF. Minimorum recèns ab eo inſtitutum fovit, & Regiâ munificentiâ ipſis plura Cœnobia fundavit, *Pleſſiaci* nimirum, *Ambaſiæ*, & *Romæ* celebre illud *Trinitatis de Monte*, in quo ſtatuit, annuente Romano Pontifice, ut Superior, quem *Correctorem* vocant, ſemper Gallus eſſet, nullique unquàm Fratres in eo recipi poſſent, niſi è Galliis oriundi. Quam legem etiamnùm accuratiſſimè obſervant ejuſdem Cœnobii Patres,
veri

veri filii S. *Franciſci de Paula*, cujus ſanctitatem arctiſſimâ, ſibique ſempèr conſtanti vitæ regularis diſciplinâ æmulantur, & ſuaviſſimum virtutum, odorem longè latèque diffundunt. Nullum ſuperſtitem filium reliquit *Carolus VIII.* Galliarum Rex. Quapropter ei ex lege ſucceſſit *Ludovicus*, Dux Aurelianenſis, agnatione proximus, qui Rhemis inauguratus, dictus eſt *Ludovicus XII.* Rex ſine controverſia magnus, ſingulari fortitudine, prudentiâ, & clementiâ nulli ſecundus, tantâque ergà ſuos ſubditos charitate præditus, ut dulce, ac Principibus perhonorificum *Patris Populi* cognomen promeritus ſit. Adeò à vindicta alienum gerebat animum, ut à nonnullis incitatus in eos, à quibus ſub *Carolo VIII.* offenſus fuerat ac vexatus, incunctantèr reſponderit: *non eſſe Regis Francorum vindictam ſumere de injuriis Duci Aurelianenſi illatis*. Ut primùm Galliarum Rex ſalutatus eſt *Ludovicus XII.* ſe utriuſque Siciliæ, ac Hieroſolymorum Regem, & Mediolanenſem Ducem appellari voluit, ad Expeditionem Italicam animum appulit, totuſque in eam incubuit. Sed de hac Expeditione Italicâ, è qua magni prodierunt tumultus, qui totam Italiam, ac propè Galliam concuſſerunt, ſicut & de aliis Geſtis *Ludovici XII.* Galliarum Regis, commodiùs agemus in primo Colloquio in Hiſtoriam Sæculi decimi ſexti, quo ineunte abiit è vivis *Ludovicus Rex*, ſeu anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto.

D. Galliam irruptionibus Anglorum Sæculo decimo quinto fuiſſe infeſtatam, ac tandem, ſupremo favente numine, excuſſo illorum jugo, priſtinam libertatē recuperaſſe, ſatis hactenùs expoſuiſti.

Nunc

Nunc verò, quo loco Res Eccleſiæ in Anglia eſſent, breviter oſtendere debes, exhibendo ſeriem, Geſtaque Regum, qui Sæculo decimo quinto ſummâ rerum in Angliæ Regno potiti ſunt.

M. Regnabat in Anglia ſub finem decimi quarti Sæculi *Richardus* hujus nominis *II.* ſicut oſtendimus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæcul. XIII. & XIV. At *Richardo* Rege anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono injuſtè exauctorato & abdicare coacto, *Henricus*, filius *Joannis* Ducis Lancaſtriæ, Regnum Angliæ uſurpavit, ſibique parricidio firmavit, ſublato è vivis *Richardo* legitimo Rege, quem detruſum in Turrim Londinenſem captivum detinebat. Occiſo itaque *Richardo*, Regno Angliæ potitus eſt *Henricus* hujus nominis *IV.* qui tamen eo Regno parto tam grandi ſcelere uſus non eſt. At enim, præter varios motus, conjurationeſque Procerum, *Henrici Percii*, & *Duglaſſii* Comitis Scoti, bellaque civilia, quæ in Wallia excitata ejus Regnum turbulentum, & inquietum reddiderunt; nihil propiùs fuit, quàm ut acerrimo bello, eoque juſtiſſimo à Gallis impeteretur ob dotem *Iſabellæ* filiæ *Caroli VI.* Galliarum Regis, quam *Richardus II.* Angliæ Rex uxorem duxerat. At *Iſabella* cum dote, & ſuppellectili in Galliam remiſsâ, pacem cum Gallis compoſuit *Henricus IV.* Turbas etiam in Regno Angliæ excitarunt Hæretici Wicleffiſtæ, quos Rex *Henricus IV.* ſemper execratus, & inſectatus eſt, cùmque, Parlamento Conventriæ Congregato, Proceres quidam Wicleffianæ hæreſeos veneno infecti ei ſuaderent, ut, exhauſto Regni ærario, in Eccleſiæ bona manum mitteret, & huic pravo conſilio animosè reſi-

reſiſteret *Thomas Arundellius* Archiepiſcopus Cantuarienſis, reſpondit Rex, ſibi propoſitum eſſe Eccleſiæ Jura, libertatemque ſervare. Eccleſiæ leges perutiles tulit *Henricus IV.* Angliæ Rex, inter quas edixit, ne Clerici ad Sæculare Tribunal raperentur,& ne pueros infra annũ ętatis decimum quartum Religioſi Mendicantes Monaſtico habitu induerent, abſque parentum, vel Tutorum conſenſu. Obiit *Henricus IV.* dùm Expeditionem Hieroſolymitanam cogitaret, die xx. menſis Martii anni MCCCCXIII. Londini in Ædibus Abbatis Weſtmonaſterienſis, in Cubiculo, cui nomen *Jeruſalem*, ex quo ſtatim intellexit Rex, ſibi ultimum vitæ terminum imminere, impletumque illud vaticinium, quo prænunciatum fuerat, *Jeruſalem* ſibi fatalem fore. Collegium Vvindeſorienſe magnificis Ædibus, poſſeſſionibus, privilegiis, & præſertim, delato illùc S. *Georgii* Martyris, Ordinis Periſcelidis, & Militiæ Anglicanæ patroni capite, ornavit, & alia præclarè geſſit, quæ legi poſſunt apud *Polydorum Virgilium* in Hiſtoria Anglicana, & *Nicolaum Harpsfeldium* Sæculo xv. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglorum*. Mortuo *Henrico IV.* in Angliæ Regnũ ſucceſſit *Henricus V.* ejus filius, annos natus XXVI. Princeps bellicoſus, qui ſuo non contentus Regno, æſtu ambitionis abreptus Galliæ Regnum invadere, armisque ſubigere pro viribus tentavit. Hinc, ut paulò antè diximus, captatâ occaſione ægritudinis *Caroli VI.* deliri Galliarum Regis, & feralium diſſidiorum, quæ inter Principes fervebant, Galliæ bellum intulit, Gallisque Azincurtio prælio victis, occupatâ Normanniâ, & aliis captis Provinciis, ipſum *Carolum VI.* Galliarum Regem in ſuam

ſuam poteſtatem redegit, *Catharinam*, ejusdem *Caroli* Regis filiam, duxit uxorē, ac tandem Pariſios veniens ingenti lætitiâ a ſtulto populo exceptus eſt, Regniquę Galliarum Rector, ac Hæres fuit renuntiatus anno milleſimo quadrigenteſimo vigeſimo. Verùm, tot victoriarum *Henrici* Regis Angliæ curſum citò abrupit Deus rebus Gallicis maximè propitius. Anno ſiquidem milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, die ultimâ Auguſti obiit in caſtro Saltus Vincennarum propè Pariſios *Henricus V.* Angliæ Rex, & moriens teſtatus eſt, votum ſe concepiſſe petendi Hieroſolymam ad ſanctam Civitatem de manibus Infidelium eruendam. Quâ profectò Expeditione ſacrâ majorem gloriam conſecutus fuiſſet, quàm Chriſtianos ſinè cauſa invadendo, & *Carolum* Delphinum, legitimum Galliarum Regni hæredem, proſcribendo, eumque judicando indignum, qui in Regnum ſuccederet. Undè non mirum, ſi *Carolus* Galliæ Delphinus, ab hac iniquiſſima Sententia ad Deum provocans, eum auxiliatorem fuerit expertus, ejusque potentiſſimo adjutus præſidio, non ſolùm Anglis, ſed & aliis hoſtibus in ipſum conſpirantibus par, immò ſuperior extiterit, ſicut ſuperiùs oſtendimus. Cæterùm, piè ex hac vita migraſſe *Henricum V.* Angliæ Regem, eumq; magnanimitate, prudentiâ, fortitudine, ſcientiâ militari, aliisq; virtutibus inter omnes ſui temporis Principes eminuiſſe, teſtantur Hiſtorici *Polydorus Virgilius*, *Harpsfeldius*, & *Walſinghamus*. Inter ejus pietatis opera, hæc potiſſimùm à laudatis illis Scriptoribus celebrantur, quòd videlicèt ſub exordium Regni ſui ſolutiorem Adoleſcentiæ ſuæ vitam, ejectis ex Aula voluptatum,

tum, laſciviæque ſociis, ità emendaverit, ut cæteris virtutis, & modeſtiæ exemplo eſſet: Quòd Carthuſianis,& Brigitanis Virginibus duo Cęnobia extruxerit,fundarit,locupletarit:Quòd denique ad Magiſtratus & publica munera viros integerrimos, & ab omni avaritiæ labe, aut partium ſtudio alienos adlegerit. Filium unicum *Henricus V.* Angliæ Rex reliquit ex conjuge ſua *Catharina*, Regis Galliarum *Caroli VI.* filia, dictum *Henricum VI.* paterni Regni hæredem, anniculum puerum, cujus ſpecialem educationis curam *Thomæ* Exonienſi Duci, & *Henrico* Vvintonienſi Epiſcopo credidit. *Joannem*, Ducem Bethfordiæ, fratrem ſuum, Regni Francorum: *Humfredum*, fratrem alterum, Ducem Gloceſtrenſem, Regni Anglici Procuratorem inſtituit. Intereà, vehementibus licèt bellorum tam civilium, quàm externorum, Gallia adhuc quateretur turbinibus, res tamen Chriſtianiſſimi, Regis *Caroli VII.* per cœleſte auxilium *Joannæ*, dictæ *Puellæ Aurelianenſis*, cujus jam mentionem fecimus, cùm proſperiorem ſortirentur exitum, Angli ad res ſuas collabentes in Galliis ſuſtinendas magis, quàm promovendas, Regem ſuum *Henricum VI.* annum ætatis ſuæ duodecimum agentem ex Anglia Pariſios cum majoribus copiis evocarunt, eumdemque in Pariſienſi Eccleſia Beatiſſimæ Virgini Mariæ ſacrà Regem Francorum coronarunt anno MCCCCXXXI. Quem Regis Franciæ titulũ ſine re hactenùs Reges Angliæ retinuerunt. Hæc nihiloſeciùs Regis *Henrici VI.* inauguratio Pariſiis facta nullo pacto Gallos impedivit, quominus rerum ſecundarum curſu uterentur, Anglorumque impetus, variis conſertis præliis, ita retunderent,

ut

ut tandem eorum Rex *Henricus ſextus*, non ſolùm (ut eſt rerum humanarum viciſſitudo) omnia, quæ in Gallia pater occupaverat, verumetiam avitum Angliæ Regnum unà cum vita, tam ſuâ ipſius, quàm propinquorum, culpâ perdiderit, ſicùt diſertè teſtatur *Nicolaus Harpsfeldius* Sæculo xv. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticę Anglorum*, his verbis: *Henricus ſextus Rex Franciæ ab Anglis proclamatus & coronatus, haud diu potitus eſt iis, quæ Pater ipſi in Gallia reliquerat. Hebetatæ ſunt, paulòque poſt interiere omnes Anglorum vires & recens gloria; & quæ Pater in Gallia, aut re aut ſpe poſſedit univerſa, & ſuum etiam poſteà regnum, inteſtinis diſſidiis, importunaque ſuorum ambitione, cum ipſa vita filius perdidit.* Quî autem id factum fuerit, paucis aperiam. Ortâ in Anglia factione Principum, & *Humfredo*, Anglici Regni Procuratore, ab æmulis trucidato, Angli intra quinquennium totius Normanniæ, & Aquitaniæ jacturam fecerunt, Galliâque demùm penitùs pulſi ſunt anno milleſimo quadringenteſimo qninquageſimo tertio. Sed gliſcente in Anglia domeſticâ illâ Prineipum factione, cujus author erat *Richardus* Dux Eboracenſis, ei ſeſe ſtrenuè oppoſuit *Henricus* Rex, qui tamen collatis ſignis à *Richardo* Duce Eboracenſi ſuperatus eſt, atque de Conſilii Decreto ſancitum, ut poſt mortem *Henrici VI* in Regnum Angliæ ſuccederet *Richardus* Eboracenſis, & interim Regni Rector eſſet. Tam inſignem injuriam illatam Regi *Henrico VI.* pati minimè potuit *Margarita*, Renati Andegavenſium Ducis filia, & *Henrici VI.* Conjux, virili animo prædita mulier, quæ haùd exiguâ manu contractâ, ad aſſerendum in libertatem maritum ſuum, qui Lon-

Londini captivus detinebatur, commiſſo prælio *Richardum* Eboracenſem vicit & interfecit, moxque *Richardum* alterum, Comitem Vvarvicenſem, caſtris exutum in fugam conjecit, ac virum ſuum *Henricum VI.* non ſolùm libertate donavit, ſed in Regnum Angliæ reſtituit. Verùm, cùm copias reparaſſet *Eduardus* Merchiæ Comes, *Richardi* Ducis Eboracenſis filius, Comitis Vvarvicenſis fretus auxilio, *Henricum VI.* vicit, eum ex Anglia cum *Margarita* conjuge in Scotiam fugere compulit, Rexque ipſe Angliæ renuntiatus eſt tertio Kalendas Julii anni milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi primi. *Eduardus* itaque, quem alii hujus nominis *IV.* alii meliùs *VII.* appellant, Regnum quidem Angliæ occupavit, ſed eo pacificè potitus non eſt. Ortâ ſiquidem inter illum & *Richardum* Comitem Vvarvicenſem ſimultate, ab eodem Comite Regno ejectus eſt, & *Henricus VI.* priſtinam ad dignitatem reductus anno MCCCCLXXI. *Eduardus* tamen, opitulante *Carolo* Burgundiæ Duce, amiſſum Regnum eodem anno recuperavit, *Richardum* Comitem Vvarvicenſem in prælio occidit, *Eduardo* Vvalliæ Principi, unico Regis *Henrici VI.* filio, necnon ipſimet *Henrico* patri vitam eripuit. Sic Regnum, vitamque perdidit *Henricus VI.* qui regnavit in Anglia annos triginta octo, & poſt receptum Regnum, ſex menſes. Vixit annos LII. Princeps fuit, teſte *Polydoro Virgilio* Hiſtoriæ Anglicanæ libro vigeſimo tertio, miti, ſimplicique ingenio præditus, qui pacem bello, quietem ſollicitudini, honeſtum utili, & otium curis anteponebat. Eo nihil ſanctius, nihil caſtius, nihil probius. In eo pudor, modeſtia, integritas, patientia in adverſis ſumma. Non inhia-

inhiabat ad opes, non ſitiebat honores, & animæ tantùm ſaluti ſtudebat, quâ ſolâ ſapienter quidem bona, ejusque amiſſione, mala metiebatur & definiebat. Denique, ejus ſanctitatem comprobarunt miracula ad ipſius ſepulchrum edita, de quibus agit Nicolaus *Harpsfeldius* Sæculo xv. Hiſtoriæ Anglicanæ cap.4. & 5. Quibus permotus *Henricus VII.* Angliæ Rex, apud Summos Pontifices *Alexandrum VI.* & *Julium II.* ſuas preces, curasque interpoſuit, ut *Henricus VI.* ejus in Regno Angliæ deceſſor, Sanctorum Faſtis adſcriberetur. Sed *Henricus VII.* morte interceptus, antequàm debita inquiſitio perfici potuiſſet, negotium iſtud, quod maximè in votis habebat, ad optatum exitum perducere nequivit.

D. *Eduardus* hujus nominis *VII.* qui tàm injuſtè vitam, Regnumque eripuit *Henrico VI.* gubernavitne diu Angliæ Regnum?

M. *Eduardus* hujus nominis *VII.* regnavit in Anglia viginti & tribus annis, & extinctus eſt anno MCCCCLXXXIII. Duos filios minorennes reliquit, ſcilicet *Eduardum* Vvalliæ Principem, annos tredecim natum, & *Richardum* Ducem Eboracenſem, biennio minorem, ſub tutela *Richardi* fratris ſui, Gloceſtriæ Ducis, hominis ſcelerati, qui primò quidem *Eduardum*, natu majorem, Angliæ Regem proclamavit ejus nominis *Octavum*, ſed paulò poſt regnandi ipſe cupidus, *Eduardum* ipſum ac *Richardum* fratrem, nothos, atque *Elizabetham* Reginam matrem, adulteram impudentiſſimè aſſerens, Regnum occupavit, Rexque appellatus eſt, *Richardus* hujus nominis tertius. Nec tam immanem adornaſſe calumniam contentus *Richardus* Regni An-

glici invaſor, inſuper duos regios pueros *Eduardum* & *Richardum* interfecit, & multa ejuſmodi tyrannica exercuit. Longa non fuit tam gravibus parta ſceleribus dominatio. Suſcitavit quippè Deus in ultionem hujus Tyranni *Henricum* Richemundiæ Comitem, *Joannis*, qui erat frater *Henrici Sexti*, filium, Anglici Regni legitimum hæredem, qui à Proceribus ad excutiendum tyranni jugum in Angliam invitatus, acceptis à *Carolo VIII.* Galliarum Rege auxiliis, in Vvalliam appulit, ubi juſto prælio *Richardum* Angliæ tyrannum fudit, cæciditque anno MCCCCLXXXV. biennio videlicet poſtquàm tyrannidem in Anglia invaſiſſet *Richardus*. Londinum abſque mora properans *Henricus*, uxorem duxit *Elizabetham* Regis Angliæ *Eduardi VII.* filiam, ex Eboracenſi familia oriundam, per quod matrimonium famoſa illa Lancaſtriorum & Eboracenſium odia reſtincta ſunt, eorumque toti Angliæ perniciosiſſimæ factiones, poſt tot bella, totque Regum ac Principum ex utraque parte neces, in unam tandem ſocietatem coierunt. Regnum ſuum anno MCCCCLXXXVI. auſpicatus eſt *Henricus* hujus nominis *Septimus*, eique Deus contra perſonatos *Eduardi* Regis, & *Georgii* Ducis Clarentiæ filios, aliasque obortas graviſſimas conſpirationes præſentiſſimam opem tulit, ac ſummam ab omnibus tàm domeſticis, quàm externis bellis quietem indulſit. Obiit *Henricus VII.* Angliæ Rex, XI. Kalend. Maji anni MDIX. ætatis ſuæ LII. poſtquàm regnaſſet ann. XXIV. Ejus præclaras animi, corporisque dotes, inſignem prudentiam, modeſtiam, benignitatem, animum ab omni faſtu & arrogantia alieniſſimum, juſtitiæ unicuique reddendæ ſollicitudinem, quâ judicio-

rum

rum ſeveritatem miſericordiâ & lenitate, ut ſeſe dabat occaſio, prudentèr temperabat; amorem ergà pauperes, quorum miſerias effuſiſſimâ liberalitate ſublevabat, Religionis cultum, optimam Regni adminiſtrationem *Polydorus Virgilius* ſub finem libri XXVI. *Hiſtoriæ Anglicanæ* valdè commendat. Moriens *Henricus VII.* Edictum toto Regno Angliæ promulgari juſſit, quo omnibus pœnam remiſit, qui leges generatim violaſſent, exceptis tamen homicidis & furibus, quòd hæc facinora non ipſum, ſed alterum læſiſſent. Eo regnante, linguæ Græcæ, & Hebraicæ, necnon Artes liberales, quarum ſtudium diu in Anglia neglectum fuerat, & viri undecùmque doctiſſimi floruerunt, quos inter *Polydorus Virgilius* plurimùm laudibus effert *Joannem Coletum*, Patriâ Londinenſem, & Eccleſiæ *S. Pauli* ejuſdem Civitatis Decanum, de cujus doctrina, virtutibus, & Scriptis plura dicemus in Colloquio quinto, ubi agemus de Illuſtrioribus Sæculi XV. Scriptoribus. Denique, *Henricus Septimus* Regni Anglici ſucceſſorem reliquit filium ſuum *Henricum* ejus nominis *Octavum*, patri valdè diſſimilem, & de Eccleſia Catholica peſſimè meritum. Ille quippè eſt *Henricus VIII.* Angliæ Rex, qui primò quidem ſignum adversùs enatam *Lutheri Hæreſim* ſuſtulit, & ob id præclarum à Romano Pontifice *Fidei Defenſoris* nomen fuit conſecutus. Sed poſteà nefariæ cupiditatis æſtu abreptus, Chriſti Eccleſiam probris omnibus, ac ludibriis affecit, Pontificem Romanum publicè in Comœdia, atque Scena traduxit; Schiſma Anglicanum conflavit, & eâdem regiâ manu, quâ *Lutheri* deliramenta & aniles fabulas paulò ante confutaverat, eâdem, inquam, manu ſcripſit

 librum,

librum, in quo ſe hoſtem Religionis infenſiſſimum denunciavit, & vim omnem inauditæ cujuſdam acerbitatis in Eccleſiam Romanam effudit. Sed de *Henrici VIII.* ſceleribus, ſacrilegiis, apertâ ab Eccleſia Catholica Romana defectione, & incredibili in viros pios immanitate fusè diſſeremus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculi XVI.

D. Non poſſum, quin vehementèr doleam Anglorum poſt nefarium iſtud *Henrici VIII.* Schiſma deplorandam ſortem, ac cæcitatem, quæ tanta eſt, ut neſciant quid teneant, quid credant,& in his locum hodie habeat accurata illa hæreticorum deſcriptio, quam facundiſſimus *Vincentius Lirinenſis*, Scriptor mihi familiaris, tradit cap.25. ſui *Commonitorii* his verbis: *Heu, miſeranda conditio! quantùm illi curarum æſtibus! quantis turbinibus exagitantur! Nunc etenim, qua ventus impulerit, incitati, errore rapiuntur. Nunc in ſemetipſos reverſi, tanquàm contrarii fluctus reliduntur. Nunc temeraria præſumptione, quæ incerta videntur, approbant. Nunc irrationabili metu etiam, quæ certa ſunt, expaveſcunt. Incerti quò eant, quò redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant.* Ecce, quò tandem Anglos, olim Fidei Catholicæ addictiſſimos, nunc verò ab avita fide extorres, & in varias Sectas diſtractos, abripuit ferale iſtud ac luctuoſum *Henrici VIII.* Schiſma. Sed, miſſis Anglis, ad lætiora progrediamur, & oſtende, ſi placet, ſtatum Eccleſiæ ſub Regibus, qui Sæculo decimo quinto in Hiſpania Regnum Caſtellæ moderati ſunt.

M. Ab anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ad annum uſque milleſimum quadringenteſimum ſeptimum Caſtellæ Regum adminiſtravit *Hen-*

Henricus hujus nominis *III.* dictus *Valetudinarius*, cujus geſta ab anno MCCCXC. quo regnare cœpit, uſque ad annum MCCCC. jam deſcripſimus in primo Colloquio in Hiſtoriam Sæculorum XIII. & XIV. Alia nunc paucis referemus, quæ geſſit ab anno MCCCCI. ad annum uſque MCCCCVII. quo è vita migravit. Quamvis adverſâ plerùmque valetudine oppreſſus *Henricus III.* Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ Rex, magnis rebus foris gerendis impar eſſet, ad dilatandam nihiloſeciùs, & nominis ſui & Regni famam, ad finitimos, longinquosque Principes tàm Chriſtianos, quàm barbaros, Legationes mittere ſolebat, ſed præcipuè anno MCCCCII. ad *Tamerlanem*, magnum illum Tartarorum Regem, qui Orientis Regna ac Provincias, inſtar torrentis, devaſtabat, miſit Legatos, qui prælio *Tamerlanem* inter & *Bajazethem* Turcarum Regem commiſſo cùm interfuiſſent, à victore poſteà *Tamerlane* honeſtè habiti, in Hiſpaniam remiſſi ſunt, novo ab ipſo ex ſua gente Oratore adjuncto, qui *Henrici* Hiſpaniæ Regis amicitiam expeteret, ejuſque victoriarum præconia promulgaret. Nullis bellis turbatum eſt Caſtellæ Regnum ſub *Henrico III.* cujus hæc egregia vox erat, *Populi ſe execrationes ampliùs quàm hoſtium arma formidare*. Hinc ad conſulendum tranquillitati & commodis ſubditorum, ſeverè animadvertit in Proceres Regni adminiſtros, & pecuniarum publicarum profuſores, quos corraſas pecunias, & abſorpta lucra evomere compulit. Quod ſi & cæteri quique Reges ac Principes imitarentur, inquit *Spondanus* ad annum MCCCCVI. Num. IX. & obſequentiores miniſtros haud dubiè haberent, & tum populorum indemnitati, tum regiis vectigalibus lon-

gè cautius eſſet, magno Reipublicæ commodo, & ipſorum nominis gloriâ. Mortuo anno MCCCCVII. *Henrico III.* Hiſpaniæ Rege, qui in veſte Franciſcana, pietatis ergò, ſepeliri voluit, ſucceſſit ejus filius *Joannes* hujus nominis *II.* Sed cùm eſſet tantum bimulus, & ad peragenda Regni negotia nequaquàm idoneus, Regiam dignitatem *Ferdinando*, ejus patruo, Proceres ultrò detulerunt, quam tamen *Ferdinandus* maximâ animi moderatione, fideque & amore in nepotem, recipere noluit, cùmque rurſùm in conſeſſu publico ad capeſſendum Regnum urgeretur, indignantis habitu, contentâque voce, non alium Regem futurum dixit, quàm fratris ſui filium. Quâ magnanimâ voce ſeſe *Ferdinandus* totius Orbis Imperio digniſſimum oſtendit, & coronam regiam conſervavit nepoti ſuo, qui Rex Caſtellæ proclamatus eſt, dictusque *Joannes* hujus nominis *II.* Regina verò *Catharina* ejus mater, & patruus *Ferdinandus* ex teſtamento patris Regni procuratores fuerunt declarati. Hic eſt ille *Ferdinandus*, cui, ſecluſis aliis Regni Aragoniæ competitoribus, Sanctus *Vincentius Ferrerius* Ordinis Prædicatorum, unus è Judicibus, qui ad finiendam controverſiam poſt mortem *Martini* Regis Aragoniæ de jure ſucceſſionis in ejus Regnum inter ampliſſimas familias obortam electi fuerant, omnium nomine Regnum Aragoniæ adjudicavit, an. MCCCCX eique author fuit, ut ipſe, ejuſque ſubditi Aragonenſes recederent ab obedientia *Petri de Luna* Pſeudo-Pontificis, dicti *Benedicti XIII.* in retinendis Pontificiæ Dignitatis Inſignibus pertinacis. *Ferdinandi* Regis Aragoniæ, patrui *Joann. II.* Caſtellæ Regis, & *Catharinæ* Reginæ, ejuſdem *Joannis* Regis matris præ-

pro-

propero obitu, graves, continuique motus in Regno Caſtellæ eruperunt, quibus occaſionem dederunt Aulici, quorum Imperio *Joannes* Rex in umbra & mollitie educatus regebatur. Sed unus inter illos dictus *Alvarus Luna*, qui ſummâ apud Regem gratiâ & auctoritate pollens, inteſtina diſſidia in Caſtellæ Regia fovebat, ad tyrannidem tandem Regio favore abuſus, cùm ipſimet Regi metuendus evaſiſſet, datis Judicibus capite damnatus eſt. Contra Mauros in Hiſpania graſſantes bellum Granatenſe ſuſcepit *Joannes II.* Caſtellæ Rex, ac commiſſo prælio, ſupra decem Maurorum millia cæcidit, paucis è ſuis amiſſis, facilèque Urbem Granatam cepiſſet, niſi impediiſſet auro Saracenico corruptus *Alvarus Luna*, qui tunc temporis, majori, quàm par fuiſſet, auctoritate apud Regem valebat. Obiit *Joannes II.* Caſtellæ Rex Valliſoleti XIII. Kalendas Auguſti anni MCCCCLIV. Fuit optimus ac religioſiſſimus Princeps, litterarum cultor & amator, & Mæcenas virorum eruditorum, quos ſuis colloquiis ſæpè dignabatur. Pacis Eccleſiæ tempore Schiſmatis promovendæ cupidiſſimus, obedientiam *Petri de Luna*, ſeu *Benedicti XIII.* Pontificatui cedere pervicaci animo detrectantis, abdicavit, & ad Concilium Conſtantienſe, in quo, ſublato funeſto trium Pontificatui inhiantium Schiſmate, electus eſt *Martinus V.* Pontifex Maximus, Oratores miſit, qui ejus nomine novo electo Pontifici, ceù verò Chriſti Domini in terris Vicario, obedientiam exhiberenr, Quam beneficus erga ſuos ſubditos eſſet *Joannes* Rex, apertè probat hæc præclara ipſius vox: *Malo ſubditos abundare, quàm Fiſcum; quia potentiſſimi Regni Princeps pauper eſſe non poteſt.* Genuit ex *Maria*,

filia *Ferdinandi* Regis Aragonum, uxore ſuâ, *Henricum* hujus nominis *IV.* qui Patri in Regnum Caſtellæ ſucceſſit, annum agens ætatis trigeſimum, cùm paulò antè Patris obitum, *Blancam*, filiam Regis Navatræ, quam uxorem duxerat, poſt decimum quartum conjugii annum repudiaſſet, cauſatus, eam quaſi maleficio veneris uſu prohibitam fuiſſe, ac impotentem evaſiſſe. Hæc divortii Sententia ab adminiſtratore Segobienſis Eccleſiæ pronunciata primùm, confirmata deindè eſt ab Archiepiſcopo Toletano auctoritate *Nicolai V.* Romani Pontificis anno MCCCCLIV. Multis vitiis obnoxius fuit *Henricus IV.* Caſtellæ Rex, ardenti quidem præditus animo, ſed puſillo, oppletoque fœditate, moribus diſſolutis, atque omnibus turpitudinum maculis vitâ deformi. Hinc factum eſt, ut ejus Regnum, quod viginti annorum fuit, turbulentum extiterit, quòd ei prudentia non minùs ad cives in pace regendos deeſſet, quàm ad pacandos inteſtinos motus in Regno excitatos. Duo ei cognomina *Impotentis*, atque etiam *Liberalis* affictа ſunt, unum à naturæ vitio, quo in venerem uſque ad inſaniam propenſus erat; alterum ex profuſa liberalitate, quâ in profundendis ſinè judicio theſauris Majores ſuos ſuperabat. Ad finiendam controverſiam, quæ Catalanos cum Aragoniis dudùm commiſerat, & cujus judicium arbitrio *Ludovici XI.* Galliarum Regis diſſidentes partes permiſerant, colloquium habuit *Henricus IV.* Caſtellæ Rex cum Chriſtianiſſimo Rege *Ludovico XI.* anno MCCCCLXIII. *Ludovicus XI.* ad inſignem pagum *S. Joannis de Luzio* conſtitit, *Henricus* verò Caſtellæ Rex ad Fontarabiam, ſinguli ad fines ſuorum Regnorum. Sed iſtud Collo-

loquium nullo alio operæ pretio ſolutum eſt, quàm quòd utriuſque Regis aulici naturâ dicaces, ſeſe mutuis aculeis, deriſionibus, dicteriis punxerunt, & conſpirationes inter Proceres Regis Caſtellæ ſeminatæ ſunt, quibus tandem Regem ſuum ad miſerrimam conditionem redegerunt. Enim verò, totâ Hiſpaniâ anno MCCCCLXIV. ob tumultus ex controverſia Catalanos inter & Aragonios excitos, in armis exiſtente, Proceres Regni Caſtellæ opportunitatem nacti, in Regem ſuum *Henricum* conſpirarunt, *Alphonſo*, ejus fratre, puero annorum duodecim, in partes factionis abrepto. Inter cauſas, quas ſuæ conjurationis obtendebant Regni Caſtellæ Proceres, hæ præcipuæ erant: quòd videlicèt eorum Rex *Henricus* Mauros apud ſe verſari permitteret; quòd *Bertrandum*, conjugis ſuæ Reginæ adulterum, dignitatibus augeret; quòd filiam *Joannam* ex adulterio natam, contra Regni leges, contra fas,jusque *Alphonſi*, fratris ſui, Regni hæredem renunciaſſet; quòd denique, Magiſtratus venales exponeret. Tanta ſocordia Regem invaſerat, ut his monitionibus nullo pacto ad vindictam, aut ad defenſionem moveri potuerit, cùmque induci haud poſſet ad arma capienda, concordia his conditionibus pacta eſt,ut *Alphonſus* frater *Henrici* Regis,jure ſuo hæres Regni Caſtellæ eſſet, *Bertrandus*, Reginæ adulter, Magiſterio S. *Jacobi* ſeſe abdicaret, & *Joannæ*,filiæ ſpuriæ ex Reginæ adulterio natæ, omnis ad Regnum ſpes adempta foret. His pacis conditionibus, quibus acquievit *Henricus* Rex, inita quidem concordia eſt, & utcùmque ſopita, ſed non diſſipata conjuratio. Anno enim ſequenti, ſeu MCCCCLXV. furore correpti Proceres, inſigni dedecore, & ſcele-

le-

leſtiſſimo auſu Regem *Henricum* exauctorarunt, & *Alphonſum*, ejus fratrem, Caſtellæ Regem proclamarunt, cujus execrandi ſceleris *Alphonſum Carillium*, Toletanum Archiepiſcopum, magno virum animo, ſed turbido & inquieto, ſeſe Principem exhibere non puduit. Poſt tam flagitioſum editum facinus, Conjurati Summum Pontificem *Paulum II.* decipere ſtuduerunt, quem ut faciliorem ſibi redderent, inſinuarunt in litteris ad ipſum datis, hæc omnia conſilio ipſius Deceſſoris *Pii II.* fuiſſe facta. Quam calumniam *Jacobus* Cardinalis Papienſis, honoris ac nominis *Pii II.* ſtudioſiſſimus, coram Pontifice *Paulo II.* & Cardinalibus egregiè admodùm confutavit, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCCLXV. Num. X. Eâ in continuatione bellorum civilium, præ cæteris variis locis factis certaminibus, inter *Henricum* Caſtellæ Regem & rebelles Proceres, ad Oppidum *Olmedum*, acritèr quidem, ſed ancipiti victoria pugnâtum eſt XII. Kalendas Septembris anni MCCCCLXVII. Tot bellorum tumultus, quibus id temporis perſtrepebat Hiſpania frequenti famâ Romam perlati induxerunt Summum Pontificem *Paulum II.* ut Legatum Apoſtolicum in Caſtellam mitteret *Antonium Venerium*, qui conjuratos Epiſcopos ac Proceres ad Regis obſequium, Cenſurarum Eccleſiaſticarum terrore, revocaret. Aſt rebelles, ob inſitam Regis ignaviam, & impudicitiam Reginæ, quæ ſeſe aliis obſcæniſſimè proſtituebat, arrogantiores & protervìores facti, conſilia, minaſque Legati Pontificii palàm contempſerunt, ſemel & iterùm cum verborum contumelia repulerunt, & ad has anguſtias ipſummet Regem *Henricum* redegerunt, ut in tantis

tis malis penè ab omnibus deſtitutus, mente dejectus videretur, privati propemodùm habitu, decem tantummodò Equitibus ſtipatus, hàc illàc oberraret, coactus tandem ſeſe permittere Comiti Placentiæ, à quo magnificè in ejus Urbis arce exceptus eſt, ibique quatuor menſibus hæſit, ſicut pluribus narrat *Mariana* lib. 23. *de Rebus Hiſpanicis*. Tandem poſt varias tempeſtates, quibus miſerè jactatus eſt *Henricus IV.* Caſtellæ Rex, ad ejus obſequium redierunt rebelles, & à Rege veniam, hasque pacis conditiones acceperunt. Primò, ut *Iſabella*, *Henrici* Regis ſoror, Regni hæres renunciaretur, priùs tamen juramento obſtricta, ne cui nuberet abſque Regio aſſenſu. Prætereà, ut Regina, multorum virorum ſcortum, & *Joanna* ejus filia notha, in Luſitaniam amandarentur. Poſtremò, ut Proceres bonis omnibus, priſtinisque reſtituerentur honoribus, quibus antè diſſidium fruebantur. Has ſancitæ pacis conditiones non ſervavit *Iſabella*, quippè quæ, inſcio, & inconſulto Rege, nupſit *Ferdinando* Aragoniæ Principi. Clandeſtinum iſtud matrimonium ferre haud potuit *Henricus* Caſtellæ Rex, & irâ percitus, *Joannam* filiam notham, quam *Carolo* Aquitaniæ Duci, Chriſtianiſſimi Regis *Ludovici XI.* fratri, matrimonio collocaverat, non ſpuriam, ſed juſtam prolem eſſe cum Regina juravit, eam Regni Caſtellæ hæredem, Proceribus aſſentientibus, declaravit, atque *Iſabellam* ſororem ſuam, publicis tabulis jure ad Caſtellæ Regnum abdicavit. Hæc Regis *Henrici* declaratio omni proculdubio graviſſimi belli Hiſpanos inter & Gallos materiem ſubminiſtraſſet, niſi *Caroli* Aquitaniæ Ducis mors, quæ antè matrimonii conſummatio-

tionem contigit, imminentem tempeſtatem avertiſſet, locumque dediſſet reconciliatæ gratiæ *Henrici* Regis cum *Iſabella* ſorore ſua. Obiit *Henricus IV.* Caſtellæ Rex anno MCCCCLXXIV. ſub cujus turbulento Regno graves in Diſciplinam Eccleſiaſticam irrepſiſſe abuſus, teſtatur *Joannes Mariana* libro 23. *de Rebus Hiſpanicis* cap. 18. his verbis: *Invaſerat pudenda litterarum inſcitia in Sacerdotes Hiſpaniæ, uſque eò ut pauci Latinè ſcirent, ventri, gulæque ſervientes. Avaritia rapaces in Eccleſiam Dei manus injecerat. Emere Sacerdotia, olim ſimonia, tunc induſtria erat: neque intelligebant cæci Principes, cæcique Pontifices, irato Deo fieri impium commercii genus, quòd facias, an patiaris, perindè eſt.* His malis in perniciem Eccleſiæ latè in Hiſpania graſſantibus remedium attulit impetratum à Romano Pontifice Diploma, cujus fragmentum deſcribit *Mariana*, & quo ſtatutum eſt, ut in ſingulis Eccleſiis Hiſpaniæ Cathedralibus binæ inſtituerentur Præbendæ; quarum unam Theologus, alteram Jureconſultus obtineret, ſicque, depulſis tàm denſæ ignorantiæ tenebris, ſtudium tàm Sacræ Theologiæ, quàm Juris Canonici reſtitutum Clerici Hiſpaniæ ardentiùs colere ac frequentare poſſent.

D. Reliquitne *Henricus IV.* aliquem ſuperſtitem filium Regni Caſtellæ ſucceſſorem?

M. Mortuo abſque maſcula prole *Henrico IV.* Regnum Caſtellæ ad *Iſabellam* ejus ſororem, *Ferdinando* Regi Aragoniæ nuptam pervenit, & hoc pacto Aragoniæ, Caſtellæque Regna antehàc diviſa unam in Monarchiam coaluerunt. Magnum certè Hiſpania è ſapientiſſimo regimine *Ferdinandi*, & *Iſa-*

Iſabellæ gloriæ & potentiæ ſuſcepit incrementum. *Ferdinandus* quippè Hiſpaniæ Rex (ut nihil inpræſentia dicam de *Iſabellæ* ejus uxoris honeſtiſſimis moribus, animi magnitudine, & ſingulari prudentiâ, quâ inter cæteras Regiaſque dotes omnibus excellebat) *Ferdinandus*, inquam, Princeps fuit juſtitiæ cultu, Imperii modeſtiâ, Religionis amore, bonarum artium ſtudio, aliiſque virtutibus ita clarus, ut inter omnes Hiſpaniæ Reges, paucos pares, nullum verò meritis ſuperiorem habuiſſe videatur. Regni ſui primordia pietati & Religioni conſecravit, quam præſertim totis viribus promovere ſtuduit in Regno Caſtellæ, in quo ſuperiorum temporum licentiâ, Mauris, Judæiſque cum Chriſtianis nullo non commercii genere promiſcuè verſantibus, haud pauci Chriſtiani pravâ illa conſuetudine inficiebantur, plures verò è Mauris, & Judæis, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederant, fide poſteà inconſtanti, ab ea, nullo vetante, deficiebant, & ad patriam ſuperſtionem impunè, tanquam canis ad vomitum, vel ſus lota ad volutabrum, revertebantur. Ad hoc malum radicitùs extirpandum, *Ferdinandus* ſacram in Regno Caſtellæ Inquiſitionem inſtituendam curavit, cui præfectus eſt *Thomas Turrecremata*, Ordinis FF. Prædicatorem, Segobienſis Conventus Prior, eximiâ pietate, & ſingulari doctrinâ præditus, de quo *Antonius Poſſevinus* in ſuo *Apparatu ſacro* rem narrat ſcitu digniſſimam, quam hìc ſilentio prætermittere haud poſſum. Narrat, inquam, *Poſſevinus*, Reges Catholicos magnitudinis & felicitatis Hiſpaniæ auctores, *Ferdinandum*, & *Iſabellam*, Decreto ſtatuiſſe, Judæos ſuis ditionibus depellere, ſed manda-

mandatum Regium avaritiâ Miniſtrorum, tentatâ vi magnæ pecuniæ à Judæis numerandæ, inhibitum fuiſſe. Quod ubi reſcivit *Thomas Turrecremata* Regnorum Caſtellæ, & Aragoniæ Inquiſitor, maximæ apud *Ferdinandum* Regem, & *Iſabellam* Reginam authoritatis, & utrique à Confeſſionibus, ad Palatium acceſſit Crucis imagine munitus, quam pallio occultabat, tùm invictâ animi conſtantiâ Regem, Reginam, & Miniſtros compellans, Crucis imagine apertâ: *Nùmquid*, inquit, *ſatis eſt Dominum Jeſum à Judæis ſemel triginta argenteis emptum, ut de illo iterùm Judæis vendendo triginta millibus aureis, majori quidem pretio, ſed nihilo minori injuria cogitetis?* Quibus verbis ita omnes omnium animos perculit, ut nullâ interpoſitâ morâ, Judæi ex Ditionibus *Ferdinandi*, & *Iſabellæ* fuerint ejecti, & hàc illàc diſſipati. Depulſis toto Regno Judæis, *Ferdinandus*, Caſtellæ Rex, bellum, dictum *Granatenſe* contra Mauros ſuſcepit, illudque per decem annos geſtum, felicitèr tandem confecit, Maurorum Imperio, quod ſeptingentis amplius annis ſteterat in Hiſpania altis nixum fundamentis, penitùs convulſo, & captâ Granatâ, quæ Princeps illorum ſedes erat, ut videre eſt apud *Joannem Marianam* libro XXV. *De Rebus Hiſpanicis*. Bellum quoque Africanum, quod *Ximenio* Hiſpaniæ Cardinali, Archiepiſcopo Toletano, authore ac duce, aggreſſus fuerat *Ferdinandus* Caſtellæ Rex, lætum ac fauſtum habuit exitum. Multæ civitates, quas inter Oranum, Bugia, Algerium, Tripolis, captæ ſunt. Tuneſius Rex & Tremenſenius vectigal annuum victori *Ferdinando* obtulerunt, omneſque Chriſtianos, quos captivos detinebant,

nebant, libertate donarunt. Regnante in Hiſpania *Ferdinando*, Americam, *novum Orbem* appellant Hiſpani, primus felici navigatione detexit *Chriſtophorus Columbus* Genuenſis anno MCCCCXCII. cujus dominationem *Ferdinandus* Rex ab *Alexandro VI.* Pontifice Maximo impetravit. Hæc nova Orbis pars, quę primùm à *Chriſtophoro Columbo* detecta eſt, paulò poſt nomen *Americæ* ſumpſit ab *Americo Veſputio* Florentino, qui Emmanuelis Luſitanię Regis auſpiciis à Gadibus profectus anno MCCCCXCVII. eam Orbis partem iterum navigatione detexit, veteribus prorsùs incognitam, quod ſanè humanæ admirationis modum excedere videtur. Conſideratâ namque cùm antiquorum in deſcribendo Orbe terrarum diligentiâ, & attentis ampliſſimorum Imperiorum ad perquirendas regiones commoditate, opportunitate, navigatione, tùm humani generis dirâ atque inſatiabili auro atque argento inhiante cupiditate nihil non tentante, quibus hę regiones incredibili copiâ abundant, tamdiù potuiſſe hanc Regionem Orbi noſtro latêre, homines docti non ſemel mirati ſunt. Sed nunc omnibus notus eſt antiquorum error, qui Antipodas, ſeu populos adverſis veſtigiis nobis oppoſitos, quaſi commentitios rejiciebant, tantùmque abeſt ut noſtrâ ætate illi populi in dubium revocentur, ut potius ad eos mittantur Viri Apoſtolici, veritatis Chriſtianæ præcones, à quibus æternæ ſalutis viam docentur, & ſalutarē doctrinam accipiunt. In Americam ſemel detectam frequentèr poſtea navigarunt Hiſpani, Galli, & Angli, quorum alii aliis regionibus detectis nomina ſuâ quique linguâ impoſuerunt. Extant in Hiſpanica, Gallica, Italica, & An-

& Anglica linguis non pauci Scriptores, qui hujus, novi Orbis, ſeu Americæ, ſitum, ſolum, fertilitatem, & ſtatum depingunt, quos inter præcipuè legendus eſt *Hugo Grotius*, qui *de Gentium Americanarum Origine Diſquiſitionem* ſcripſit, ad quam Notas & Obſervationes edidit *Joannes de Laët* Antuerpianus.. Obiit *Ferdinandus* Rex Catholicus in vico Madrigalegio ad Caſtra Julia, dùm Hiſpalim peteret, x. Kal. Februarii anni MDXVI. Sacramentis Eccleſiæ munitus à *Thoma Matienſio* Ordinis FF. Prædicatorum, qui ei à Confeſſionibus erat; Teſtamentum ante mortem condidit, quo Cæſarauguſtanum Præſulem Aragoniæ Regno præfecit, Caſtellæ verò Regno Cardinalem *Ximenium*, donèc *Carolus*, Nepos, omnium Regnorum hæres, qui tunc in Belgio agebat, in Hiſpaniam veniret. *Carolus* itaque de *Ferdinandi*, Hiſpaniæ Regis, Avi ſui, obitu certior factus, ſtatim ſe Regem Hiſpaniarum dixit, & coronam Imperialem poſt mortem *Maximiliani* Imperatoris, hujus nominis *I.* anno milleſimo quadringenteſimo decimo nono adeptus, dictus eſt *Carolus Hiſpaniarum Rex*, & *Imperator hujus nominis Quintus*, cujus rectè præclarèque Geſta referemus in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæculi decimi ſexti.

D. Plenam atque ex omni parte abſolutam, ut video, tradidiſti notitiam Status Eccleſiæ tam ſub Imperatoribus Orientis, & Occidentis, quàm ſub Regibus, aliiſque Principibus Sæculi decimi quinti.

M. Duas hìc addam Obſervationes, quibus Colloquo noſtro finem imponemus. Prima Obſervatio ſpectat Imperium Moſcorum, ſeu Moſco-

ſcovitarum, quod Sæculo XV. ſeu anno MCCCCLXIX. magnum ſuſcepit incrementum, poſtquam *Joannes Baſilii*, eorum Princeps, quem *Magnum Ducem* vocant, magnam *Novogardiam* Ruſſiæ Metropolim, civitatem ampliſſimam & opulentiſſimam, totiusque Septentrionis celeberrimum emporium, occupaſſet. Amplum quidèm hic *Joannes Baſilii*, Moſcovitarum Dux, Principatum à Majoribus acceperat, ſed Tartaris adeò obnoxium, vectigale ac tributarium, ut Legatis Tartaricis, atque etiam veredariis tributa petentibus, cùm equis veherentur, Dux ipſe pedibus obviam prodiret, & lactis equini (qui potus eſt Tartaris gratiſſimus) poculum venerabundus porrigere, & unà cum ſuis Proceribus litteras Tartarorum Imperatoris auditurus, genua flectere cum ſumma abjectione cogeretur. Hanc duram ſervitutem *Joannes*, Moſcovitarum Dux, cùm ferre minimè poſſet, Tartarorum jugum, impellente potiſſimùm conjuge ſuâ natione Græcâ, excutere ſuum in animum induxit, ſumptiſque armis, complures arces atque Caſtella finitima Ruſſiæ, quæ *Alba* dicitur, & Magno Lituanorum Duci parebat, in poteſtatem ſuam redegit, ac tandem cepit *Novogardiam*, cujus Principatus ſe ſe extendit uſque ad Lituaniam, Filandiam, Sveciam, & Norvegiam, tantumque ex Novogardiæ civium opibus, ſed præcipuè ex Archiepiſcopi ærario, auri, argenti, unionum, gemmarum, & omnis generis divitiarum per multos annos congeſtarum exportavit *Joannes* Moſcovitarum Dux, ut trecentos currus iis onerarit, præter cæteræ ſuppellectilis infinita propemodùm plauſtra. Hinc ſe formidoloſum adeò præbuit, ut Poloniæ Rex,

idemque Magnus Dux Lituaniæ, ſatiùs duxerit cum eo inducias paciſci, quàm cum tam potente & continuis bellis exercitato hoſte, multisque victoriis inſigni congredi, &, commiſſo prælio, ejus vires nervoſque experiri. Sic crevit, & latè propagatum eſt Imperium Moſcovitarum, qui Religionem quidem Chriſtianam profitentur, ſed Græci ſunt Schiſmatici, Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditi, & à Catholica, ſeu Romana Eccleſia, extorres. Ruſſiam quoque, quam incolunt Moſcovitæ, ſuis erroribus Lutherani, Zuingliani, & alii ejusdem furfuris hæretici poſtremis hiſce temporibus infecerunt.

Altera Obſervatio, quam hic ſubjiciam, erit de Inſulæ Cypri Regno, quod Sæculo XV. ſeu anno MCCCCLXXVI. ad Venetos tranſiit, etſi jus ad iſtud Regnum Sabaudiæ Duces ſibi vindicent, ejusque titulum & Inſignia hactenùs conſervarint. Hoc Inſulæ Cypri Regnum Græcorum Imperio ademptum *Iſaacius Comnenus* pro gubernatore miſſus tyrannicè uſurpaverat, ſed illud eidem *Iſaacio Comneno* per vim ereptum *Richardus*, Angliæ Rex, *Guidoni de Luſiniano* eâ lege tradidit, ut *Guido* ei omne jus cederet, quod habebat in Regnum Hieroſolymitanum, à quo, ut obſervavimus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculi duodecimi, prædictus *Guido de Luſiniano* à Saracenis dejectus fuerat. Oblatam conditionem ultrò excepit *Guido de Luſiniano*, & Cypri Regno absque ſudore potitus, illud ad ſuos poſteros tranſmiſit. Contigit autem progreſſu temporis, ut apud Salaminam, illius Regni caput, Genuenſes omnes, à quibus hæc Inſula ob commercium frequentabatur, orto tumultu occideren-

derentur, eorumque merces & opes diriperentur. Hanc atrocem injuriam ut Genuenſis Reſpublica ulciſceretur, *Trugoſium* cum valida claſſe miſit, qui Cypri Inſulam dominio Genuenſium ſubjecit, captivosque Regem,& Reginam,Genuam abduxit, quibus apud Genuam in carcere degentibus infans natus eſt, qui nomine Reipublicæ in Baptiſmo ſuſceptus, vocatus eſt *Janus* à Civitate *Janua*, quæ *Genua* itidem dicitur. Hunc Reſpublica poſtmodum in Cyprum remiſit, retentâ ſibi primariâ Regni civitate *Salamina*, quæ etiam *Famaguſta* nuncupatur, & eſt emporium negotiationibus & mercimoniis frequentiſſimum. Huic *Jano* in Regno Cypri ſucceſſit *Joannes Luſinianus*, qui *Helenam* ex Regia Palæologorum progenie uxorem duxit, ex qua filiam ſuſcepit nomine *Carlotam*, ex concubina verò filium dictum *Jacobum*. Nupſit *Carlota*, ſola proles legitima, cum ſpe dotalis Regni *Ludovico* Duci Sabaudiæ. Spurium autem *Jacobum* Pater ipſius *Joannes Luſinianus* Rex Cypri, ut ſpe Regni excluderet, Nicoſienſem Epiſcopum conſecrari curavit. At hic, defuncto patre, Sultanum Ægypti adiit, à quo, poſt ei obſtrictam clientelæ & juramenti fidem, obtinuit, ut è ſolio dejectis Duce Sabaudiæ, & *Carlota* ejus conjuge, depulſis quoque ex urbe Famaguſta Genuenſibus, Regno Cypri potiretur. Impetratum Regnum quò magis firmaret *Jacobus*, Rempublicam Venetam adversùs Genuenſem ſibi conciliavit, matrimonium ineundo cum *Catharina*, filiâ *Marci Cornarii*, quam ſibi Senatus Venetus adoptavit, moxque mortuo *Jacobo*, & extincto ejus filio cognomine *Jacobo* poſthumo, cui mater *Catharina* ſucceſſit, iſtud Cypri Regnum, quaſi

hæreditario jure Venetorum ditionibus acceſſit anno MCCCCLXXVI. juri tamen ſuo in Regnum Cypri non ceſſerunt Sabaudiæ Duces, ſed potiùs illud meliori titulo ſibi vindicare aſſerentes, ſoliti erant ſingulis quinquenniis à Senatu Veneto Regnum repetere, à quo tandem, poſt multas hujuſmodi poſtulationes, hoc Davidicum acceperunt Reſponſum: *Cœlum Cœli Domino, Terram autem dedit filiis hominum.* Quo reſponſo innuere volebant Veneti, ſe Regno Cypri, quo fruebantur, armis ſtrenuè defendere paratos eſſe. Huic Controverſiæ de Regno Cypri Duces Sabaudiæ inter & Sereniſſimam Rempublicam Venetenſem obortæ finem tandem magno Religionis Chriſtianæ damno impoſuit, ſaltem quoad poſſeſſionem, anno MDLXX. *Selimus* Turcarum Imperator, qui Cypri Regnum, octoginta circiter annis jam à Venetis poſſeſſum, invaſit, ac Turcico adjunxit Imperio, ſicut fuſiùs oſtendemus in primo Colloquio in Hiſtoriam Sæculi decimi ſexti.

COL-

COLLOQUIUM II.

In quo texitur ſeries Epiſcoporum, qui illuſtriores Eccleſiæ ſedes, Romanam præſertim & Conſtantinopolitanam Sæculo XV. tenuerunt.

Disci-pulus. Hiſtoriam Pontificum, qui Sæculo XV. nobiliores Sedes occuparunt, cùm ſis in iſto Colloquio deſcripturus, ab his exordium ducere debes, qui Sedem Romanam, dignitate & authoritate cæteris longè præſtantiorem, tenuerunt, ac univerſam, quà latè patet, Eccleſiam pietate, ſapientiâ, & doctrinâ illuſtrarunt.

M. Ut ſeriem, geſtaque Pontificum, qui Sæculo XV. Eccleſiæ Romanæ præfuerunt, accuratiori ordine percenſere valeamus, neceſſe eſt, ut rem altiùs repetamus, eaque paucis verbis contrahamus, quæ de Pontificiâ Sede per *Clementem V.* Româ Avenionem translatâ, & de eâdem per *Gregorium XI.* Avenione Romam revocatâ uberiùs expoſuimus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam Sæculorum XIII. & XIV. *Clemens V.* Pontifex Maximus, natione Gallus, ſtudio & operâ *Philippi* cognomento *Pulchri*, Galliarum Regis, in Romanum Pontificem electus, cùm anteà eſſet dumtaxat Archiepiſcopus Burdigalenſis, Sedem Pontificiam Avenione collocavit, ubi annis circitèr ſeptuaginta ſederunt Summi Pontifices, *Clemens V. Joannes XXI.* vulgò dictus *XXII. Benedictus XI.* ſeu,

ut alii volunt *XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V.* & *Gregorius XI.* quorum ultimus, relictâ Avenione, Romam, ſuadente potiſſimùm S. *Catharina Senenſi*, Ord. Prædicatorum, remeavit, atque Sedem Pontificiam reduxit. At, *Gregorio XI.* Romæ anno MCCCLXXVIII. defuncto, cùm Cardinales, qui majori ex parte Galli erant, ad eligendum ſucceſſorem Conclave, ut moris eſt, ingreſſi fuiſſent, Populus Romanus veritus, ne Sedes Pontificia denuò in Gallias transferretur, concitato tumultu irrupit in Conclave, ſæpè mortem, ſæpè incendium Electoribus interminatus, niſi Italum Pontificem eligerent. Perterriti Cardinales elegerunt abſque mora in Romanum Pontificem *Bartholomæum*, Barenſem Archiepiſcopum, qui in Pontificatu dictus eſt *Urbanus VI.* cujus morum ſeveritate & auſteriori regimine offenſi Cardinales, Anagniam Primùm, dein Fundos ſeceſſerunt, ubi electionem *Urbani VI.* irritam, ac veluti graviſſimo extortam metu palàm declararunt, & *Robertum* ex illuſtriſſima Comitum Genevæ proſapiâ oriundum, Cameracenſem Epiſcopum & Cardinalem, renuntiarunt Pontificem, qui *Clemens VII.* dici voluit. Hinc originem habuit exitiale illud Schiſma, quo diu afflicta eſt Eccleſia. Romæ *Urbanus VI.* hæſit, & *Clemens VII.* Avenione Sedem fixit, quodque gravius eſt, morte utriuſque Pontificis enatum iſtud Schiſma extinctum non fuit, ſed decimo quinto Sæculo adhùc perduravit. *Urbano* ſiquidem hujus nominis *VI.* Romæ ſedenti ſucceſſit *Bonifacius IX.* Hunc excepit *Innocentius VII.* qui ſucceſſorem habuit *Gregorium XII.* Cardinales verò, qui ab *Urbani VI.* obedientia receſ-

receſſerant, in locum defuncti *Clementis VII.* qui Avenione ſedebat, ſuffecerunt *Petrum de Luna*, Hiſpanum, dictum apud ſuos *Benedictum XIII.* qui uſque ad mortem nomen Pontificis per triginta annos inſanabili pertinaciâ retinuit.

D. Locumne habent in ſerie, ſeu Catalogo Romanorum Pontificum *Clemens VII.* & *Benedictus XIII.* qui tempore Schiſmatis ſuam Avenione Sedem fixerunt?

M. Nulli Romanorum Pontificum Catalogo accenſentur *Clemens VII.* & *Benedictus XIII.* qui Avenione tempore Schiſmatis ſuàm Sedem habuerunt. Quod quidem argumento eſt, ſenſum Eccleſiæ Catholicæ eſſe, *Urbanum VI.* ejusque ſucceſſores, qui tempore Schiſmatis Romæ ſederunt, veros ac legitimos Romanos Pontifices extitiſſe, cùm hi ſoli in Catalogo Romanorum Pontificum reponantur ab omnibus Orbis Catholici nationibus, etiam ab illis, quæ olim *Clementi VII.* & *Benedicto XIII.* tanquam dubiis Pontificibus adhæſerunt. Hunc etiam eſſe Catholicæ Eccleſiæ ſenſum, duo apertè probant Romanorum Pontificum exempla, quorum primum eſt *Julii Medicei*, qui an. MDXXIII. electus Romanus Pontifex, voluit appellari *Clemens VII.* nullâ prorsùs habitâ ratione hujuſce *Clementis VII.* qui Avenione tempore Schiſmatis contra *Urbanum VI.* ſederat. Alterum exemplum eſt *Antonii Pignatelli* Archiepiſcopi Neapolitani, qui Romanus Pontifex anno MDCXCI. electus, *Innocentius XII.* ab univerſa Eccleſia fuit appellatus, qui *Undecimus* dicendus fuiſſet, niſi *Innocentius VII.* qui tempore Schiſmatis Romæ ſedit, verus ac legitimus Pontifex cenſeretur. Hunc denique eſſe Eccleſiæ

Catholicę ſenſum profitentur ipſimet Galli Scriptores, quos inter unum dumtaxat laudabo *Henricum Spondanum*, qui in Continuatione *Baronii* ad annum MCCCLXXVIII. Num. XVII. hæc habet: *Et quod mirabilius eſt, fuit jus partium adeò dubium & incertum, ut inter Principes (quod obſervat Sanctus Antoninus) peritiſſimos quosque Theologos & Juriſconſultos habuerit utraque pars ſive obedientia, necnon religioſiſſimos viros, &, quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes, qui ſuam partem ſanctam, adverſam profanam aſſererent; nec potuerit unquàm ſic illa quæſtio decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia, quod etiam ex ipſiſmet Actis Conciliorum Generalium Piſani & Conſtantienſis apertè intelligi datur. Fuiſſe tamen videtur Catholicæ Eccleſiæ ſenſus, (quod cæterorum omnium rationibus & diſputationibus, necnon incertis viſionibus & Prophetiis atque miraculis, quæ circà hæc contigiſſe dicuntur, præponderare debet) Urbanum VI. ejusque ſucceſſores Italiam colentes extitiſſe veros ac legitimos Pontifices.* Obſervat etiam ibidem *Spondanus*, quòd *Catharina Senenſis*, tertii Ordinis S. *Dominici* Virgo Sanctiſſima, quæ ad promovendam *Urbani VI.* Obedientiam ſuis ad Reges & Principes litteris quidquid ſibi inerat ingenii, facundiæ, zeli, & auctoritatis ob pervagatiſſimam Sanctimoniæ famam contulit, hoc unum præ cæteris validiſſimum adversùs *Clementis VII.* Avenione ſedentis intruſionem telum contorſerit, quòd videlicet tam ipſe *Clemens*, quàm cæteri Cardinales ejus fautores, ſuis litteris & geſtis per aliquot menſium ſpatium univerſo Orbi perſuaſum voluiſſent, *Urbanum VI.* ritè electum fuiſſe, & ex eorum ſententia omnes ubique populi

ſic

ſic opinati fuiſſent. Si plura de *Vrbani VI.* in Romanum Pontificem electione ſcire deſideres, legeſis *Baldum*, doctiſſimum Sæculi XIV. Juriſconſultum, qui Tractatum edidit pro *Vrbano VI.* ad calcem Tomi XVII. Annalium Eccleſiaſticorum *Odorici Raynaldi* adjectum.

D. Haberine debent pro Schiſmaticis populi illi, qui, tempore Schiſmatis, *Clementi VII.* & *Benedicto XIII.* Avenione ſedentibus adhæſerunt, & paruerunt, adversùs *Vrbanum VI.* ejusque ſucceſſores, qui, tempore ejusdem Schiſmatis, Romæ Pontificiam Sedem tenuerunt?

M. Hanc Quæſtionem S. *Antoninus* Archiepiſcopus Florentinus, Ordinis Prædicatorum, 3. par. Chronicorum Titul. XXII. Cap. II. diluit in hunc modum: *Indè inchoatum eſt Schiſma peſſimum; ut duo dicerentur in Eccleſia Dei, Vrbanus, ſeu VI. & Clemens, dictus VII. Vrbano ut vero Pontifici adhæſit Italia, Alemannia, & Hungaria. Clementi verò Francia, Hiſpania, Catalonia. Aſſerebant Obedientiales Clementis, ſuum eſſe verum Papam, ex electione ejus Canonica, ut potè libera, non coacta; non illam Vrbani, quia metu coactam, & ejus ſequaces Schiſmaticos & excommunicatos. E contrario Obedientes Vrbano, Clementem affirmabant Apoſtaticum, non Apoſtolicum &c. Multæ diſputationes factæ ſunt circa iſtam materiam, multi libelli editi prò utriuſque partis defenſione. Peritiſſimos viros in ſacra Pagina & jure Canonico habuit toto illo tempore, quo duravit Schiſma, utraque pars, ſeu Obedientia, ac etiam Religioſiſſimos Viros, & [quod majus eſt] etiam miraculis fulgentes: nec unquam ſic potuit illa quæſtio decidi, quin ſemper apud plurimos remaneret dubia.*

Nam,

Nam, etſi neceſſarium ſit credere, ſicut unam eſſe Catholicam Eccleſiam, non plures; ita & unicum ejus Paſtorem, Vicarium Chriſti, juxta id Joannis cap. x. Fiet unum Ovile, & unus Paſtor: *tamen ſi contingit plures per Schiſma creari ſeu nominari Pontifices ſummos uno & eodem tempore, non videtur ſaluti neceſſarium credere iſtum eſſe vel illum, ſed alterum illorum, qui ſcilicèt fuerit Canonicè aſſumptus. Qui autem fuerit Canonicè electus, non tenetur quis ſcire, ſicut nec jus Canonicum, ſed in hoc populi ſequi poſſunt Majores ſuos ſeu Prælatos.* Et Titulo ſequenti, ſeu XXIII. cap. VIII. ſic concludit Sanctus ille Archipræſul: *Undè, qui erraverunt in eo, ſatis excuſavit eos apud Deum ignorantia facti, & quaſi invincibilis. Et propterea, Spiritu Sancto operante, ad unionem faciendam ſumpta fuit via ceſſionis, cùm non ſufficeret via diſceptationis.* Quibus verbis S. *Antoninus* à Schiſmatis crimine purgat Prælatos, Clericos, Fidelesque cæteros, qui *Clementi VII.* & *Benedicto XIII.* ante Piſanum Concilium adhæſerunt, eò quòd illos omnes ignorantia invincibilis, bona fides, adhæſio firma Cathedræ S. *Petri*, quæ eſt unitatis Eccleſiaſticæ centrum, animus ad parendum comparatus, inſontes & alienos à Schiſmate præſtiterunt; non ſecus ac ab hæreſeos crimine vindicantur quidam antiqui Patres, qui Millenariorum errorem, vel de rebaptizandis Hæreticis, amplexi ſunt, antequàm hujuſmodi Controverſiæ eliquatæ ac finitæ fuiſſent ſolemni Eccleſiæ judicio, in quo acquieſcere corde & animo parati erant. Legendus eſt idem S. *Antoninus* ſecundâ parte ſuæ Summæ Titulo III. Cap. XI. *de Schiſmate*, ubi datâ operâ hanc quæſtionem, quæ præſens Schiſma ſpe-

ſpectat, diſcutiens ait: *Ideò in illo Schiſmate illi fuerunt verè & propriè Schiſmatici, qui præſentes ſcientes factum, contra jura ſcienter, vel contra conſcientiam fecerunt Schiſma tale, paſſionibus ducti amoris, vel odii, cupiditatis, & ambitionis. Alii verò, qui uni vel alteri, Urbano ſcilicèt aut Clementi obedientes adhærebant, moti ad hujuſmodi tenendum non temporaliter, ſed ex conſcientia, ex auditis conſiliis peritorum, non erant verè & propriè Schimatici, etiamſi ei, qui non erat verus, adhæſiſſent, quia pratèr intentionem erat error & diviſio eorum.* Quod ibidem S. ille Archiepiſcopus multis argumentis probat. Idem planè cum S. *Antonino* docent duo egregii Doctores ejuſdem Ordinis Prædicatorum, *Joannes à Turrecremata*, Cardinalis, in Summa *De Eccleſia* Lib. IV. Part. I. Cap. XIV. & *Henricus Inſtitoris* in libro, quem edidit adversùs Pikardos, ſeu Waldenſes Hæreticos. Facilè itaque ipſe crediderim, eos, qui, tempore Schiſmatis, *Clementi VII.* & *Benedicto XIII.* Avenione ſedentibus ante Concilium Piſanum adhæſerunt (quos inter numerantur *Petrus de Luxemburgo* Cardinalis à *Clemente VII.* creatus, quique ſanctimoniâ & miraculis clarus Avenione colitur, & S. *Vincentius Ferrerius* Ord. Præd. doctrinâ, zelo Apoſtolico, aliiſque Chariſmatibus & miraculis illuſtris) crediderim, inquam, ipſe, eos ob bonam fidem, & ignorantiam invincibilem, quâ in hac quæſtione facti, quod obſcurum erat, & difficultatibus penè inextricabilibus implicatum, laborabant; propriè Schiſmaticos cenſeri haud debere, quia, ut docet S. *Thomas* ſecundâ ſecundæ Quæſt. XXXIX. Art. I. illi dumtaxàt *propriè Schiſmatici dicuntur, qui propria ſponte*

&

& intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant, quæ eſt unitas Principalis. Porrò, qui, tempore Schiſmatis, adhæſerunt ante Concilium Piſanum *Clementi VII.* & *Benedicto XIII.* non propriâ ſponte, & intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſepararunt, nec Romano Pontifici ſubeſſe unquam detrectarunt, quem potiùs Chriſti Domini Vicarium, S. *Petri* Succeſſorem jure Divino poteſtatem ac jurisdictionem habere in tota Eccleſia & ſuper Fideles univerſos credebant, ſe ad parendum ipſi teneri ultrò profitebantur, illi dumtaxàt parêre volebant; & in hoc dumtaxàt fallebantur, quòd *Clementem VII.* ejusque ſucceſſorem *Benedictum XIII.* poſt diligens ac diuturnum in tanti momenti negotio examen à viris eruditis adhiberi ſolitum, poſt Principum, & integrarum Eccleſiarum judicium, canonicè electū ac verum Pontificem eſſe exiſtimarent errore & ignorantiâ invincibili, quæ eos ſubindè à Schiſmate excuſare debet, non ſecùs ac Patriarcha *Jacob* ad *Liam* pro *Rachele* ſuppoſitam accedens, ab adulterio & inceſtu excuſatur, quia ignorantiâ facti ſuam eſſe putavit, & bonâ fide, maritalique affectu ad ad eam acceſſit.

D. Cùm *Clemens VII.* & *Benedictus XIII.* qui, tempore Schiſmatis, Avenione ſederunt, nullum in Romanorum Pontificum Catalogo locum habeant, rogo te, ut eorum dumtaxàt Pontificum, qui Romæ Sæculo decimo quinto Sedem tenuerunt, ac pro veris legitimisque Pontificibus agnoſcuntur, ſeriem & geſta hìc breviter deſcribas.

M. Iniit Sæculum decimum quintum *Bonifacio Nono*, *Urbani VI.* ſucceſſore, clavum Eccleſiæ gubernante. Electus fuerat Pontifex Romanus *Boni-*

Bonifacius Nonus anno MCCCLXXXIX.& annum undecimum ſui Pontificatus agebat anno MCCCC. quo Romæ celebratum eſt Jubilæum. Præcipua Summi illius Pontificis geſta perſtrinximus in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæcul. XIII. & XIV. ubi etiam obſervavimus, illum morum integritate ac virtutum cultu cum probis & utilibus Eccleſiæ Pontificibus jure merito adnumerari debere, atque conſervandæ caſtitatis adeò tenacem, ut, cùm morbis continuis vexaretur, & à medicis admonitus eſſet, ſanari quidem poſſe ſi rem cum fœmina haberet, auditu horruerit, ac mori quàm fœdari maluerit. Hinc audiri non debet *Theodoricus Niemus*, qui *Bonifacium IX.* avaritiæ, congerendarum pecuniarum aviditatis, aliorumque criminum inſimulat. Hic quippè ſcriptor in Opere, quod edidit *De Schiſmate Univerſali*, Pontifices tempore Schiſmatis Romæ vel Avenione ſedentes acerrimè inſectatur ac diſcerpit,torque injurias,calumnias & contumelias in ipſos è ſuo ulceroſo ſtomacho egerit, ſuæque acerbitatis virus evomit, ut ejus Opera unà cum Authore inter reprobata Scripta connumerata legantur, ut videre eſt apud *Henricum Spondanum* ad annum MCCCCX. Num. 3. Obiit *Bonifacius IX.* anno MCCCCIV. poſtquàm ſediſſet annos quindecim, minùs dies triginta quatuor. Defuncto *Bonifacio IX.* eique Juſtis perſolutis, Cardinales illius Obedientiæ Conclave ingreſſi,ante omnia ſeſe juramento obſtrinxerunt, ut quisquis eorum Pontifex eſſet electus,liberè ſe Pontificatu abdicaret,ſi neceſſe foret ad extinguendum Schiſma,quod infeſtabat Eccleſiam. Præmiſſis Conſiliis, ſtudiisque omnibus ad tollendum Schiſma neceſſariis, omnium

omnium ſuffragiis (poſtquam Sedes vacaſſet quindecim diebus) electus eſt Romanus Pontifex *Coſmatus de Melioratis* patriâ Sulmonenſis (quæ Provinciæ Aprutii civitas eſt) doctrinâ, rerumque agendarum experientiâ clariſſimus, qui per omnes dignitatum gradus provectus, ex Bononienſi Epiſcopo, Cardinalis, & Archiepiſcopus Ravennas à *Bonifacio IX.* creatus, ad Sedem tandem Pontificiam ſublimatus eſt die XVI. Kalend. Novemb. anni MCCCCIV. nomenque ſumpſit *Innocentii VII.* Quàm præclaris dotibus in Pontificatu præfulſerit *Innocentius VII.* docet *Onuphrius* in ſuis Additionibus ad *Platinam*, ubi aſſerit, hunc Summum Pontificem cunctis maximi & optimi Pontificis dotibus fuiſſe ornatum, vitæ integritate, egregiis moribus, humanitate, eruditione, pietate, & liberalitate præſtantiſſimum; Ditionis Eccleſiaſticæ ac libertatis aſſertorem intrepidum, uno verbo, tam piè in Pontificatu ſe geſſit *Innocentius VII.* ut *Theodoricus Niemus*, Clericus Lucenſis, qui, ut mox obſervavimus, paſſim in ſuis Scriptis invehitur in Summos Pontifices, qui Romæ tempore Schiſmatis ſederunt, eum tamen, ipsâ rei evidentiâ compulſus, hoc elogio capite trigeſimo nono libri ſecundi *de Schiſmate univerſali* commendarit: *Iſte Pontifex fuit mitis, benignus, & compatiens afflictis, nec erat aliqua ſuperbia in eo, neque apud ipſum acceptio perſonarum: libens poſcentibus audientiam dabat, & ferè diebus ſingulis certis horis ſupplicationes ſibi porrectas ſollicitè ſignabat. Conſiſtoria privata & publica tenebat diebus & horis conſuetis, nec alicui moleſtus, neque cupidus, ſeu avarus exiſtebat. Simoniacos exoſos habuit &c.* Sub initium Pontificatus *Inno-*

nocentii VII. Roma haud parùm turbata eſt à *Ladiſlao*, Rege Neapolitano, quem maximis beneficiis idem Pontifex cumulaverat, pro quibus inſignes ille repoſuit injurias. At enim *Ladislaus* Urbis dominationi inhians, primò, Romanos in Pontificem concitare cœpit, deindè, ſimulans favere Pontifici, pacis interpretem ac ſequeſtrem ſe conſtituit, hac factâ conventione, ut gubernatio Urbis in temporalibus penès populum reſideret, illa autem pars, quæ dicebatur *Leonina*, ſcilicèt circà S. *Petrum*, in Summi Pontificis poteſtate cum Caſtro S. *Angeli* remaneret, Senatorque Urbis de voluntate Pontificis, & conſenſu populi aſſumeretur. Sed hæc initæ concordiæ pacta, quæ legi poſſunt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCCIV. Numero XVI. & ſequentibus, diù firma non permanſerunt ob novos tumultus, quos Gibellinorum, & Guelphorum factiones Romæ excitarunt. Gibellini, quos ſuo patrocinio fovebat Rex *Ladislaus*, & quorum Duces erant *Columnenſes*, *Sabelli*, & quidam alii Romani Proceres, populum ſpe recuperandæ libertatis ad rebellionem impellebant, quibus ex adverſo ſtrenuè obſiſtebant Guelphi, quorum Duces erant *Urſini*, authoritatem Romani Pontificis inconcuſsâ fide tuentes. Variæ inde inter utramque factionem mutuis odiis exacerbatam ſecutæ ſunt pugnæ, aliaque ſcelera, & probra hoſtilia perpetrata, donec à Gibellinis evocatus *Ladislaus* Rex, turbas utcùmque compoſuit, electis è factione Gibellina ſeptem Viris, qui Urbem adminiſtrarent. Non quievere tamen *Columnenſes*, Gibellinæ factionis Duces, qui clandeſtinis ſollicitationibus *Ladislaum* Regem ad capeſſendum Urbis

bis dominium continuò inſtigabant, & iniquis petitionibus fatigabant animum Pontificis, qui, ut eorum animos emolliret, in omnibus complacere eis ſtudebat, & unum ex familia Columnenſi Cardinalem creavit, qui poſteà fuit electus Papa, dictusque *Martinus V.*

Tantâ Pontificis manſuetudine flecti noluerunt rebelles, cùmque nova ac pernicioſa molirentur conſilia, contigit, ut *Ludovicus de Melioratis*, Nepos *Innocentii VII.* juvenis quidem audax, ſed temerarius, undecim ſeditioſos è Romanorum Proceribus, dum è Palatio Apoſtolico redibant, immanitèr trucidari juſſerit, inſcio tamen *Innocentio VII.* illudque facinùs deteſtante, ſicut teſtantur *Leonardus Aretinus, Theodoricus Niemus*, & *S. Antoninus*. Interim, rebelles ad arma concurrunt, fugit Pontifex Viterbium, & ſtatim *Joannes Columna* Palatium occupat, plebs Pontificiam ſuppellectilem diripit, Libros, Regeſta & Epiſtolas lacerat, *Innocentii* Papæ ſtemmata luto commaculat, recipiuntur à Cõjuratis copię à Rege *Ladislao* miſſę, quę tamen, dum in urbem penetrare, ac eam *Ladislai* Imperio totis viribus ſubjicere conantur, à Romanis, id ægrè ferentibus, propulſantur, & à *Paulo Urſino*, Pontificii exercitus Duce, diſſipantur. Tunc Romani ad officium & obedientiam *Innocentii VII.* reverſi, eum multis Legationibus in Urbem revocarunt, in qua anno MCCCCVI. ſummâ totius populi gratulatione, tanquam legitimus Dominus, exceptus eſt. In conjurationis reos anathema ſtatim vibravit Pontifex, ſed præcipuè in *Ladislaum* Regem, quem Campaniæ & Maritimæ Præfecturâ, Regno, terriſque, quas in feudum ab Eccleſia te-

ne-

nebat, & quibus ad opprimendam Eccleſiam Romanam abutebatur, privavit. Hoc Pontificio fulmine perculſus *Ladiſlaus*, veniam pacemque per Oratores ſupplex exoravit, & arcem Sancti Angeli, quam occupabat, reſtituit. Supplicis *Ladiſlai* preces benignè audivit *Innocentius VII.* &, ut erat ad clementiam propenſiſſimus, non ſolùm Cenſuras in illum, ejuſque fœderatos latas actutùm diſſolvit, ſed eum priſtinis honoribus reſtitutum, novâ Vexilliferi Romanæ Eccleſiæ dignitate auxit. Pacta Conventa Diplomate Pontificio confirmata refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCVI. quo anno idem Summus Pontifex *Innocentius VII.* obiit die ſextâ Novembris, & Concilium Generale, quod pro unione Eccleſiæ & extinctione Schiſmatis celebrare Romæ decreverat, illudque litteris publicis indixerat, propter urbicas ſeditiones, & proximè ſecutam mortem cogere non potuit. Non poſſum hìc ſilentio prætermittere duas res memoriâ dignas, quas in ſuo Pontificatu geſſit *Innocentius VII.* Regulam Fratrum & Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia S. *Dominici* anno primo ſui Pontificatus approbavit Conſtitutione, quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ*, quæ in Bullario Romano edita eſt; & Academiam Romæ excitavit, ad quam doctiſſimos omnium Facultatum Profeſſores evocavit, qui Philoſophiam, Theologiam, Jus Canonicum & Civile in Urbe docerent. Vacante poſt obitum *Innocentii VII.* Sede Pontificiâ, dubitaverunt Cardinales, an electioni Romani Pontificis ſuperſederent, maximè cùm *Benedictus XIII.* juramento Gallis, qui ei parebant, pollicitus fuiſſet, ſeſe abdicaturum, ut Collegio Cardinalium utriuſque partis convenien-

te, legitimum Eccleſiæ Caput eligeretur, ſicque penitùs aboleretur Schiſma. Vicit tandem eorum ſententia, qui eligendum quidem Pontificem ſuadebant, ſed priùs ſolemni juramento obſtringendum, ut, adverſario ſe abdicare volente, ipſe quoque Pontificatum ultrò dimitteret. Eâ mente Cardinales Conclave ingreſſi elegerunt in Romanum Pontificem *Angelum Corarium*, natione Venetum, Tituli S. *Marci* Presbyterum Cardinalem, dictum in Pontificatu *Gregorium XII.* Virum doctrinâ, religione, pietate ac probitate morum, ut tradunt *Leonardus Aretinus*, & *S. Antoninus*, omnium commendatione dignum, niſi tergiverſationibus, quibus ad retinendũ Pontificatũ contra præſtitum juramentum uſus eſt, & colluſionibus cum adverſario ſuo *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* harum virtutum famam commaculaſſet. At enim, *Gregorius XII.* qui in exordio ſui Pontificatus magnam ſpem omnibus fecerat reſtitutionis pacis Eccleſiæ, & ad eam promovendam Reges, Principes, Reſpublicas, Prælatos, atque Univerſitates per litteras fuerat adhortatus; Imperii poſteà deguſtatâ dulcedine, promiſſis & juramento ſtare noluit, ſecutus prava conſilia propinquorum, quos nimio affectu complectebatur, quique tergiverſationis & colluſionis, de qua cum ſuo æmulo certavit, authores fuerunt. Diviſi erant in duas partes Europæ Principes, ita ut periculum eſſet, ne partium ſtudiis ac novorum Pontificum ſubrogatione Schiſma æternùm propagaretur. Opportunè tamen accidit, ut Chriſtianiſſimus Rex *Carolus VI.* qui *Gregorium XII.* & *Benedictum XIII.* de Pontificatu contendentes ſuis colluſionibus mundo illudere per-

perſpectum habebat, omnibus ſuis ſubditis præceperit, ut ab Obedientia *Benedicti XIII.* recederent, egregiamque ſcripſerit Epiſtolam Paræneticam, quâ breviter narratis, quæ hactenùs eâ in cauſa egiſſet, univerſos Principes & Antiſtites, omnemque populum Chriſtianum hortabatur, ut obedientiam utrique contendenti ſubtraherent. Hæ Regis Chriſtianiſſimi *Caroli VI.* Litteræ legi poſſunt apud *Theodoricum Niemum*, apud *Gerſonium* Tomo I. pagina 315. & apud *Egaſſium Bulæum* Tomo V. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 137. 138. 141. & 147. Cardinales Obedientiæ *Gregorii XII.* eum ſæpiùs hortati fuerant, ut pro Eccleſiæ unitate & pace Pontificatui cederet, & Cardinalium Collegio, aut etiam Generali Concilio totum conciliandæ pacis negotium committeret. Ceſſionem quidem pollicebatur *Gregorius*, ſed eâ appoſitâ conditione, ut *Benedictus*, ejus æmulus, primus cederet. Tandem Cardinalibus innotuit, tam *Gregorium*, quàm *Benedictum*, moras datâ operâ nectere, & univerſo Orbi Chriſtiano fucum facere, cùmque contra pacta conventa, & juramentum in Conclavi præſtitum, & poſt creationem ſuam renovatum, quatuor novos Cardinales *Gregorius XII.* creaſſet, toto ſuæ Obedientiæ repugnante Collegio, Cardinales ab eo defecerunt, Piſas ſeceſſerunt, ſuæ ſeceſſionis rationem Fidelibus univerſis expoſuerunt Encyclicis Litteris, quæ apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCCVIII. Num. VIII. habentur. Piſas itaque cùm utriuſque partis Cardinales adventaſſent, in unum Collegium convenerunt, atque Concilium celebrarunt, dictum *Piſanum*, in quo utrumque de Pontificatu contendentem citarunt ad audiendam Sen-

tentiam definitivam Concilii in cauſa unionis Eccleſiæ, Fidei & Schiſmatis. De hoc Generali Concilio Piſano plura ſuo loco, ideſt, in Colloquio quarto, dicemus. Sufficiat hic obſervaſſe, Patres iſtius Concilii Sententiam tuliſſe in *Petrum de Luna*, qui *Benedictus XIII.* & in *Angelum Corarium*, qui *Gregorius XII.* dicebantur, tanquàm in notorios Schiſmaticos, & antiqui Schiſmatis nutritores, defenſores, approbatores, fautores, pertinaces &c. eis inhibuiſſe, ne aliquis eorum pro Summo Pontifice ſe gereret, ac ſub pœna excommunicationis vetuiſſe Catholicis ne eis parêrent. Poſt latam hanc exauctorationis Sententiam in *Gregor. XII.* & *Benedictum XIII.* qui de Papatu improbè contendebant, nec voluntatem habebant tollendi Schiſma per viam ceſſionis ab Eccleſia electam; Cardinales numero viginti quatuor concordibus ſuffragiis die XV. Junii anni MCCCCIX. Summum Pontificem elegerunt *Petrum Philargum*, vulgò *de Candia* nuncupatum, Ordinis Fratrum Minorum, Cardinalem, & Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui *Alexandri V.* nomen ſibi ſumpſit.

D. Hac *Alexandri V.* Pontificis Maximi electione fuitne extinctum Schiſma?

M. Qui de Papatu contendebant, *Gregorius XII.* & *Benedictus XIII.* nec Concilii Piſani Sententiæ adhærere, nec Pontificatui cedere voluerunt. *Petrus de Luna*, qui *Benedictus XIII.* dicebatur, & cujus geſta ſub finem iſtius Colloquii, deſcribemus, Pontificatus Inſignia uſque ad mortem invictâ pertinaciâ retinuit. *Angelus Corarius* dictus *Gregorius XII.* Concilium Auſtriæ in Aquileienſi Provincia anno MCCCCIX. celebravit, in quo Con-

Concilium Piſanum diſturbare ac evertere conatus eſt, & in Cardinales, qui ab ipſo defecerant, tulit exauctorationis Sententiam, cujus tamen ab Eccleſia nulla ratio habita eſt, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCCIX. Num. 1. Rebus Eccleſiæ hunc in modum perturbatis, *Ladiſlaus* Siciliæ Rex, qui in aquis turbidis piſcari geſtiebat, Romam occupavit, & alias pleraſque Status Eccleſiaſtici civitates & caſtra invaſit, ſed confeſtim à *Paulo Urſino* Romanæ libertatis vindice repulſus, abſcedere coactus eſt. Inſignia Pontificatus retinuit *Angelus Corarius*, dictus *Gregorius XII.* uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum decimum quintum, quo prioris colluſionis maculam eluit, & per *Carolum de Malateſtis* Pontificatum liberrimâ ceſſione depoſuit in Concilio Conſtantienſi ſeſſione XIV. ſicut in Colloquio quarto, ubi de Conciliis Sæculo XV. celebratis agendo, fuſiùs oſtendemus. Eâ factâ ceſſione, decrevit eadem Synodus Conſtantienſis, *Angelum Corarium*, antehàc nuncupatum *Gregorium XII.* fore ſemper Cardinalem Epiſcopum ſub titulo per eamdem Synodum, vel futurum Romanum Pontificem declarando (quem fuiſſe Portuenſem *Theodoricus Niemus*, Tuſculanum *Onuphrius* ait) ita ut ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitate & ordine haberetur. Inſuper creatus eſt perpetuus Legatus Piceni, ſeu Marchiæ Anconitanæ, & obiit Recaneti anno MCCCCXVII. ſicut ex ejus Epitaphio colligitur.

D. Seditne diù *Alexander V.* qui, ut mox ajebas, fuit in Concilio Piſano, abdicatis *Benedicto XIII.* & *Gregorio XII.* electus Pontifex Romanus?

M. Magno Eccleſiæ damno breviſſimus fuit

Pontificatus *Alexandri V.* de cujus patria, geſtis & Inſulis, quibus ante Pontificatum inſignitus eſt, pauca hîc ex *Luca Wadingho* in Annalibus Ordinis Minorum referre haud pigebit. In primis, *Alexandri V.* qui ante Pontificatum *Petrus Philargus* appellabatur, patria omninò incerta eſt. Probat tamen *Lucas Wadinghus* Tomo V. Annalium Minorum ad annum Chriſti MCCCCV. ex Chronicis MSS. eum fuiſſe ortu Cretenſem. In hoc conſentiunt omnes Scriptores, *Petrum Philargum* ex obſcuris progenitoribus natum eſſe, atque à pueritia, ſtudio, & favore cujuſdam Minoritæ, eò religioſæ vitæ ac doctrinæ in Ordine S. *Franciſci* provectum fuiſſe, ut Græcis & Latinis linguis apprimè excultus, ac Doctoratus lauream in Facultate Pariſienſi adeptus, Mediolani poſteà maximâ cum laude docuerit. In maximo honore *Petrus Philargus* fuit apud *Joannem Galeatium* Vicecomitem, qui magnâ tum temporis in Inſubria authoritate pollebat, quique illum ſibi addictiſſimum ad plures Epiſcopales Inſulas promoveri curavit, quas varii Authores ei adſcribunt, videlicèt Novarienſem, Vicentinam, Brixienſem, Placentinam, Patriarchatum Gradenſem, ac poſteà Mediolanenſem Archiepiſcopatum. De Brixienſi tamen & Gradenſi Epiſcopatibus valdè ſe ſubdubitare innuit *Lucas Wadinghus*. Pro tot acceptis honoribus *Petrus Philargus*, ut benefactori ſuo *Joanni Galeatio* Vicecomiti vices rependeret, ei ab Imperatore *Wenceslao* Ducis Mediolanenſis titulum impetravit. Ab *Innocentio VII.* Pontifice Maximo Romam accitus *Petrus Philargus*, Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum XII. Apoſtolorum renuntiatus eſt anno MCCCCV. ac tandem

dem

dem in Concilio Piſano anno MCCCCIX. indicto electus eſt omnium ſuffragiis, nemineque reclamante, in Romanum Pontificem, dictusque *Alexander V.* qui in Solio Pontificio conſtitutus, magna quæque molitus eſt, ut Eccleſiæ unionem ſolidâ pace ſtabiliret, & corruptos hominum mores, ortosque ex nimia, tempore Schiſmatis, Clericorum licentiâ abuſus ſtirpitùs eradicaret. Eam ob rem *Alexander V.* longam ſcripſit Epiſtolam Encyclicam ad Reges, Proceres, Prælatos, Clerum, Populumque totius Reipublicæ Chriſtianæ, quâ Schiſmatis ortum, progreſſum, damnaque indè nata, & unionem Eccleſiæ Catholicæ uno ſub indubitato Paſtore in Concilio Piſano feliciter procuratam explicat, cunctosque hortatur, nè ſubſidio, favore, obſequio, obedientiâ, aut aliâ re Romano Pontifici debitâ Pſeudo-Pontifices *Petrum de Luna*, dictum *Benedictum XIII.* & *Angelum Corarium*, nuncupatum in ſua Obedientia *Gregorium XII.* proſequantur. His peractis, *Alexander V.* Pontifex Maximus diris devovit *Ladislaum*, Siciliæ cis Pharum, ſeu Neapolis Regem, qui Eccleſiam Neapolitanam armatâ manu perturbabat, eumque privavit hoc Regno, cujus dominium tranſtulit in *Ludovicum* Ducem Andegavenſem. Opem tulit idem Summus Pontifex *Sigiſmundo* Hungariæ Regi, Turcarum potentiâ victo, Principesque Chriſtianos ad ſacram militiam contra illos capitales Fidei Chriſtianæ hoſtes ſtimulavit. Mox ad fidei injurias vindicandas Sanctiſſimus ille Pontifex ſeſe convertit, & hæreticum *Joannem Hus*, ejuſque ſequaces, qui Hæreſiarchæ *Wicleffi* errores in Bohemia ſpargebant, miſſo ad *Sbinkonem* Archiepiſcopum Pragenſem Diplomate,

reprimi, atque adhibitâ ſeveritate legum coerceri præcepit. Hoc *Alexandri V.* ad *Sbinkonem* diploma exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCIX. Num.LXXXIX. In gratiam Religioſorum Mendicantium Conſtitutionem, quæ incipit his verbis: *Regnans in excelſis*, edidit *Alexander V.* contra quam reclamarunt Doctores Pariſienſes, qui tam ampla Privilegia Religioſis Mendicantibus conceſſa ægris ac lividis oculis cernebant, multaſque turbas & tragædias occaſione prædictæ Conſtitutionis Pontificiæ in Galliis contra Religioſos Mendicantes excitarunt, ut videre eſt apud *Egaſſium Bulæum* Tomo V. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*. Denique, dùm Sanctiſſimus ille Pontifex ſummo ſtudio ſatageret Sedis Apoſtolicæ dignitatem perfectâ unione & morum reformatione reſtituere, Græcos Eccleſiæ Latinæ adjungere, Beneficia Eccleſiaſtica dignis conferre, ſimoniam procùl ab Eccleſia eliminare, Canonum obſervationi invigilare, ſuperſtites Schiſmatis fibras evellere, pacem terris reſtituere, ſerpentia vitia tollere, ac virtutes poſtliminio revocare, inopinatâ morte obiit Bononiæ die quartâ Maji anni MCCCCX. Pontificatus menſe decimo, die octavo. Eum venenato clyſtere extinctum fuiſſe teſtatur S. *Antoninus*. Hunc Romanum Pontificem, de Eccleſia licèt benè meritum, *Theodoricus Niemus*, maledicus Pontificum ſui temporis conviciator, acritèr inſectatur, & calumniis inceſſit, à quibus *Wadingbus* in Annalibus Minorum ad annum MCCCCX. eum egregiè vindicat teſtimoniis graviſsimorum Scriptorum, qui teſtantur *Alexandrum V.* fuiſſe Pontificem magno erectoque animo, ſummâ prudentiâ, tantâque erga pauperes liberalitate,

litate, ut ad eos ſublevandos nihil omninò ſibi reſervaret. Memorat etiam *Platina* in Opere *De Vitis Pontificum*, Alexandrum V. per jocum dicere ſolitum eſſe, *ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem*.

D. Quem in Sede Pontificia ſucceſſorem habuit *Alexander V.*

M. In locum defuncti *Alexandri V.* Pontificis Maximi, ſeptemdecim Cardinales, qui Bononiæ erant, in Conclave ingreſſi, ſuffecerunt *Baltaſarem Coſſam*, ſeu *Coxam*, Neapolitanum, qui die Dominicâ, ſeu die vigeſimâ quintâ menſis Maji an. MCCCCX. coronatus eſt, dictuſque *Joannes XXIII.* cùm tamen, juxta ſeriem Romanorum Pontificum, qui eo nomine donati ſunt, dici deberet *Joannes XXII.* Hic, dùm juvenis eſſet, Juri Civili & Pontificio Bononiæ operam dedit, ibidèmque Doctoratus gradu fuit inſignitus. Dein, Romam profectus, à *Bonifacio IX.* Pontifice Maximo inter Cubicularios aſcitus eſt; mox Archidiaconus Bononienſis, poſteà Protonotarius Apoſtolicus, indè Cardinalis S. *Euſtachii*, & Legatus Flaminiæ conſtitutus; quâ Legatione adeò præclarè functus eſt, ut Bononiam, & plures alias civitates à diverſis tyrannis occupatas recuperaverit, & in Eccleſiæ poteſtatem redegerit. Interfuit Concilio Piſano anno MCCCCIX. & tandèm electus eſt Pontifex Maximus anno, ut diximus MCCCCX. Eum belli, quàm pacis artibus meliorem, & parùm aptum ad Pontificatum fuiſſe, teſtantur *Leonardus Aretinus*, *Theodoricus Niemus*, & S. *Antoninus*. Sub exordium Pontificatus, *Joannes XXIII.* anathemate perculit *Ladislaum* Neapolis Regem, Eccleſiæ hoſtem, &

Ange-

Angeli Corarii Pſeudo-Pontificis fautorem, atque ut ejus potentiam, quâ toti jam Italiæ terribilis evaſerat, armis reprimeret, in eum immiſit *Ludovicum* Ducem Andegavenſem, adjunćto illi *Paulo Urſino*, copiarum Pontificiarum Duce, qui *Ladislaum* aggreſſi, eum magnâ ſtrage fuderunt. Sed Ducibus victoriâ ſuâ uti neſcientibus, animos vireſque reſumpſit *Ladislaus*, qui tamen territus ſacro bello, quod in ipſum velut in Eccleſiæ hoſtem, indixit *Joannes XXIII.* pacem iniit cum Summo Pontifice, ad ejus obedientiam acceſſit, relicto *Angelo Corario* Pſeudo-Pontifice, dicto *Gregorio XII.* qui ſe recepit Ariminum ad *Carolum Malateſtam*, amicum ſuum, ibique extitit, donec in Concilio Generali Conſtantiæ anno MCCCCXIV. celebrato Pontificatum depoſuit. At perfidus *Ladislaus* fœdus ictum cum *Joanne XXIII.* citò abrupit, &, adjuvantibus fautoribus ſuis, per mænia fracta ſubiit Romam, compulitque in fugam Pontificem, qui Florentiam venit, indèque duos Cardinales ad *Sigiſmundum* Imperatorem miſit, tum ut ejus opem imploraret adversùs *Ladislaum*, impium tyrannum, qui Italiam armis & populationibus infeſtabat; tùm etiam ut cum ipſo agerent de loco Concilii Oecumenici proximè celebrandi, quod communi conſilio indictum eſt Conſtantiæ, quæ eſt perampla Imperii civitas, quam Rhenus interfluit. Hanc Concilii Generalis Conſtantienſis celebrationem præceſſit mors *Ladislai* Regis propudioſæ libidinis, & Eccleſiæ infenſiſſimi hoſtis, qui ex immani luxuriæ intemperantia, ſeu ex nimio coitu, ſive, ut alii volunt, correptus igne ſacro, quo ejus pudenda cum violentiſſima febre exarſerunt, miſerè periit;

periit anno MCCCCXIV. Hoc de morte *Ladiſlai* Regis accepto nuncio, quo univerſa Italia, ab ejus tyrannide tandem aliquandò libera, exultavit; Bononiâ digrediens Pontifex *Joannes XXIII.* per Tridentinum agrum tranſmiſſis Alpibus Conſtantiam acceſſit, ibique ſolemni pompâ & honoribus exceptus initium dedit Concilio Generali Conſtantienſi, de quo latè diſſeremus in quarto Colloquio. Hìc obitèr obſervabo, *Joannem XXIII.* in ſecunda Seſſione hujusce Concilii ſolemne juramentum & votum edidiſſe, ac promiſiſſe, ſe, ad tollendum Schiſma, & ad reddendam, abſolutiſſimam Eccleſiæ Catholicæ pacem, Pontificatu ultrò ceſſurum, ſi huic quoque duo alii æmuli, videlicèt *Petrus de Luna*, qui *Benedictus XIII.* & *Angelus Corario*, qui *Gregorius XII.* dicebantur, renunciarent; immò ad deponendum Pontificatum ſeſe paratiſſimum exhibuit *Joannes XXIII.* quotiès exoptatiſſima Eccleſiæ unio ejus ceſſione procurari poſſet. Verùm, paulò poſt Joannem *XXIII.* facti pœnituit, & ne ceſſionis promiſſum juramento ac voto confirmatum exequi cogeretur, tacitus abſceſſit, & diſſimulato habitu, operâ *Friderici* Ducis Auſtriæ, fugit Schaffuſam, Oppidum ejusdem *Friderici*, quod quatuor milliaribus ab urbe Conſtantiæ diſtabat. Hæc inopinata Pontificis fuga terruit quidèm omnes Concilii Patres, quibus animos fecit *Sigiſmundus* Imperator, pollicitus auxilium & operam, donec pax certa Eccleſiæ redderetur. Tandèm in Seſſione XII. Concilii Generalis Conſtantienſis lata eſt in *Joannem XXIII.* exauctorationis Sententia, cui ipſe, ad promovendam Eccleſiæ pacem, ſe parêre humilitèr profeſſus, Pontificiæ Dignitatis inſignia depoſuit.

fuit. Nihilominùs, ne à propoſito reſiliret Pontificatu abdicatus *Joannes XXIII.* ductus eſt primùm *Haldebergam*, deinde ad Caſtrum *Gotlevem*, & triennio diligentiſſimè cuſtoditus. Indè tamen eductus, cùm ad *Martinum V.* qui in Concilio Conſtantienſi Romanus Pontifex fuerat electus, duceretur, fugâ evaſit, ſed Eccleſiæ pacis conſervandæ cupidus, ſuâ ſponte Florentiam venit, ubi tunc *Martinus V.* Pontifex Maximus agebat, eum, ut verè & legitimè electum agnovit, & omnia, quæ Concilium Conſtantienſe adversùs illum decreverat, rursùs cum ingenti omnium voluptate approbavit IX. Kalendas Julii anni MCCCCXIX. A *Martino V.* Pontifice Maximo cum ſumma benignitate exceptus, ſtatim Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, & Sacri Collegii Decanus renuntiatus eſt, eique, ob memoriam Romani Pontificatus, quem aliquandò juſtè ac legitimè geſſerat, conceſſa fuit Sedes propè Pontificiam paulò eminentior, quàm cęterorum Cardinalium. Obiit tandèm Florentiæ die XXII. menſis Decemb. ejusdem ann. MCCCCXIX. Plura de depoſitione *Joannis XXIII.* dicemus in Colloquio IV. ubi omnia, quæ ad abolendum Schiſma, & ad unitatem, pacemque Eccleſiæ reſarciendam in Concilio Generali Conſtantienſi geſta ſunt, ſingillatim expendemus: breviter tamen dicam eximiâ laude dignum ſeſe præbuiſſe *Joannem XXIII.* dum ad procurandam Eccleſiæ unitatem, quæ aliter conſummari haud poterat, depoſitioni ſuæ in Concilio Conſtantienſi factæ conſenſit, ſecutus hac in re egregium documentum Sancti *Auguſtini* in Epiſtola ad *Marcellinum* Tribunum ante Collationem Carthaginenſem datâ, & insertâ libro

libro ejuſdem Sancti *Auguſtini* De Geſtis cum *Emerito* Donatiſtarum Epiſcopo, ubi hæc habet Sanctus ille Doctor: *Quid enim dubitemus Redemptori noſtro Sacrificium iſtius humilitatis offerre? an verò ille de cœlis in humana membra deſcendit, ut membra ejus eſſemus, & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de Cathedris deſcendere formidamus? Propter nos nihil ſufficientius, quàm ut Chriſtiani, Fideles, & obedientes ſimus. Hoc ergò ſemper ſumus. Epiſcopi autem propter Chriſtianos populos ordinamur. Quod ergò Chriſtianis Populis ad Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus.*

D. Jam probè intelligo, ad procurandam Eccleſiæ pacem in Concilio Generali Conſtantienſi *Angelum Corarium*, qui dicebatur *Gregorius XII.* Pontificis Infulas ſpontè depoſuiſſe, & *Petrum de Luna*, nuncupatum *Benedictum XIII.* nec non *Joannem XXIII.* fuiſſe exauctoratos. At nunc ſcire velim, an per electionem *Martini V.* eodem in Concilio factam, pax fuerit omninò redintegrata, & univerſa Eccleſia ſub uno vero ac legitimo Romano Pontifice tandèm adunata?

M. Maxima omnium fuit de electione *Martini V.* Pontificis Maximi lætitia. Imperator *Sigiſmundus* incredibili gaudio effuſus, gratias omnibus egit, qui tantum virum, & Reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ neceſſarium delegiſſent. Solus *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus XIII.* in quem Concilium Conſtantienſe Seſſione XXXVII. peremptoriam tulerat Sententiam velut in periurum, Schiſmaticum, pertinacem, & hæreticum, communem lætitiam, ac redditam Eccleſiæ pacem ma-

gno

gno quidem ſed inani ſtudio perturbare molitus eſt. Ille quippè, ab omnibus licèt deſertus, ſpretis Conciliorum Piſani & Conſtantienſis Decretis, Inſignia Pontificis ad extremum uſque ſpiritum pertinax retinuit, quamvis Eccleſia tota ipſum, ceu Antipapam, execraretur: immò, paulò antequam moreretur, duobus Cardinalibus, qui ipſi adhùc adhærebant, ſub interminatione maledictionis æternæ juſſit, ut alium Pontificem poſt ejus obitum eligerent. Supremis hujus Pſeudo-Pontificis mandatis obtemperarunt duo iſti Cardinales Schiſmatici, & ſtatim poſt ejus obitum, *Ægidium Sancii Munionis* Aragonenſem, Barcinonenſis Eccleſiæ Canonicum, elegerunt Antipapam, qui *Clemens VIII.* appellari voluit. At iſte larvatus & umbratilis Pontifex poſt innumeras tergiverſationes, tandem anno MCCCCXXIX. ornamenta Pontificalia depoſuit, ad pedes *Martini V.* ſeſe abjecit, eumque, ut verum & legitimum Pontificem agnovit & coluit. Tunc penitùs deſiit funeſtum illud ac diuturnum Schiſma, quod per annos quinquaginta & unum Eccleſiam exagitavit, hoc eſt, ab anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, quo *Urbanus VI.* Romæ, & *Clemens VII.* Avenione Sedem Pontificiam tenêre cœperunt, uſque ad annum milleſimum quadrigenteſimum vigeſimum nonum, quo Pſeudo-Pontifex *Clemens VIII.* ſe *Martino V.* legitimo Pontifici ſubjecit.

D. Quo anno *Martinus V.* electus fuit Pontifex Romanus, & quibusnam potiſſimùm dotibus in Pontificatu præfulſit?

M. Concordibus ſuffragiis die XI. Novemb. anni MCCCCXVI. *Odo de Columna*, patriâ Romanus,

ex

ex illuſtriſſima Columnenſium proſapia oriundus, Cardinalis Tituli S. *Gregorii* in *Velabro* ſeu ad Velum aureum, Pontifex Romanus electus eſt, dictusque *Martinus V.* qui tamen juxa Ordinem Romanorum Pontificum, qui eo *Martini* nomine nuncupati fuerunt, dicendus eſſet *Martinus III.* Ad hunc honoris apicem cùm cæteræ virtutes, quibus inſignitèr conſpicuus erat, tùm eximia præcipuè moderatio, humanitas, manſuetudo, juſtitia, morum integritas, & inſignis prudentia diuturno rerum uſu comparata, eum extulerunt. *Tali profectò Pontifice*, inquit Platina, *indigebat Eccleſia Dei, qui naviculam Petri, Schiſmatis & omnium ſeditionum fluctibus quaſſam, redigere in portum ſalutis, gubernaculo admotus ſciret ac poſſet.* In Sede S. *Petri* collocatus *Martinus V.* nihil antiquius habuit, quàm ut reſarciret damna, quæ prolixiſſimùm & adhuc fumigans Schiſma intulerat Eccleſiæ, atque in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ ſerpentes *Wickleffi, Jonnnis Hus*, & *Hieronymi de Praga* peſtilentiſſimas hæreſes penitùs profligaret. Eam ob rem VIII. Kalendas Martias anni MCCCCXVIII. Conſtitutionem edidit, quâ Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus juſſit, ut ejusmodi Hæreticos, eorumque fautores ac defenſores, ex præſcripta judiciorum formâ coercerent. Miſit etiam in Bohemiam, & Hungariam Legatum *Joannem Dominici* Cardinalem Raguſinum Ordinis FF. Prædicatorum, cui ad extirpandas Hæreſes, & Hæreticos ad veritatem Catholicæ Fidei, ad gremium Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ obedientiam revocandos ampliſſima dedit mandata, quæ *Odoricus Raynaldus* exhibet ad annum

num MCCCCXVIII.Num.IX.Sacram Expeditionē adverſus Hæreticos Huſſitas indixit *Martinus V.* quæ tamen felici exitu caruit, ob ingentem cladem, quam Catholicus exercitus, ita Deo permittente, accepit ab Hæreticis, quorum Dux erat *Joannes Ziska*, Vir fortiſſimus, qui, ut in primo Colloquio obſervavimus, ſæpiùs *Sigiſmundum* Imperatorem pro Catholicis pugnantem devicit ac ſuperavit. Intereà, animum non deſpondit *Martinus V.* ſed potiùs omnes ſuas curas ad delendam Huſſitarum Hæreſim intendit. Litteras ad *Vladislaum* Poloniæ Regem ſcripſit, quibus ei gratulatus eſt, quòd Bohemici Regni coronam ab Huſſitis Hæreticis oblatam reſpuiſſet. *Conradum* Pragenſem Archiepiſcopum, qui ejuratâ fide Catholicâ, Hæreticis Huſſitis ſe ſe adjunxerat, eorumque peſtiferos errores coacto Conciliabulo confirmare ac propagare pręſumpſerat, anathemate perculit, eumque, latâ Sententiâ, dignitate Archiepiſcopali dejecit, & omni honore, ordine, Statu, Beneficio, Privilegio, privatum edixit, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum*, qui prædictam Summi Pontificis Sententiam refert in ſuis Annalibus ad annum MCCCCXXVI. Num. XI. *Jordanum* Cardinalem *De Urſinis* Albanenſem Epiſcopum, in Germaniam, Hungariam & Poloniam Legatum Apoſtolicum miſit, ut Sacram Expeditionem adversùs Bohemos hæreticos promoveret. Principes Chriſtianos, præſertim *Witholdum*, Magnum Lituaniæ Ducem, hortatus eſt, ut Catholicis opem ferret contra Huſſitas, quibus ut perpetuam infamiæ notam inureret Summus Pontifex, juſſit, ut oſſa *Joannis Wikleſſi*, cujus errores mordicùs defendebant Huſſitæ,

ſitæ, exhumarentur, exurerentur, ejusque cineres in profluentem abjicerentur. Verùm, tot curas *Martini V.* in extinguenda Huſſitarum Secta, totque Sacras indictas ab ipſo Expeditiones inanes planè reddidit *Joannes Ziska*, Huſſitarum Dux militiæ pertitiſſimus, qui quamdiù vixit, crudelem in Catholicos exercuit carnificinam, & moriens juſſit, cadaveri ſuo detrahi pellem, ex qua tympanum fieret, quod in Bello eſſet Catholicorum terriculum: *Tympanum*, inquit, *facite, atque hoc in prælio Ducem habete: nam quovis locorum Theutones ſonum ejus audierint, mox terga dabunt, Ziskam in tympano formidantes*, ſicut refert *Æneas Sylvius* (qui fuit poſteà Summus Pontifex dictus Pius II.) in *Hiſtoria Bohemica* cap. 46. & Epiſtola 122. libri primi.

Non ſolùm Wikleffiſtarum & Huſſitarum Hæreſes exterminare curavit *Martinus V.* Pontifex vigilantiſſimus, ſed etiam in excidium Hæreticorum Fratricellorum, qui vulgò *Fratres de Opinione* in Italia dicebantur, totus ardentiſſimo zelo incubuit. Ejus litteras ad Præſides & Inquiſitores eâ de re editas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCXXVIII. Num. XI. Dedit etiam idem Summus Pontifex Albanenſi, & Portuenſi Epiſcopis Cardinalibus ampliſſimam ad illos hæreticos in ordinem redigendos authoritatem. *Nicolaum Servrarium* Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini* damnavit, quòd Sacramenta ab impiis Sacerdotibus, & Concubinas publicè foventibus validè confici, & Sanctos religiosè coli negaret. Aliquot etiam errores, in quos lapſus eſt *Matthæus Grabon*, Ordinis Prædicatorum Profeſſor, proſcripſit idem

Summus Pontifex, ut opportuniùs oſtendemus in ſequenti Colloquio, ubi errores & Hæreſes, quæ Sæculo Eccleſiæ decimo quinto eruperunt, accuratè referemus. Apoſtolicam in Chriſtianos Principes beneficentiam explicuit *Martinus V.* diſſidentes conciliare ſtuduit, Eccleſiæ jura ac libertates adversùs ipſos intrepido animo tuitus eſt. *Vladislaum* Poloniæ Regem propter bella in Barbaros præclarè geſta magnis auxit privilegiis. Regnum Siciliæ *Ludovico* Andegavenſi Duci, quem *Joanna* Siciliæ Regina in filium adoptaverat, vindicavit, ejusque jura adversùs *Alphonſi* Aragonum Regis tyrannidem propugnavit. *Henricum V.* & *Henricum VI.* Angliæ Reges ad pacem cum *Carolo VII.* Galliarum Rege ineundam, miſſis Legationibus, vehementer eſt adhortatus. Græcos à Schiſmate revocare ſategit Optimus Pontifex, datis ad *Manuelem, & Joannem Palæologos*, Græcorum Imperatores, Litteris, miſſisque Nuntiis, qui de conjunctione Eccleſiarum cum ipſis & Joſepho Patriarchâ Conſtantinopolitano, cui hæc unio maximè in votis erat, agerent, ac Latinorum auxilia contra Turcas ipſis Pontificio nomine pollicerentur, ſtatim ac Sacrum fœdus fuiſſet inſtauratum. Sed hæc utriusque Eccleſiæ unio peracta eſt dumtaxàt in Concilio Oecumenico Florentino ſub *Eugenio IV.* Summo Pontifice & ſucceſſore *Martini V.* Concilium Generale ad reformandos mores, & ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam Ticini, ſeu Papiæ, indixerat *Martinus V.* ſed cùm peſtiferâ lue tum temporis, ſeu anno MCCCCXXIII. inficeretur Papienſe Cœlum, placuit Pontifici Concilium transferre Senas, quod tamen ob exiguum Prælatorum numerum, & in-

ingruentes undique bellorum procellas, ſed maximè metu *Alphonſi*, Aragonum Regis, aliorumque nonnullorum, qui Schiſma renovare moliebantur, diſſolvit *Martinus V.* aliudque Concilium, ſeptennio poſt *Baſileæ* celebrandum decrevit. Diſciplinæ Eccleſiæ inſtaurandæ ſtudioſſimum fuiſſe *Martinum V.* probat non ſolùm ea Sententia, quam tulit in omnes Simoniacos tàm occultos, quàm publicos, quos Cenſuris Eccleſiaſticis percuſſit, ſed etiam mira illa prudentia, quâ in dandis Beneficiis utebatur. *Non enim*, teſte *Platina* in ejus Vita, *unicuique petenti ea conferebat, ſed ſtatim mente agitabat, quis potiſſimùm eſſet idoneus, cui talis cura demandaretur. Quod ſi homines Provinciarum non noſſet, in quibus vacare Beneficia contigiſſet, ſtatim peritos regionum conſulebat, quis aut in Curia, aut Gymnaſiis publicis eſſet doctrina, nobilitate, moribus tanta provincia dignus. Atque hac quidem ratione & Eccleſiis, & hominibus honore dignis paritèr conſulebat cum maxima celebritate nominis ſui.* Decretum *Urbani IV.* de Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti celebrando confirmavit *Martinus V.* noviſque propoſitis Indulgentiis Fidelium ergà Auguſtiſſimum Sacramentum pietatem excitavit. Tandèm, poſt innumera præclarè geſta, quæ hìc referre nimis longum eſſet, obiit Romæ *Martinus V.* ex Apoplexia die xx. Februarii anni MCCCCXXXI. cùm ſediſſet annos tredecim, menſes tres, ac dies duodecim. *Huic Summo Pontifici*, inquit Spondanus, *Eccleſia unionem, Italia quietem, Roma reſtaurationem debuit, cæteræ nationes eximiam de omnibus benè merendi voluntatem agnoverunt.* Hæretici accuſant *Martinum V.* primò, quòd conceſsâ diſpen-

ſatione cuidam permiſerit ut matrimonium cum ſorore germana contraheret. Sed hoc putidum commentum eſſe evincitur teſtimonio S. *Antonini*, qui 3. Part. Summæ Tit. 1. Cap. XI. diſertè ait, hanc diſpenſationem à *Martino V.* fuiſſe conceſſam cuidam, qui matrimonium contraxerat cum fœmina, cujus ſororem occultâ fornicatione conſtupraverat. Super cujus affinitatis impedimento, quod nec juris naturalis eſt, nec divini, Summum Pontificem diſpenſare poſſe, in confeſſo eſt apud omnes Theologos, & Canonici juris Interpretes. Secundò, Hæretici accuſant *Martinum V.* de nimia cumulandarum pecuniarum cupidine. Sed idem S. *Antoninus* in Chronico Tit. 21. Cap. 8. parag. 3. ab hac calumnia *Martinum V.* vindicat eo potiſſimùm nomine, quòd ejusmodi pecuniæ inſumptæ ſint in ſtipendiarios, & ad debellandos Eccleſiæ hoſtes; vel ad reſtaurationes Eccleſiarum, aliaque Urbis ornamenta fuerint expenſæ. Quâ de re videſis etiam Spondanum ad annum MCCCCXXXI. Num. 3.

D. Perge, quæſo, aliorum Pontificum, qui Sæculo XV. Sedem Romanam tenuerunt, ſeriem, Geſtaque deſcribere.

M. Poſt juſta funebria *Martino V.* Pontifici Maximo de more perſoluta, Cardinales, qui tum temporis in Urbe erant, ingreſſi ſunt Kalendis menſis Martii anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi primi Conclave, quod habitum eſt in Conventu S. *Mariæ ſuper Minervam* Ordinis FF. Prædicatorum, & in Summum Pontificem elegerunt, *Gabrielem Condulmerium* patriâ Venetum, illuſtri ſanguine oriundum, *Gregorii XII.* ex ſorore nepo-

nepotem, Tituli S. *Clementis* Preſbyterum Cardinalem, qui ſumpto nomine *Eugenii IV.* Coronam Pontificiam in Baſilica S. *Petri* accepit v. Idus Martii ejusdem anni. Fuit *Eugenius* Papa, teſte S. *Antonino* III. Par. Chronicorum Tit. XXII. Cap. X. *ſtatura procerus, gratioſus aſpectu, nec animo minor, liberaliſſimus ad pauperes, ad reparationem Eccleſiarum munificus, Religioſos Deum timentes eximio fovebat affectu paritèr & effectu, cultus divini, & Chriſtianæ Religionis dilatandæ zelator præcipuus.* Ipſo ſui Pontificatus exordio civilem ſeditionem à Columnenſibus, *Martini V.* nepotibus, paſſus eſt *Eugenius IV.* eò quòd immenſum theſaurum pro neceſſitatibus Eccleſiæ congregatum, ab ipſis injuſtè illum retinentibus ſeverè exegiſſet. Sed illorum audaciam repreſſit Pontifex, ſubſidiariis Florentinorum ac Venetorum copiis in ipſos immiſſis, & latâ in eos Sententiâ, quam refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCXXXI. De abolendâ Hæreticorum Huſſitarum Sectâ per Bohemiam latè diffuſâ multùm ſollicitus *Eugenius IV.* Legationem, quam *Martinus V.* ad ſacram Expeditionem contra hujuſmodi Hæreticos promovendam, & ad Synodum Baſileenſem celebrandam, Cardinali *Juliano Cæſarino* crediderat, litteris ad illum datis confirmavit. At, tàm ſacræ adversùs Hæreticos Huſſitas ſuſceptæ Expeditionis, quàm Synodi Baſileenſis infelix exitus fuit. *Fridericus* quippè Marchio Brandeburgenſis, quem *Sigiſmundus* Imperator huic Expeditioni ſacræ præfecerat, in Bohemiam cum exercitu quadraginta millium Equitum Germanorum ingreſſus, primùm rem bene geſſit, populationibus, cœde, incendiis, quibus Hæreti-

corum villas devaſtavit, oppida diripuit, nullâque ſexus, ætatisve habitâ ratione, in omnes promiſcuè Hæreticos Huſſitas ferro flammâque ſæviit. Sed, audito Bohemorum, ſeu Hæreticorum Huſſitarum adventu, *Fridericus*, Germanici exercitus Dux, terrore panico correptus, ſuas paſſus eſt diffluere copias, tamque præcipitem arripere fugam, ut, teſte *Michovio* cap. 52. libri quarti *De Rebus Polonicis*, caſtra Germanorum cum curribus omni genere divitiarum & epularum plena victrici Hæreticorum Huſſitarum exercitui in prædam relicta ſint, captaque etiam fuerit Crux Legationis Cardinalis *Juliani Cæſarini*, ac ejus veſtes ludibrio à Bohemis habitę. Nec feliciorem exitum nacta eſt Synodus Baſileenſis, cui tanquam Legatus Summi Pontificis *Eugenii IV.* præfuit jam laudatus *Julianus Cæſarinus*. Hanc Synodum ſtatim Romanus Pontifex diſſolvere, ac Bononiam tranferre decrevit, tum quia grave tunc in omni Baſileæ vicinia Burgundum inter & Auſtriacum Duces bellum ferveret, & in armis ſtarent Bohemiæ Moraviæque populi Huſſitarum Hæreſi infecti, quorum injuſtis poſtulatis Synodus haud poterat aſſentiri: tum quia etiam ineundæ Græcorum cum Latinis unioni commodior videretur Bononia, quàm Baſilea. Huic de Synodi Baſileenſis diſſolutione Decreto ab *Eugenio* Pontifice lato interceſſerunt cum *Juliano Cæſarino*, Cardinali Legato, Baſileenſis Concilii Patres, ac tandem allaborantibus per Legatos *Sigiſmundo* Imperatore, *Carolo VII.* Galliarum Rege, aliiſque Principibus Chriſtianis, Decretum diſſolutionis reſcidit Summus Pontifex, Concilii Baſileenſis celebrationem ac continuationem

nem approbavit, lataſque in Patres Baſileenſes Cenſuras irritas declaravit Diplomate dato die xviii. Kalendas Januarii anni mccccxxxiv. quod Baſileæ Nonis Februarii Seſſione xvi. promulgatum eſt. His ità compoſitis, Concilium Baſileenſe, conſentiente *Eugenio* Pontifice Maximo, & præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, continuatum eſt uſque ad Seſſionem xxv. in quà Summum Pontificem inter & Synodum Baſileenſem novum emerſit diſſidium circà locum, in quo futurum Concilium de unione Græcorum cum Latinis celebrari debebat. *Eugenius* Papa, Diplomate dato die xiv. Kalendas Octobris anni mccccxxxvii. Concilium Baſileenſe Ferrariam tranſtulit ob adventum Græcorum, qui jam longi itineris laboribus fracti, nolebant aſperam, difficillimamque profectionem uſque Baſileam per arduos & præruptos montes glacie & nivibus opertos aggredi. Hanc Concilii translationem ægrè admodùm tulere factioſi quidam Antiſtites Baſileenſes, qui ſpiritu ſchiſmatico acti Sententiam exauctorationis in *Eugenium IV.* Pontificem Maximum tulerunt, *Amedeum*, Sabaudiæ Ducem, ſub *Felicis V.* nomine Papam ſalutarunt, ſeu potiùs Pſeudo-Pontificem obtruſerunt, ſibique grande vituperium ac fœdam maculam accerſiverunt, novum in Eccleſia excitando Schiſma. *Eugenius* Papa ſibi ſemper conſtans, ſpretis citationibus, minis, ſuſpenſionis Sententiâ in ſe latâ, dictoque in illos factioſos Antiſtites Baſileenſes anathemate, Concilium Ferrariæ aperuit, quod tamen, peſtilentiâ Ferrariæ graſſante, Florentiam tranſtulit, ubi tandem utriusque Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ,

unio feliciter conſummata eſt, & Armenorum, Jacobitarumque ad Eccleſiæ Romanæ gremium acceſſione cumulata totius Orbis Chriſtiani lætitia, ſicut in Colloquio quarto, agendo de Conciliis Sæculo XV. celebratis, copioſiùs oſtendemus. Hæc Græcorum cum Latinis unio, ſicut & poſteà conſecutus Syrorum, ac Meſopotamenorum, Chaldæorum, & Maronitarum ad Eccleſiæ Romanæ Communionem reditus ſummâ quidem voluptate *Eugenium IV.* perfuderunt. At eum paulò poſt maximo mærore confecit infauſtus exitus Sacræ Expeditionis, quam in Hungaria contra Turcas urgendam decreverat *Juliani Cæſarini* Cardinalis operâ; & *Uladislai* Poloniæ, & Hungariæ Regis virtute. Commiſſo namque Varnenſi prælio, cujus in ſuperiori Colloquio mentionem fecimus, cuique *Amurathes* hujus nominis *II.* Turcarum Imperator interfuit, profligatum Chriſtianorum exercitum, cæſum *Uladislaum* Polonorum Regem, & *Julianum Cæſarinum* Cardinalem Legatum interemptum luxit Pontifex Maximus anno MCCCCXLIV. Sedit *Eugenius IV.* annos XVI. minùs diebus octo, & obiit VII. Kalend. Martii anni MCCCCXLVII. Fluctuantem turbulentiſſimis illis temporibus Petri naviculam peritè rexit Summus ille Pontifex, quem *Platina* ait fuiſſe aſpectu inſignem, gravem in dicendo, liberalem in omnes, præſertim in litteratos, quos inter *Leonardum Aretinum*, *Carolum Poggium*, *Blondum*, viros id ætatis doctiſſimos, ſingulari benevolentiâ complexus eſt. Teſtatur etiam Author Vitæ *Eugenii IV.* cujus MS. à *Ferdinando Ughello* ſecum communicatum laudat *Odoricus Raynaldus*, hunc Summum Pontificem rarò

vinum

vinum bibiſſe, & unico ferculo fuiſſe contentum; contemptorem auri eximium extitiſſe, in vili & aſpero lecto dormiviſſe, in pauperes beneficentiſſimum, & in executione rerum, quæ bonum Eccleſiæ regimen ſpectabant, adeò conſtantem, ut nullis Principum precibus ab æqui tramite unquàm deflexerit. *Sigiſmundum* Romanorum Regem coronam Imperii ſolemni ritu anno MCCCCXXXIII. Romæ ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo accepiſſe, jam obſervavimus in præcedenti Colloquio. Alia præclara *Eugenii IV.* Geſta collecta in unum legeſis apud *Platinam*, & *Ciacconium*, qui Vitas Romanorum Pontificum ſcripſerunt.

D. Mortuo *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, conſenſitne univerſa Eccleſia in electionem veri ac legitimi Romani Pontificis, ſublato *Amedeo*, Duce Sabaudiæ, quem contra *Eugenium IV.* rebelles Antiſtites jam diſſoluti Concilii Baſileenſis Pſeudo-Pontificem intruſerant?

M. Poſt obitum *Eugenii IV.* & exequias per novem dies de more actas, Cardinales Conclave ingreſſi elegerunt in Romanum Pontificem *Thomam Sarzonenſem*, humili genere ortum, tituli S. *Suzannæ* Presbyterum Cardinalem, & Bononienſem Epiſcopum, virum doctrinâ & omni fermè Scientiarum genere clariſſimum, tantâque modeſtiâ præditum, ut Pontificatum, ad quem omnium ſuffragiis provectus fuerat, omni operâ à ſe amoliri tentaverit, hac dignitate indignum ſe prædicans. Coactus tandem impoſitum ſubire onus, Thronum Apoſtolicum conſcendit, voluitque appellari *Nicolaus V.* ob memoriam *Nicolai Albergati* Cardinalis, cujus anteà in obſequiis ac familiari-

liaritate fuerat, atque ab eo prædictionem Summi Pontificatus acceperat. Placuit omnibus Principibus Chriſtianis hæc *Nicolai V.* Pontificis Maximi electio. *Fridericus* hujus nominis *III.* Romanorum Rex in ſolemni Ordinum Imperii Conventu vetitâ omni cum Antipapa *Felice V.* & Baſileenſibus Patribus communicatione, obedientiam ab omnibus Imperio ſubditis *Nicolao V.* tanquam vero & legitimo Pontifici Romano exhiberi juſſit. *Carolus VII.* Galliarum Rex, indicto Lugduni Conventu, pacem Eccleſiæ dare ſtatuit, & *Felici V.* Gebennæ tunc agenti perſuaſit, ut Pontificatum abdicaret, ſeque *Nicolao V.* vero Pontifici ſubjiceret. Hujus Chriſtianiſſimi Regis precibus & adhortationibus victus *Amedeus*, dictus in ſua Obedientia *Felix V.* magno Eccleſiæ bono, umbratilem Pontificatum, quem invitus ſuſceperat, ac novem annos poſt injuſtam *Eugenii IV.* depoſitionem geſſerat, ad pedes *Nicolai V.* ultrò abdicavit anno MCCCCXLIX. Publicas hujus ceſſionis tabulas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad hunc annum Num. III. Magnos honores *Amedeo*, anteà in ſua Obedientia *Felici V.* nuncupato, conceſſit *Nicolaus V.* videlicèt ut in ditionibus Ducis Sabaudiæ Vicarius, & Sedis Apoſtolicæ perpetuus eſſet Legatus; ei venienti Pontifex aſſurgeret, ille tantùm oſculum oris redderet, omnia reſervaret ornamenta & Inſignia Pontificalia, demptis tamen delatione Corporis Chriſti, annulo Piſcatoris, Cruce in pedibus ac umbella. Cardinales, quos *Amedeus* dictus *Felix V.* creaverat, recepit *Nicolaus V.* eosque veris ac legitimis adnumeravit. Omnia, quæ tam in foro contentioſo, quàm in foro conſcientiæ in perſonis, & locis, quæ *Felici* antehàc obe-

obediebant, facta fuerant, pro bono pacis & unionis Eccleſiæ, de Apoſtolicæ plenitudinis poteſtate approbavit ac confirmavit *Nicolaus V.* Omnes itidem perſonas cujuſcumque dignitatis, ordinis & conditionis, quæ, ob adhæſionem *Felici* & Concilio Baſileenſi jam diſſoluto, Beneficiis aut juriſdictionibus ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo privatæ fuerant, in integrum itidèm reſtituit, ac tandem omnia, quæ contra eumdem *Felicem*, vel ei adhærentes odiosè dicta vel ſcripta fuerant, nulla & irrita declaravit, eaque omnia ex Regeſtis *Eugenii IV.* & aliis quibuſcumque locis aboleri & expungi juſſit, datis in eam rem tribus Conſtitutionibus, quibus voluntatem ſuam univerſo Orbi teſtatam eſſe voluit, ut videre eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCCXLIX. Num. IV. His tribus *Nicolai V.* Conſtitutionibus ſancitâ Eccleſiæ pace, *Amedeus*, dictus in ſua Obedientia *Felix V.* ſeceſſum ſuum Ripalliam repetiit, & depoſito Pontificatu glorioſior, quàm recepto, ſanctè obiit, multisque poſt obitum miraculis effulſit, ſicut *Philippus Bergomenſis*, & alii teſtantur. Quâ de re legendus eſt etiam *Monodus* in *Amedeo Pacifico*. Obſervat *Spondanus* ad annum MCCCCXLIX. Num. III. *Amedeum* dictum *Felicem V.* quò potentior apud homines videri poterat, utpotè conſanguinitate vel affinitate cunctis fermè Chriſtianis Principibus conjunctus, eò gratiorem Deo eſſe quæſiviſſe perpetuo & eximio veræ humilitatis exemplo, *quod & Deus adeò acceptú habuit, ut ejus ſolo fortè merito conceſſerit, nunquàm hactenùs ab eo tempore ullum ſuccreſcere in Eccleſia Romana Chriſti Sponſa Schiſma, quibus anteà frequentiſſimè concutiebatur.* Reſtitutâ Eccleſiæ pace, *Nicolaus V.* Pontifex Maximus, renaſcentem

tem in Boſnia Manichæorum Hæreſim exſcindere ſategit. In Bohemiam Huſſitarum hæreſi infectam Nuntios miſit, & inter illos *Æneam Sylvium*, & *Joannem de Capiſtrano*, Concionatorem Apoſtolicum, Ordinis Fratrum Minorum, qui multos hæreticos ad Eccleſiæ gremium reduxit. Jubilæum anno MCCCCL. Romæ incredibili ex toto Orbe Chriſtiano concurſu celebravit idem Summus Pontifex, eodemque anno S. *Bernardinum Senenſem* Sanctorum Faſtis adſcripſit. Proximam Græcorum ruinam, quam ante prædixerat, & Urbis Conſtantinopolitanæ expugnationem à Turcis anno MCCCCLIII. factam eò graviùs luxit *Nicolaus Quintus*, quòd funeſtam illam cladem nec impedire, nec reparare potuerit, licèt nihil non egerit,ut Principes Chriſtianos ad ſacrum bellum fœderaret. Sed Turcarum potentiam cùm domare non poſſet, libros totâ Græciâ perquiſitos, tum Sanctorum Patrum, tum Philoſophorum, Hæreticorum, Oratorum, Theologorum, Mathematicorum, omnium facultatum, omnium artium, ingentibus ſumptibus ad ſe adferri,& latinitate donari juſſit, itaut jure optimo dici poſſit, hujus Summi Pontificis munificentiâ non periiſſe in ſuo excidio doctam Græciam, ſed in Italiam commigraſſe. *Friderico III.* Imperii coronam impoſuit *Nicolaus V.* anno MCCCCLII. Urbem Romam multis ac maximis ædificiis exornavit.Summus litterarum ac Litteratorum Patronus, omnes ferè Sæculi ſui viros doctrinâ inſignes ſtipendiis ditavit, & Bibliothecam Vaticanam veteribus ac novis Codicibus ornatiſſimam inſtruxit. In patrimonio S. *Petri* plurimas ac munitiſſimas arces opportunis locis erexit. Pauperibus largas elee-

eleemoſynas ſuppeditavit, & inopes Virgines, quarum pudicitia periclitari poterat, pecuniâ ſuâ maritis collocavit. Parùm abfuit quin Summus ille Pontifex Romæ conjuratione *Stephani Porcarii* obrueretur, quam tamen ſupremo favente Numine diſſipavit, ejusque Authore ad muros Arcis S. *Angeli* ignominiosè ſuſpenſo, ſe ipſum ingenti periculo liberavit, & Romanæ Sedis dignitatem, Imperiumque ſervavit Pontifex Maximus, ſicut refert *Æneas Sylvius* in *Coſmographia de Europa* cap. 58. Sedit *Nicolaus V.* Maximus & Religioſiſſimus Pontifex annos octo & dies aliquot, obiitque die XXIV. Aprilis anni MCCCCLV. Ejus Vitam ſcripſit *Jannotius Manettus*, patriâ Florentinus, ipſumque laudibus celebrant S. *Antoninus* part.3. Chronicorum Tit.22. Cap.12. *Æneas Sylvius* de Statu Europæ, *Franciſcus Philelphus* in Epiſtola ad *Callixtum III. Poggius* in Oratione Panegyrica, *Platina*,& alii, qui Vitas Romanorum Pontificũ litteris conſignarunt.

Peracto demortui *Nicolai V.* Pontificis Maximi funere, plerique Cardinales decreverunt eligere in Romanum Pontificem *Beſſarionem* Cardinalem, natione Græcum, quòd is omnibus aptior ad Eccleſiam gubernandam videretur. At præter illorum expectationem contigit, ut facto Scrutinio Cardinalis *Beſſario* numero exciderit, & *Alphonſus Borgia* Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, natione Hiſpanus, ſeptuagenario major, canonicè in Romanum Pontificem die 8. Aprilis ann. MCCCCLV. electus fuerit, dictusque *Callixtus III.* cui ſupremam hanc Eccleſiæ dignitatem S. *Vincentius Ferrerius* Ordinis Prædicatorum ſpiritu prophetico afflatus, jam à Deo fuerat auguratus. Cùm primùm Ponti-

tificatum iniit *Callixtus III.* ad bellum ſacrum contra Turcas promovendum voto ſeſe obſtrinxit, & ut quod voverat, reipsâ præſtare poſſet, ad Chriſtianos Principes miſit Legatos, qui ipſos ad fœdus contra Chriſtiani nominis hoſtes adhortarentur, eisque ſuaderent, ut facultatum aliquid opumque ſuarum ad eam Sacram Expeditionem conferrent. Indixit quoque Summus Pontifex per univerſum Orbem Chriſtianum preces & ſupplicationes publicas ad implorandam opem, & ampliſſimas militibus indulgentias conceſſit. Chriſtianorum preces de Cœlo exaudivit Deus, eisque inſignem de Turcis ad *Belgradum*, ſeu *Albam Græcam*, Serviæ munitiſſimam urbem, victoriam dedit, in qua Turcæ, qui hanc Urbem anno MCCCCLVI. obſidebant, fugati, cæſi, profligatique fuerunt. In memoriam celebris hujuſce victoriæ, Feſtum Transfigurationis Chriſti Domini à Papa *Callixto* inſtitutum, & per univerſum Orbem die VI. Auguſti celebrandum juſſum eſſe aſſerunt *Platina*, *Ciacconius*, *Genebrardus*, & plerique alii. Sed his meritò non aſſentitur *Baronius*, qui in Notis ad Martyrologium Romanum VIII. Idus Auguſti invictè probat, Feſtum Transfigurationis Chriſti Domini ante tempora *Callixti III.* Pontificis Maximi fuiſſe jam in Eccleſia inſtitutum. Quapropter *Callixtus III.* hoc Feſtum non inſtituit, ſed ſolùm inſtauravit, & celebrius eſſe voluit erogando indulgentias Fidelibus, qui hujus Solemnitatis Officio recens edito intereſſent. Pontificium ea de re Diploma datum Romæ VIII. Idus Auguſti anni MCCCCLVII. legitur apud *Odoridum Raynaldum* ad hunc annum, Num. LXXXI. De antiquitate Feſti Transfigurationis Chriſti Domini

tam

tam in Eccleſia Græca, quàm Latinâ, idem omninò cum *Baronio* ſentit *Spondanus* ad ann. MCCCCLVI. Num.IV. Pacem inter Principes Chriſtianos conciliare ſummoperè ſtuduit *Callixtus III.* nunquàm tamen eorum precibus aut poſtulatis ab honeſto abduci potuit. Hinc cum *Alphonſo* Aragonum ac Siciliæ Rege ſimultates exercuit, quòd is peteret Epiſcopatus his dari, quibus vel propter ætatem, vel ob ignorantiam committi non debebant. Reſtitit etiam idem Summus Pontifex *Friderico III.* Imperatori, apud quem à Germanis iniquè cùm de pecuniarum extorſione, tùm de Concordatorum violatione fuerat accuſatus. Has quippè falſas criminationes diluit Pontifex datis ad *Fridericum* Imperatorem litteris, quæ apud *Odoricum Raynaldum* leguntur ad annum MCCCCLVII. Num.XL. Objectiones verò Germanorum de Concordatorum violatione injuſtas ac futiles eſſe oſtendit *Æneas Sylvius* Cardinalis Senenſis Epiſtolâ CCCXXXVIII. ad *Martinum Mayer* Juriſconſultum, necnon Tractatu de moribus & conditione Germaniæ ſcripto. In Controverſia, quæ de Primatu Archiepiſcopum Lugdunenſem inter & Rothomagenſem fervebat, Rothomagenſem Archipræſulem à Lugdunenſis imperio liberum pronunciavit *Callixtus Tertius* Diplomate dato VIII. Idus Julii anni MCCCCLVIII. quod refert *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum Numero XXXVII. Vetuit idem Summus Pontifex, ne quis, inconſulto Sacri Palatii Magiſtro, Orationem in Sacello Pontificio haberet, & niſi priùs oſtenſo ei Sermone, ab eoque diligentèr examinato, & ſi opus fuerit, emendato. B. *Vincentium Ferrerium*, Ordinis Prædicatorum, Virum Apoſtolicum anno

an. MCCCCLV. die SS. Apoſtolis *Petro* & *Paulo* Sacrâ, & Beatum *Oſmundum* Sarisberienſem Epiſcopum an. MCCCCLVI. inter Cœlites retulit *Callixtus III.* qui, poſtquam Eccleſiam rexiſſet annos tres & menſes quatuor, Romæ obiit octavo Idus Auguſti anni MCCCLVII. Fuit optimus Pontifex, in victu parcus, in ſermone modeſtus, in pauperes liberalis, in Bellum Turcicum maximè intentus, in cujus ſumptus centum & quinquaginta aureorum millia moriens reliquit, ut teſtatur S. *Antoninus*.

D. Vacavitne diù Sedes Pontificia poſt obitum *Callixti Tertii*?

M. Finitis *Callixti III.* Pontificis Maximi exequiis, decimâ die poſt ejus obitum Cardinales Conclave ingreſſi elegerunt XIV. Kalendas Septembris ejusdem anni MCCCCLVIII. in Romanum Pontificem *Æneam Sylvium*, Tituli S. *Sabinæ* Presbyterum Cardinalem, patriâ Senenſem, ex illuſtri Piccolomineorum proſapia oriundum, litteris, eloquentiâ, dexteritate & prudentiâ nulli ſecundum, qui *Pii II.* ſuſcepto nomine, inauguratus eſt Pontifex Maximus tertio Nonas Septembris ejusdem anni MCCCCLVIII. annos natus quinquaginta tres. Quæ ante Pontificatum geſſit *Pius II.* & honores quos conſecutus eſt, accuratè ipſemet deſcribit in Epiſtola CLXXXVIII. ad *Petrum de Noxata* Equitem Neapolitanum, in qua hæc habet: *cum darem juri Civili operam, exorto bello, patriam & ſtudium coactus ſum relinquere; acceſſi tamen grande illud Baſileenſe Concilium, invenique gratiam in oculis Patrum. Scriba in Synodo fui, & litterarum abbreviator, & unus de duodecim viris, qui Magiſtratus illic quaſi Cenſorius videbatur; neque enim ſine duo-*
de-

decim viris ad conſultandum de rebus conciliaribus quisquam admittebatur, & admiſſi, qui non erant idonei, his jubentibus, amovebantur..... inter Collatores Beneficiorum ſum electus; Legatus ab ipſo Concilio ad complures Principes miſſus. Cùm Pontificatum Amedeus Dux Sabaudiæ ſuſcepiſſet, Felix nuncupatus, in Secretarium ſum ab eo accitus, nec diu poſt vocatus ad Fridericum Imperatorem, Protonotariatus officium ab eo ſum adeptus [ſic Germani Secretarium appellant] Dùm Legationes Cæſaris obeo, univerſam fermè Germaniam circuivi. Diſſidebant Theutones cum Eugenio Maximo Pontifice; at neque illi, neque Felici obedientes, Neutrales vocabantur. Concordia pluribus in Conventibus agitata eſt, quibus, jubente Cæſare, interfui. Bis cum tractatu pacis ad Eugenium veni: tertiò nationis illius Apoſtolicæ Sedi obedientiam attuli. Secretariatus, & Subdiaconatus honorem ab Eugenio, & mox, illo defuncto, à Nicolao ſuſcepi, cujus Conclavis cùm eligeretur, cum cæteris Principum Legatis cuſtodiæ præfui. Lapſum eſt poſteà breve tempus, in quo me Nicolaus Tergeſtinæ Eccleſiæ nihil tale merentem præfecit Epiſcopum, quadriennioque ab inde decurſo, Senenſis Urbis, undè mihi origo eſt, Pontificatum ad me detulit &c. Tandèm anno circiter MCCCCLVI. ab Imperatore *Friderico III.* in Italiam miſſus *Æneas Sylvius*, ut de bello Turcis inferendo cum Pontifice, aliisque Principibus conſuleret, Cardinalitiâ purpurâ à *Callixto III.* Pontifice Maximo donatus eſt, & poſt *Callixti* mortem anno MCCCCLVIII. Pontifex Romanus electus, dictusque, ut jam innuimus, *Pius II.* Multa in ſuo Pontificatu præclarè geſſit, quæ hìc breviter attingemus. In primis, edidit retractationis Bullam, in

qua omnia, quæ contra *Eugenium IV.* Pontificem Maximum in Concilio Baſileenſi egerat, revocavit. Legem quoque tulit, ne à Cenſuris, Sententiis, aut Mandatis Apoſtolicis ad futurum Concilium quis appellaret, & ſic appellantes Excommunicationem ipſo facto incurrere declaravit, à qua niſi per Romanum Pontificem, extra mortis articulum, abſolvi poſſint. Præterea, ſolemnem Mantuæ indixit Conventum, in quo de bello contra Turcas gerendo deliberatum eſt, & ut Principes Chriſtiani adversùs illum communem hoſtem arma converterent, variis Legationibus pacem inter illos procurare ſummoperè ſtuduit. Trium Patriarcharum Orientalium Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani, qui ſeſe Romanæ Eccleſiæ ſubjiciebant, & Latinos obnixè rogabant, ut ab eorum cervicibus Turcicæ tyrannidis jugum excuterent, Legationem ſuſcepit, ac benignè audivit Oratores, quos Monobaſſienſes, olim Spartani dicti, ad ipſum miſerunt, ut ſe, ſuamque civitatem Romano Pontifici darent, quorum votis annuens *Pius II.* Præfectum miſit, qui huic populo, nomine Eccleſiæ Romanæ, cui per ſuos Oratores fidei Sacramentum præſtiterat, jus diceret, & annonam, quâ egebat, miniſtraret. Dùm ad Chriſtianos Orientis à Turcarum Tyrannide liberandos, eosque Græcorum Schiſmate implicitos ad Eccleſiæ Romanæ gremium revocandos ſtrenuè allaboraret *Pius II.* ſuas itidem curas in Occidente ad vindicandam ab Hæreticorum erroribus Catholicam fidem ſollicitè impendebat. In *Georgium Pogebrachium*, Bohemiæ Regem, qui ab Hæreticorū Huſſitarum partibus ſtabat, Excommunicationis

Sen-

Sententiam tulit, quam refert *Joannes Cochlæus* lib. XII. *Hiſtoriæ Huſſitarum*. Quæſtionem de Sanguine Chriſti in triduo mortis, magnâ animorum contentione FF. Minores inter & Prædicatores agitatam, voluit *Pius II.* coram ſe anno MCCCCLXIII. diſceptari. Propugnabant FF. Minores, Sanguinem pretioſum Chriſti Domini in triduo paſſionis effuſum & in terra jacentem ab unione Hypoſtatica Verbi Divini planè excidiſſe, adeòque cultu Latriæ non fuiſſe adorandum. Contrariam Sententiam pro aris ac focis tuebantur FF. Prædicatores, *quam major pars approbavit, pauci, cum Minoribus ſenſère. Pius quoque* (Pontifex Maximus) *ex majori parte fuit: ſed non eſt viſum eo tempore fieri Decretum declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas Prædicatio neceſſaria, offenderetur: in aliud tempus deciſionem referre placuit*, Verba ſunt *Joannis Gobelini* libro XI. *Rerum ſui temporis in Italia Geſtarum*. Sed de hac Controverſia plura in ſequenti Colloquio dicemus, ubi de Hæreſibus, Schiſmatibus, & Controverſiis, quæ Sæculo XV. emerſerunt, datâ operâ diſſeremus. A *Ludovico XI.* Galliarum Rege Pragmaticæ Sanctionis abrogationem obtinuit *Pius II.* Pontifex Maximus, qui tamen Gallos haùd parùm offendit, dùm *Ferdinando*, filio notho *Alphonſi*, Aragonum Regis, Regnum Siciliæ adjudicavit ac confirmavit, ſpreto depulſoque *Renato* Duce Andegavenſi, quem illius Regni legitimum eſſe hæredem Galli pertendebant. Tentavit quidem *Joannes*, filius *Renati* Ducis Andegavenſis, Regnum Siciliæ, à cujus poſſeſſione ipſius pater depulſus fuerat, magno exercitu collecto recuperare, & in Apuliam profectus, collatiſque ſignis, *Ferdinandum*

acie victum, & caſtris exutum egit in fugam, actumque omninò de eo fuiſſet, ni *Scanderbergus* Epiri Rex, illius, & *Pii II.* precibus adductus præſentiſſimum ei attuliſſet auxilium, quo *Ferdinandus*, pulſis hoſtibus, brevi omnia ſibi à *Joanne* Duce Andegavenſi armis ablata in poteſtatem accepit. Rationes, ob quas *Pius II.* Pontifex Maximus magis fuerit affectus ergà *Ferdinandum*, filium ſpurium, & non ſemel per Sedem Apoſtolicam injuſtum Regni Siciliæ invaſorem declaratum, quàm erga *Joannem* filium *Renati* Ducis Andegavenſis, qui per eamdem Sedem verus ac legitimus Apuliæ ſive Siciliæ Rex fuerat denunciatus, legeſis apud *Spondanum* ad annum MCCCCLIX. Extrema Pontificatus ſui tempora bello contra Turcas parando impendit *Pius II.* dumque ingentem Cruciatorum militumque ſubſidiariorum exercitum conflaſſet, & Anconam profectus fuiſſet, quò innumerabilis Chriſtianorum multitudo armata confluxit, morbo ibi correptus, omnibusque Eccleſiæ Sacramentis munitus è vivis exceſſit XIX. Kalendas Septembris anni MCCCCLXIV. Pontificatus ſexto minùs quinque diebus. Vir fuit ſine dubio magnus, & ob plura ingenii ſui monumenta, quæ poſteris reliquit, quæque nos in Colloquio quinto commodiùs referemus, multùm ab eruditis laudatus. S. *Catharinam* Senenſem Virginem Ord. Prædicatorum ſacris Faſtis inſcripſit III. Kalendas Julii anni MCCCCLXI. ac Officium in ejus Feſto celebrandum compoſuit, ſacriſque Stigmatibus, dùm viveret, velùt divini amoris caracteribus eam fuiſſe inſignitam apertè innuit in Hymno ad Veſperas, in quo ſic Sanctam illam Virginem compellat:

Vul-

Vulnerum formam miſerata Chriſti
exprimis ipſa.

D. Quiſnam poſt obitum *Pii II.* Pontificis Maximi Eccleſiam Romanam rexit?

M. Sacris Novemdialibus *Pio II.* ut moris eſt, peractis, ſummo Cardinalium conſenſu electus eſt Pontifex Romanus *Petrus Balbus*, Patriâ Venetus, *Nicolai*, & *Philoxenæ*, Sororis *Eugenii IV.* filius, Tituli S. *Marci* Presbyter Cardinalis, qui in Pontificatu cùm ſe primò *Formoſum* appellari vellet, deindè *Marcum*, tandem ſe *Paulum II.* nuncupari maluit. Leges ad optimam Pontificiæ adminiſtrationis rationem à Çardinalibus in Conclavi conditas *Paulus II.* Jurejurando, votoque promiſerat ſe religiosè obſervaturum, quas tamen, tanquã Summi Pontificis auctoritatem plus æquò reſtringere ſibi viſas, abrogavit, easque ut reſcinderent, compulit Cardinales, præter *Joannem Carvajalem* Cardinalem Hiſpanum, Virum ſeptuagenarium, & morum Sanctimoniâ illuſtrem, qui quod nunquàm ſe juvenem feciſſe meminerat, ut aliquandò mutaret ſententiam, id jam ætatis non commiſſurum ſummâ conſtantiâ reſpondit, ut teſtatur *Jacobus Papienſis* Cardinalis libro 2. Commentariorum. Ad Solium Pontificale ſublimatus *Paulus II.* de conficiendo Bello contra Turcas ad Chriſtianæ Religionis defenſionem, à ſuo Deceſſore *Pio II.* ſuſcepto, maximè ſollicitus fuit, ſed præcipuè ad exterminandam Huſſitarum Hęreſim, per Bohemiæ Regnum latè diffuſam, ſuas curas intendit. Hinc *Georgium Pogebrachium* Bohemiæ Regem, Huſſitis addictum & Catholicorum perſecutorem, Sententiâ in Conſiſtorio an. MCCCCLXVI.

latâ, hæreſeos damnavit, anathemate perculit, Regno exuit, omnesque ac ſingulos ei adhærentes aſſiſtentes, obſequentes, faventes, aut conſilium, auxilium, vel favorem clàm vel palàm, directè vel indirectè præbentes, cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel nobilitatis eſſent, Eccleſiæ communione privavit. Curiam Romanam à Simoniaca labe purgavit. Gubernatoribus locorum Ditionis Eccleſiaſticæ ne munera acciperent diſtrictè prohibuit, Conſtitutione, quæ incipit: *Munera*, quæque data eſt XV. Kalendas Aprilis anni MCCCCLXVI. Jubilæi celebritatem ad annum XXV. revocavit Diplomate, quod incipit: *Ineffabilis Providentia*, dato XIII. Kalendas Maji anni MCCCCLXX. Bona Eccleſiaſtica alienari, aut ultrà triennium locari vetuit Diplomate dato Kalendis Martii anni MCCCCLXVII. Gratias Expectativas inhibuit. Suas Opes in Virginum Pauperum dotem, Viduarum ſolatium, Pauperum levamen, Templorum ornamenta, Venetorum contra Turcas ſubſidia liberalitèr profudit. Hæc ſunt, quæ in Pontificatu præclarè geſſit *Paulus II.* quæ tamen nonnullis nævis infuſcavit, de quibus jam laudatus *Jacobus Papienſis* Cardinalis Epiſtolâ CCLXXI. eum liberè monuit, quòd videlicèt nimiùm gloriæ avidus, nominis immortalitatem hiſce rebus quæreret, quibus priſci Cæſares, non Sancti Pontifices gloriabantur; quòd pretioſis gemmis impenſiùs delectaretur: quòd Bacchanalium pompam, ludosque publicos Romæ in Carniſprivio auxiſſet. De his, inquam, *Paulum II.* liberè monuit *Jacobus Papienſis* Cardinalis, magnus Vir, teſtis oculatus, & rigidus morum Cenſor. Cæterùm, quamvis

Pau-

Paulus II. nec valdè laudandus, nec vituperandus dici poſſit, ut ait *Spondanus* ad annum MCCCCLXXI. nulla tamen his, quæ de iſto Pontifice ſcripſit *Platina* fides adhibenda eſt, cùm hic Scriptor ab hoc Pontifice longo carcere ſubactus, immò ob conſpirationem, & impietatem tormentis ſubjectus, multa in eum temerè effutierit ultione nec erudito, nec Hiſtorico, nec homine Chriſtiano dignâ. Sed ferendum non eſt putidum commentum, quod ſparſerunt Hæretici, illudque in ſuo *Myſterio Iniquitatis* recoxit procaciſſimus *Pleſſæus Mornæus*, aſſerendo *Paulum II.* Pontificem Maximum in ipſo actu venereo à diabolo fuiſſe ſtrangulatum, cùm tamen *Platina*, huic licèt Pontifici iniquior, cæterique alii, qui Vitas Pontificum ſcripſerunt, diſertè teſtentur, hunc Summum Pontificem obiiſſe ex apoplexia, cujus cauſa fuiſſe credita eſt frequens peponum, piſciumque cum aquæ frigidæ potu comeſtio: *Ex iſtiusmodi eſculentorum ac potus mala & turbulenta concoctione, variis ſurgentibus flatibus, tùm ii meatus, per quos fit reſpiratio, illicò ſunt obſtructi, tùm mors continuò, nervorumque omnium contractio conſecuta. Sed ii, qui aut hujuſmodi cauſas naturæ ignorant, aut ſunt animi livore, atque odio in Sanctiſſimum Patrem illum exulcerati, alii inſcitia, alii malevolentia, novas fabulas per Italiã diſpergunt*, ita de cauſa mortis hujus Summi Pontificis ſcribit *Franciſcus Philelphus* in Epiſtola, quam direxit ad *Sixtum IV.* ſucceſſorem *Pauli II.* quæque inter ejus Epiſtolas eſt I. libri XXXV. Obiit *Paulus II.* Pontifex Maximus XVII. Kalendas Auguſti anni Æræ Chriſtianæ MCCCCLXXI. Pontificatus VII. Primus omnium fuit, qui Cardinales rubris Caputiis

ornavit, quibus ſoli Pontifices antehàc utebantur, pannoque ejusdem coloris equos ipſorum ſtratos eſſe juſſit, dùm equitarent, ſicut *Jacobus* Cardinalis Papienſis, & *Platina* teſtantur.

D. *Sixtum IV.* in Sede Pontificia ſucceſſorem fuiſſe *Pauli II.* mox inſinuaſti, ſed quæ memoriâ laudeque digna in Pontificatu geſſerit, & quot annos Clavum univerſę Eccleſiæ gubernaverit? ſtrictim nunc attingere debes.

M. Mortuo *Paulo II.* Pontifici maximo ſuffectus eſt unanimi omnium Cardinalium ſuffragio *Sixtus IV.* anteà *Franciſcus à Ruvere* appellatus, natióne Italus, patriâ Ligur, è civitate Savonenſi oriundus, quem alii ex nobiliſſima proſapia *Ruverea* ſuum genus duxiſſe, alii patrem navicularium, Piſcatorem habuiſſe volunt. Qua in re nihil certi pronunciare audemus. Illud omninò conſtat, eum Ordini S. *Franciſci* nomen dediſſe, Philoſophum & Theologum doctiſſimum, atque egregiis Scriptis illuſtrem extitiſſe, & ex Miniſtro generali ſui Ordinis à *Paulo II.* Pontifice Maximo factum eſſe Cardinalem, adnitente potiſſimùm Cardinali *Beſſarione*, cui ob ſingularem virtutem & doctrinam acceptiſſimus erat. In Solio Pontificio collocatus *Sixtus IV.* duo ſummi momenti pro Chriſtianæ Religionis, & fidei Catholicæ propagatione negotia ſuſcepit, Bellum videlicèt contra Turcas, & Huſſitarum Hæreſis in Regno Bohemiæ longè latèque diffuſæ ultimum exterminium. Ab Expeditione ſacra adversùs *Mahometem* hujus nominis *II.* Turcarum Tyrannum, qui Chriſtianos armis infeſtabat, variasque eorum regiones jam invaſerat, ſuum Pontificatum auſpicatus eſt, & in eam omnes

omnes ſuas curas ingenti animo convertit. Eam ob rem miſit Legatos ad Principes, ut eos à mutuis diſſidiis, & infeſtis armis revocare, pacem inter illos componere, eosque ad communem Religionis hoſtem junctis umbonibus expugnandum hortari ſatagerent. Per totam Italiam Prædicatores diſtribuit, qui Crucesignatorum exercitum convocarent,& fidelium ſubſidia colligerent. Claſſis Maritimæ Legationem & Præfecturam *Oliverio Carafæ* Cardinali Neapolitano demandavit Pontifex. Nihil præclari tamen hæc Claſſis tantâ ſollicitudine parata & inſtructa gerere potuit, quia nuſquàm comparuêre Turcæ, ſed Boſphoro ſe atque Helleſponto continuerunt. Eâ Expeditione *Attalia*, Urbs Pamphiliæ, hodie *Satalia* dicta, irrito conatu impugnata eſt, ſed Smyrna, Joniæ civitas opulenta, à Claſſe Pontificia expugnata eſt. Quibus peractis *Oliverius* Cardinalis, & Claſſis Maritimæ Præfectus,Romam ovans reverſus, duodecim Camelos prædâ onuſtos, & viginti quinque Turcas nobiles captivos totidèm generoſis equis inſidentes in triumpho duxit, & vexilla non pauca de Barbaris capta ante fores Baſilicæ Vaticanæ ſuſpendit. Hic fuit exitus ſacræ illius Expeditionis, quam anno MCCCCLXXII. ſuſcepit *Sixtus IV.* Aliam Expeditionem in Turcas anno MCCCCLXXXI. paravit idem Summus Pontifex. Cùm enim *Mahometes II.* Turcarum Tyrannus cum ingenti Claſſe in Calabriam appuliſſet, *Hydruntem*, vulgò *Ottrante*, expugnaſſet, ac per Italiam Barbari fœdè graſſarentur, in tanto rei Chriſtianæ diſcrimine *Sixtus IV.* curas omnes ad eos propulſandos adhibuit, Principum opem imploravit, ac tandem Hy-

Hydruntem vindicavit à tyrannide Turcarum, qui eodem anno MCCCCLXXXI. nuncio de morte *Mahometis II.* accepto, ex Italia receſſerunt. Ad profligandam Huſſitarum Hæreſim, Regnum Bohemiæ *Matthiæ* Hungariæ Regi, qui Sedis Apoſtolicæ conſilio reſtituendam Religionem eo in Regno collapſam ſuſceperat, adjudicavit *Sixtus IV.* Pontifex Maximus, & fidei Sacramentum, quod Bohemi præſtiterant *Vladislao*, Poloniæ Regis filio, auctoritate Apoſtolicâ reſcidit, ut videre eſt in Diplomatibus, quæ eâ de re edidit, & quæ exhibentur ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCCCLXXII. Num. XXXII. & XXXIII. Religioſis Ordinum Mendicantium multa Privilegia conceſſit idem Pontifex, ſed præcipuè Ordini FF. Minorum, ut legere eſt in eorum Annalibus apud *Lucam Vadinghum*, ejusque Abbreviatorem *Franciſcum Haroldum* ejusdem Ordinis. Fidei puritati ſedulò invigilans, *Petri Oxomenſis*, Theologi Salmanticenſis, Hæreticas propoſitiones confixit, de quibus in ſequenti Colloquio commodiùs agemus, ſicut & de quibusdam Controverſiis, quæ ſub ejus Pontificatu fuerunt excitatæ. Hujus Summi Pontificis magnificentiam prædicant etiamnùm ædificia, cùm ſacra, tùm profana, quæ Romæ vel à fundamentis excitavit, vel inſtauravit; inter quæ præcipuum locum habent Pons ab ejus nomine nuncupatus, ſupra Tyberim erectus; & Bibliotheca Vaticana, quam libris ex omni Europa advectis inſtruxit, ornavit, locupletavit, eique præfecit *Platinam*, qui in ejus adminiſtratione egregiam navavit operam. Multa doctrinæ ſuæ Monumenta, quæ ante Pontificatum ediderat, reliquit *Sixtus IV.* quæ ſuo loco refe-

referemus, ſeu in Colloquio quinto, ubi Illuſtrium Sæculi decimi quinti Scriptorum Opera percenſebimus. Obiit *Sixtus IV.* Idibus Auguſti anni MCCCCLXXXIV. Pontificatus XIII. Hunc Summum Pontificem Scriptores Eccleſiaſtici, quos ſequitur *Odoricus Raynaldus*, duplici in capite culpandum eſſe cenſent. Primò, quòd cum Eccleſiæ diſpendio in ſuos nepotes nimio affectu propenderit. Sic enim refert *Odoricus Raynaldus* ad ann. MCCCCLXXII. Num. LIX. *Ductus præterea humanis affectionibus Sixtus, Hieronymum Riarium* (nepotem ſuum) *cui Eccleſiaſtici Exercitus ſupremum contulerat imperium, Imolæ, & Forolivii toparchia donavit; ſed malè collectæ Eccleſiæ opes illi ac filiis exitium poſteà attulere*. Bartholomæum Platinam in Vita MS. *Sixti IV.* quæ in Vaticanis Archivis aſſervatur, & *Jacobum* Cardinalem Papienſem Epiſtolâ 439. ad *Angelum* Epiſcopum Tudertinum teſtes appellat idem *Odoricus Raynaldus*, & ad ann. MCCCCLXXXIV. Num. XXIV. hæc habet: *Scripſit reliquas ejuſdem Pontificis* (Sixti IV.) *res geſtas Raphaël Volaterranus in Antropologia, qui ſimulandi neſcius nonnullos ejuſdem Pontificis nævos perſtringit, tum ejuſdem virtutes in luce collocat. Suorum in primis ipſum fuiſſe amantiſſimum, nimiſque in eos indulgentem, quorum cauſa magnam ſibi conflavit invidiam. Petrum Riarum* (nepotem ſuum) *Franciſcani Ordinis, Cardinalitia dignitate donavit, juvenem luxui deditiſſimum ubi ex mendicitate emerſit, quique tabidus voluptate deceſſit, Hieronymum* (alterum nepotem ſuum) *Forolivii Foricorneliique Principem creavit, virum ſæviorem ingenio, non ſine rei Eccleſiaſticæ damno*, hactenus *Odoricus Raynaldus*. Secundò, multi Scriptores accu-

accuſant *Sixtum* Pontificem Maximum, quòd particeps fuerit tetrę conjurationis, in Principes Mediceos Florentiæ factæ ſexto Kalendas Majas anni MCCCCLXXVIII. in Eccleſia S. *Reparatæ*, in qua à conjuratis, quorum præcipui erant ex *Pazzorum* Florentina familia, Mediceorum æmulâ, cæſus eſt *Julianus Mediceus*, minor natu, *Laurentius* verò, natu major, leviter in jugulo vulneratus, fugit in Sacrarium, portisque æneis, quas pater ejus *Petrus Mediceus* poſuerat, defenſus eſt. Verùm, ipſe cum *Odorico Raynaldo* lubentiùs crediderim, *Sixtum IV.* optaſſe quidem ut Medicei, quos ſæpiùs hoſtes expertus fuerat, à Reipublicæ Florentinæ gubernaculis depellerentur, eum tamen in nefandum iſtud flagitium à conjuratis inter Miſſarum ſolemnia in ipſos patratum nunquàm conſenſiſſe. Sic enim ad annum MCCCCLXXVIII. Num. 3. ſcribit Odoricus Raynaldus: *Paſſim ab Hiſtoricis, etiam Pontificio nomini addictis, carpitur Sixtus ut Coitionis in Mediceos particeps, quamquàm illum patrandi flagitii ratio ultimè à Conjuratis concepta latuit; ſed quòd Mediceos, quos ſæpiùs hoſtes ſenſerat, à Reipublicæ Florentinæ gubernaculis depelli percuperet.*

D. In locum *Sixti IV.* qui jam ſeneſcente Sæculo XV. obiit, ſubſtitueruntne Cardinales alium Pontificem, qui ad finem uſque ejuſdem Sæculi Eccleſiam Romanam gubernarit?

M. Poſt obitum *Sixti IV.* duo adhuc fuerunt Pontifices, qui continuâ ſerie ſibi ſuccedentes, Eccleſiam Romanam Sæculo decimo quinto rexerunt, *Innocentius* videlicet *VIII.* & *Alexander VI.* quorum geſta hìc breviter, quoad ejus fieri poterit,

attexam, quò plenam Romanorum Pontificum, qui Sæculo XV. Sedem Romanam tenuerunt, Hiſtoriam habere poſſis. In primis, poſt obitum *Sixti IV.* Cardinales in Conclavi congregati conſentientibus ſuffragiis elegerunt in Romanum Pontificem *Joannem Baptiſtam Cibo*, Tituli Sanctæ *Cæciliæ* Presbyterum Cardinalem, patriâ Genuenſem, origine tamen Græcum, qui in Pontificatu dictus eſt *Innocentius VIII.* Sub ejus Pontificatu multa feliciter contigerunt, quæ tàm ipſum, quàm univerſam Eccleſiam ſummâ lætitiâ cumularunt, videlicèt Granatenſis Regni expugnatio à *Ferdinando*, & *Iſabella* in Hiſpania regnantibus, & glorioſæ ab ipſis de Mauris reportatæ victoriæ, necnon ex tota ditione Hiſpanica expulſio Judæorum, ex quibus ejectæ ſunt centum ſeptuaginta familiæ, & ad octoginta ferè capitum millia; propagata inſuper in Regno Congitano & apud Jolophos Æthyopiæ Occidentalis populos, atque in Benii Regno Catholica Religio, curis & auctoritate *Joannis* Regis Luſitaniæ: *Zemis*, fratris *Bajazetis II.* Turcarum Imperatoris, è cuſtodia Gallica, in qua detinebatur, in Romanam translatio; Divinus cultus in Regno Granatenſi reſtitutus; Tituli Crucis Chriſti Domini Inventio Romæ facta in Baſilica Sanctæ Crucis in Hieruſalem; oblatum & receptum à Legatis ejuſdem *Bajazethis*, Turcarum Imperatoris, ferrum Lanceæ, quo Chriſti latus perfoſſum eſt, ſed ſine cuſpide, quem S. *Ludovicus* Galliarum Rex à Turcis redemptum in Sacro Sacello Pariſiis repoſuit. Hæc, inquam, omnia, quæ in Chriſtianæ Religionis decus, & fidelium pietatis incrementum cede-

cedebant, magnam *Innocentio VIII.* totique Eccleſiæ lætitiam attulerunt. Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens idem Pontifex, Legatos ad Principes Chriſtianos miſit, ut eos ad mutuam pacem, armaque in Turcas convertenda excitaret. *Ferdinandum*, Neapolitanum Regem, Eccleſiæ jura violantem, & tyrannidem in Sedis Apoſtolicæ clientes exercentem armis fregit, & ad rogandam pacem compulit. Conſtitutionem contrà Maleficos, quæ incipit his verbis: *Summis deſiderantes affectibus*, edidit Nonis Decembris anni MCCCCLXXXIV. quæ extat in Bullario. Ad extinguendam Huſſitarum Hæreſim, quæ in Regno Bohemiæ altas radices egerat, ſuas curas pari cum anteceſſoribus ſuis ardore, parique fructu intendit *Innocentius VIII.* eoque ſedente extinctam penitùs fuiſſe Huſſitarum Hæreſim teſtatur *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCLXXXVIII. Num. LVIII. *extincta ſenſim eſt*, inquit, *Huſſitarum Hæreſis, donec Lutherus eam Hydram pluribus horrentem capitibus, in Chriſtianorum exitium ſuſcitavit*. Libellum nongentarum Concluſionum, quas *Joannes Picus* Mirandulæ & Concordiæ Comes, juvenis annos dumtaxat viginti quatuor natus, ex Logica, Phyſica, Metaphyſica, Morali, Theologia & Cabala, Romæ publicè propugnaverat, damnavit Summus Pontifex anno MCCCCLXXXVII. & ſub pœna Excommunicationis ne legeretur prohibuit, quòd in his Concluſionibus nonnullæ eſſent, quæ Epiſcopis, & aliis Sacræ Theologiæ, & juris utriuſque Profeſſoribus, quos ad earum examen Pontifex ipſe nominaverat, *ſuſpectæ & hæreſim ſapientes* viſæ eſſent. Sed de hoc *Joannis Pici* Mirandulæ Comitis libro plura dicemus

in

in Colloquio quinto. Denique, Ordinem Monialium ſub Titulo Conceptionis Beatæ Virginis, à *Beatrice à Sylva*, nobili Virgine Luſitana, ſub Regula Ciſtercienſis Ordinis inſtitutum confirmavit *Innocentius VIII.* anno MCCCCLXXXIV. & *Leopoldum*, Auſtriæ Principem, Sacris Faſtis adſcripſit VIII. Idus Januarii anni MCCCCLXXXV. Sedit Summus ille Pontifex annos ſeptem, menſes decem, & dies viginti ſeptem, exceſſitq; Romæ è vivis an. MCCCCXCII. *Raphael Volaterranus* libro 7. *Geographiæ* aſſerit, *Innocentium VIII.* permiſiſſe Norvegis, ut ſine vino calicem conſecrarent, quòd in ea regione ob immenſa frigora vinum importatum aceſceret. Verùm, hujuſmodi diſpenſationem ab *Innocentio VIII.* nunquam fuiſſe conceſſam, ex eo potiſſimùm probant viri eruditi, quòd nulla illius apud alios Authores memoria, vel minimum extet veſtigium, & falſa ſit ratio, ob quam hujuſmodi diſpenſationem conceſſam *Volaterranus* ſcripſit, quòd ſcilicet vinum in eam regionem importatum ſtatim aceſcat, cùm tamen ibi vina generoſiſſima conſervari experientiâ compertum ſit. Si quod tamen Pontificium hujus diſpenſationis Diploma alicubi publicatum eſt, dicendum eſt cum noſtro *Bzovio* in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum MCCCCXC. extitiſſe circa illud tempus nonnullos malè feriatos Sacerdotes, qui poſteà combuſti ſunt propter adulterata Pontificia Diplomata, à quibus falſam illam diſpenſationem publicari potuiſſe veroſimile eſt. Sed etiam ſuppoſitâ veritate illius diſpenſationis Pontificii Diplomatis, reſpondet *Bellarminus* lib. IV. *de Romano Pontifice* cap. 14. quòd *Innocentius VIII. non edidit Decretum, quo univerſę Eccleſię declararet, licere*

cere ſine vino Sacrificium offerre. Itaque ſi erravit, erravit facto, non dogmate. Deindè non permiſit, loco vini liquorem alium conſecrari, quod fuiſſet materiam Sacramenti pervertere; ſed id ſolùm permiſit, ut in altera tantùm ſpecie Euchariſtiam conſecrarent, idque ob extremam neceſſitatem, cùm in ea regione conſervari non poſſit, quin ſtatim aceſcat. Quod quidem aut nullus error eſt, aut certè exploratus error non eſt. Accedit mirum videri poſſe, ſi eo tempore vini uſum non habuerint, cum hoc tempore adeò ſit frequens, ut ſine illo ne communicare quidem velint. Hactenùs *Bellarminus*.

D. Nullùs dubito, quin falſa ac planè commentitia ſit ea, quæ ab *Innocentio VIII.* Pontifice Maximo conceſſa Norvegis dicitur diſpenſatio Calicem ſine vino conſecrandi. Sed veniamus ad *Innocentii VIII.* Succeſſorem, ſeu *Alexandrum VI.* de cujus vita & moribus cùm Scriptores, ut nuperrimè audivi à Viris eruditis, varient linguis & ſententiis, res tantùm, quas in Pontificatu ſuo ad puritatem fidei conſervandam, fideliumque ſalutem promovendam præclarè feliciterque geſſit, à te in præſentia audire percupio, omiſſis penitùs aliis ejus Actis, quæ hìc propalare nec decet, nec expedit; ſed appoſito ſilentii ſipario prudentèr obtegere debemus.

M. *Certum eſt*, inquit doctiſſimus *Melchior Canus* lib. XI. *De locis* cap. VI. *qui fictè & fallacitèr Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribunt, eos viros bonos atque ſinceros eſſe non poſſe, totamque eorum narrationem inventam eſſe aut ad quæſtum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum eſt, alterum pernicioſum.* In illud vitii genus referendo præcipua *Alexandri VI.*

Pon-

Pontificis Maximi geſta, Deo dante, non impingam, neque enim aliquid ficte fallaciterque dicam, ſed ſolùm habitâ ratione loci & temporis, attentiſque prudentiæ Chriſtianæ legibus, ejus mores ſilentio omninò prætermittam. Sic enim S. Auguſtinus in libro *contra Mendacium* excuſat *Abrahamum* à fictione & mendacio dicens: *non dixit aliquid falſi, ſed tacuit aliquid veri*. De moribus itaque *Alexandri VI.* Pontificis Maximi penitùs ſilebo, ſecutus conſilium Apoſtoli dicentis: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*, Epiſtolæ I. ad Corinth. Cap. v. v. 12. *Alexander VI.* dictus ante Pontificatum *Rodericus Borgia*, natione Hiſpanus, Cardinalis Portuenſis, nepos *Callixti III.* creatus eſt Pontifex Maximus die XI. Auguſti ann. MCCCCXCII. Ad puritatem fidei conſervandam tria potiſſimùm ſummâ laude digna præſtitit *Alexander VI.* Pontifex Maximus. Primò, Typographis, quibus odor lucri bonus eſt ex quacumque re, ſub pœna Excommunicationis diſtrictè prohibuit, ne libros, Tractatus, aut Scripta quævis typis mandarent ſine Epiſcoporum licentia, prævio hujuſmodi Operum examine concedendâ. Secundò, ad Foſſariorum, ſeu Waldenſium Hæreſim, quæ in Bohemia, & Moravia pullulabat, exſcindendam, Præpoſitum Nuremburgenſem, & *Henricum Inſtitoris*, Ordinis Prædicatorum, doctrinâ & pietate inſignem Theologum, fidei Cenſores cum ampliſſima auctoritate inſtituit, ſicut copioſiùs oſtendemus in ſequenti Colloquio, ubi agemus de Hæreſibus, quæ Sæculo XV. Eccleſiam exagitarunt. Tertiò, ad *Conſtantinum*, Georgianorum Regem, auxilia contra Turcas rogantem, & unionis cum Romana Eccleſia

percupidum, Decretum unionis Eccleſiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino editum miſit, ut illud in Regni ſui Eccleſiis promulgaret; cùmque de validitate Ruthenorum Baptiſmatis orta eſſet controverſia, ſanxit *Alexander VI.* prædictum Baptiſma iis non eſſe repetendum, qui, ejurato Schiſmate, ad Romanæ Eccleſiæ gremium revertebantur. Pontificiam eâ de re Conſtitutionem ſuis Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit *Odoricus Raynaldus* ad annum MDI. Num. XXXVII. Ad promovendam fidelium pietatem tria itidèm geſſit Summus ille Pontifex, quæ à Scriptoribus Eccleſiaſticis celebrantur. Pium ſiquidem morem, à *Callixto III.* inſtitutum inſtauravit, ut videlicet Campanæ meridie pulſarentur, quò Fideles ad Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitandas excitarentur. Prætereà, Sacra Stigmata, quæ B. *Lucia*, patriâ Narnienſis, & Ordinis S. *Dominici* Monialis, corpori ſuo divinitùs impreſſa geſtabat, propriis oculis inſpicere ac venerari voluit, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MD. Poſtremò, Ordinem Monialium *Annuntiationis B. Mariæ Virginis* auctoritate Apoſtolicâ approbavit pridiè Idus Februarii anni MDI. Præter hæc, pro Eccleſiæ utilitate, & ad augendâ fidelium pietate, præclarè geſta, *Alexander VI.* Pontifex Maximus, habito cum Principum Oratoribus conſilio, Bellum in Turcas, Eccleſiæ nomine, decrevit, & in eum finem redditiuum Eccleſiaſticorum decimas imperavit. Venetorum, Gallorum, Rhodiorum fœderatorum Claſſem in Barbaros inſtrui procuravit, & *Vladiſlaum* Hungariæ, & *Joannem Albertum* Poloniæ Reges in Belli Sacri Societatem adſcivit,

vit, decretis ſubſidiis, ac propoſitis Indulgentiis his, qui huic Bello nomen darent, & Chriſtianorum Principum vexilla ſequerentur. Diſciplinam Eccleſiaſticam illis temporibus valdè in Italia collapſam reſtaurandi, & depravatos Clericorum mores emendandi conſilium iniit *Alexander VI.* idque munus ſex Cardinalibus demandavit, ut *Petrus Delphinus* Epiſtolâ xxxvii. libri I. ad *Franciſcum* Cardinalem Senenſem datâ, & *Guicciardinus* libro 3. teſtantur. Hoc tamen arduum reſarciendæ Diſciplinæ, proſcribendi in Miniſtris Eccleſiæ Sæcularem faſtum & luxum, damnandi Sacrorum prophanam nundinationem, revocandæque morum integritatis & ſanctitatis conſilium promovere haud potuit *Alexander VI.* Eo Sedente Pontifice Maximo, *Carolus VIII.* Galliarum Rex Expeditionem Italicam ſuſcepit ad recuperandum Regnum Neapolitanum, ſibi hæreditario Principum Andegavenſium jure debitum, cujus tamen Inveſtituram *Alexander VI.* mortuo *Ferdinando* Neapolitano Rege, conceſſerat *Alphonſo* filio *Ferdinandi*. Ad arma Chriſtianiſſimi Regis tota tremuit Italia, ac Regno Neapolitano potitus eſt *Carolus VIII.* Sed, eo in Galliam reduce, *Alexander VI.* qui Gallis haud favebat, fœdus cum *Maximiliano* Imperatore, *Ferdinando* Hiſpaniarum Rege, & Venetiarum, ac Mediolanenſium Ducibus contra Gallos iniit, atque Neapolitanos ad excutiendum Gallicæ dominationis jugum concitavit, ſicut jam obſervavimus in ſuperiori Colloquio. Sub Pontificatu ejuſdem *Alexandri VI.* novi Orbis Inſulas detexit *Chryſtophorus Columbus*, patria Genuenſis, nauticæ rei ſcientiſſimus, quas idem Pontifex im-

perio *Ferdinandi* Hiſpaniæ Regis aſſeruit. Eodem navigationis incenſi ſtudio Luſitani, alias terras invenerunt, Calecutum, Goam, Braſiliam, quas ampliſſimas regiones Regni Luſitanici appendices fecerunt. His navigationibus Sæculo XV. felicitèr ſuſceptis factum eſt, ut barbaris gentibus, ab æterna ſalute deviis, Chriſti fides illuceſceret, & iter ad vitam æternam aperiretur, juxta *Iſaiæ* Vaticinium Capite nono: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis*. Obiit *Alexander VI.* Pontifex Maximus die XV. Septembris anni MDIII. quem febre ſublatum dicunt *Bzovius*, & *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Eccleſiæ ad annum MDIII. idque probat *Odoricus Raynaldus* ex fide digniſſimo manuſcripto Diario, quod ex Archivo Vaticano deſcriptum & ſignatum litterâ *L.* ibidem exhibet. Complures tamen Scriptores *Alexandrum VI.* alio mortis genere extinctum eſſe produnt. Sed hactenùs de Summis Pontificibus, qui Sæculo XV. Romæ ſederunt, & univerſam Chriſti Eccleſiam gubernarunt ſat ſuperque diximus.

D. Etſi, ut jam obſervavimus, *Clemens VII.* & *Benedictus XIII.* qui, tempore Schiſmatis, Avenione ſederunt, locum non habeant inter veros ac legitimos Romanos Pontifices, quos nunc agnoſcit Eccleſia, à propoſito tamen, quod in præſenti Colloquio ſuſcepiſti, Hiſtoriam Pontificiam Sæc. XV. deſcribendi, non erit alienum, pauca quædam hic attexere de vita tam *Clementis VII.* quàm *Benedicti XIII.* ut ſingula, quæ ſpectant funeſtum illud Schiſma, quod Sæculo XV. prorogatum eſt, omnibus veſtigiis indagata, facilius percipiam,

meæque

meæque memoriæ tenaciùs hærere poſſint.

M. Vitam *Clementis VII.* qui Avenione tempore Schiſmatis ſedit, ex MSS. Codicibus edidit, Notiſque illuſtravit *Franciſcus Boſquetus*, primùm Lodovenſis, poſteà Monſpelienſis Epiſcopus, in ea, quam Pariſiis anno MDCXXXII. publicavit, *Hiſtoria Pontificum Romanorum, qui è Gallia oriundi in ea ſederunt* ab anno MCCCV. quo *Clemens V.* Sedem Româ Avenionem tranſtulit, uſque ad ann. MCCCXCIV. quo obiit *Clemens VII.* Verùm, cùm Vitæ illorum Pontificum ab Illuſtriſſimo *Franciſco Boſqueto* editæ multis in locis mendoſæ ac corruptæ eſſent, illas ad fidem veterum Exemplarium Biblioth. Regiæ, Colbertinæ, S. Victoris, et Fuxenſis, emendavit, ac denuò Pariſiis anno MDCXCII. cum ampliſſimis ac doctiſſimis Notis publicâ luce donavit vir eruditus *Stephanus Baluzius*, qui etiam, præter Vitas Romanorum Pontificum à laudato Cl. *Franciſco Boſqueto* vulgatas, plures alias eorumdem Pontificum invenit in antiquis Codicibus MSS. Biblioth. Regiæ, Colbertinæ, & Sorbonicæ, quas inter, duæ extant Vitæ *Clementis VII.* qui tempore Schiſmatis Avenione ſedit, & de quo hìc pauca dicemus. Poſt *Gregorii XI.* obitum, qui contigit anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, *Bartholomæus Prignanus*, Archiepiſcopus Barenſis, Romanus Pontifex die vigeſimâ ſeptimâ Martii ejuſdem anni electus eſt à Cardinalibus perterritis à Populo Romano ſeditioſis vocibus inclamante, *Romanum, vel Italum volumus*; ignemque intentante Conclavi, niſi Romanus, Italuſve Pontifex crearetur. Peractâ electione *Bartholomæi*, Barenſis Archiepiſcopi, qui *Urbanus VI.* appellatus eſt,

Cardinales ipſum ut verum Pontificem coluerunt, ſed deinde, partim aſperis, intempeſtiviſque ejus increpationibus offenſi, partim violentiam in ejus electione cauſati ab eo defecerunt, illum, ſententiâ latâ, intruſum denuntiarunt, ac Fundos receſſerunt, ubi novum Pontificem elegerunt *Robertum*, Gebennenſis Comitis fratrem, Sanctorum XII. Apoſtolorum Cardinalem Presbyterum, annos natum dumtaxàt triginta ſex, qui *Clemens VII.* appellari voluit, Sedemque ſuam Avenione fixit, dùm Romæ ſederet *Urbanus VI.* Quantùm ad iſtud in Eccleſia exortumSchiſma extinguendum adlaboraverit Academia Pariſienſis, patet tùm ex frequentibus deliberationibus,quas in Comitiis Generalibus ſuper hac re habuit; tum ex litteris, quas ad *Clementem VII.* (quem Gallia ceu legitimum Pontificem agnoſcebat) ſcripſit, quibus eum rogat & obteſtatur, ut exoptatiſſimam Eccleſiæ concordiam, quæ in ejus manu ſita erat, abſque mora intendat; tum etiam ex litteris, quas direxit ad Cardinales Clementinos, quibus eos adhortatur, ut hunc laborem ſuum pro unione Eccleſiæ ſincerâ mente ſuſceptum fovere, adjuvare, urgere, & ad proſperum exitum perducere dignentur: Tùm denique ex Epiſtola, quam eadem Academia Pariſienſis anno MCCCXCIV. ſcripſit ad *Carolum VI.* Galliarum Regem, in qua ei proponit tres commodiores vias, quæ ad Schiſmatis extinctionem eligi atque adhiberi poterant, videlicèt Ceſſionem & renuntiationem plenariam utriuſque de ſummo Pontificatu contendentis; vel mutuam Compromiſſionem amborum in aliquos eligendos, qui iſtud negotium ſummâ auctoritate decernerent ac finirent;

rent; vel Concilii Generalis celebrationem. Has tres vias extinguendi Schiſmatis eâ in Epiſtola latè exponit Academia Pariſienſis, alias tamen, *ſi quæ ſunt commodiores ſeu faciliores*, minimè ſe excludere profitetur. Legeſis *Egaſſium Bulæum* Tomo IV. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, ubi inſeruit omnes deliberationes, quas habuit Academia Pariſienſis, Litteras, quas ad *Clementem VII.* & ad Galliarum Regem ſcripſit, cæteraque id genus monumenta, ex quibus facilè colligitur, Academiam Pariſienſem ad abolendum dirum iſtud Schiſma ſuas omnes adhibuiſſe curas. Verùm, ſpem omnem concordiæ evertit pertinacia *Clementis VII.* qui, acceptâ Academiæ Pariſienſis Epiſtolâ, furore ardens, eam nullo reſponſo dignatus eſt, propoſitis ab ipſa Schiſmatis extinguendi viis nunquàm acquieſcere voluit, ac tandem XVI. Kalendas Octobris anni milleſimi trecenteſimi nonageſimi quarti interiit Avenione ex Apoplexia. Audito *Clementis VII.* obitu, Academia Pariſienſis *Carolum VI.* Galliarum Regem obnixè rogavit, ut Cardinales Clementinos moneret, quatenùs electione novi Pontificis ſuperſederent, donec de unionis negotio fuiſſet pleniùs deliberatum, ac omnes ultrò citròque conveniſſent de modo ac viâ promovendi ſanctiſſimum illud opus. Academiæ Pariſienſis Poſtulatis lubens annuit Galliarum Rex, habitoque cum ſuis Conſilio litteras ſcripſit ad Cardinales rogans ut electionem differrent, donec Oratores de unione Eccleſiæ cum ipſis acturos miſiſſet. Has *Caroli VI.* litteras exhibent Sandionyſianus Monachus in Hiſtoria *Caroli VI.* Lucas Dacherius Tomo VI. *Spicilegii*, & *Egaſſius Bulæus*

Tomo IV. Hiſtoriæ Univerſitatis pag.710. Scripſit itidem ad eoſdem Cardinales Clementinos Academia Pariſienſis, illos obſecrans ne electionem maturarent, donec *Bonifacii IX.* qui Romæ Sedebat, ad concordiam Eccleſiæ voluntas explorata eſſet, ac undique tentatæ omnes ineundæ pacis viæ, quam, defuncto *Clemente VII.* Avenione ſedente, faciliùs obtineri poſſe conſtabat. Has Academiæ Pariſienſis Litteras ex MS. Codice Victorinæ Bibliothecæ editas inſeruit *Egaſſius Bulæus* Tomo IV. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 711. Hæc tam Galliarum Regis, quàm Academiæ Pariſienſis Monita inſuper habuerunt Cardinales Clementini, & die XXVIII. menſis Septembris anni MCCCXCIV. in Pontificem elegerunt *Petrum de Luna*, S. Mariæ in Coſmedin Cardinalem, nobiliſſimo genere in Aragonia natum, qui in ſua Obedientia dictus eſt *Benedictus XIII.* & juramentum, quo ſtatim poſt electionem ſuam ad cedendum Pontificatu ſe obſtrinxerat, ſi Cardinalibus Obedientiæ ſuæ pro bono pacis & Eccleſiæ expedire videretur, violavit; atque, uſque ad mortem, retentis Pontificiæ dignitatis Inſignibus, Pontificum *Bonifacii IX. Innocentii VII. Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXIII. & Martini V.* Romæ ſedentium ſe ſe invictâ pertinaciâ æmulum præbuit. Quid *Carolus VI.* Galliarum Rex, Eccleſia Gallicana, & Academia Pariſienſis egerint ut abolerent Schiſma, & *Benedictum XIII.* ad viam Ceſſionis amplectendam inducerent, latè oſtendit *Egaſſius Bulæus* Tom. IV. & V. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, ubi omnia Monumenta ad hocce negotium ſpectantia inſeruit. At *Benedictus XIII.* Regis, Cleri Gallicani, & Academiæ

miæ Pariſienſis vota multiplici tergiverſatione ſemper eluſit. Quin, poſtquàm in Concilio Piſano fuiſſet tanquàm pertinax, & Schiſmatis fautor Sententiâ latâ damnatus, celebravit Perpiniani Conciliabulum, quo ſe adversùs Piſanam Synodum muniret; nec parêre voluit Decretis Concilii Conſtantienſis, in quo Seſſione XXXVII. lata eſt in ipſum peremptoria ſententia velut in perjurum, Schiſmaticum, & Hæreticum, ſed in Schiſmate obfirmatus ſeceſſit Paniſcolam, quæ Arx erat muniti ſſima in Aragonia, ad mare ſita, ditionis Lunenſium Procerum, ubi ſe legitimum eſſe Pontificem adeò perſuaſum habebat, quamvis univerſa Eccleſia ipſum, ceu Antipapam, execraretur, ut propedièm moriturus duobus Cardinalibus, qui adhùc ipſi adhærebant, ſub interminatione maledictionis æternæ præceperit, ut alium Pontificem poſt obitum ſuum eligerent. (Mortuus eſt autem *Petrus de Luna*, dictus in Obedientia ſua *Benedictus XIII.* anno MCCCCXXIV.) Hujus Antipapæ juſſioni parverunt poſt illius obitum duo iſti Cardinales, & *Ægidium Sancii Munionis*, Barcinonenſis Eccleſiæ Canonicum elegerunt, qui ab *Alphonſo* Aragoniæ Rege, ſuis rationibus Eccleſiæ unitatem, ac pacem poſtponente, ad umbratilem ſuſcipiendam dignitatem compulſus eſt, & *Clementis VIII.* nomen uſurpavit. Sed pace Regnum inter & Sacerdotium ſancitâ, *Ægidius* Antipapa, dictus *Clemens VIII.* ſponte ſe abdicavit, ſuiſque Cardinalibus author fuit, ut *Martinum V.* in Concilio Conſtantienſi electum, tanquam verum & legitimum Pontificem, agnoſcerent, ſuaque ei obſequia exhiberent. Sic teterrimo Schiſmati, ut jam obſervavimus,

mus, finis tandèm aliquandò impoſitus eſt, & ſub uno viſibili capite, Chriſti in terris Vicario, *Martino V.* Pontifice Maximo, congregata fuit Eccleſia.

D. Continuam ſeriem Pontificum, qui Sæculo XV. Eccleſiam Romanam gubernarunt, non minùs copioſè, quàm accuratè texuiſti. An verò Catalogum Patriarcharum Græcorum, qui Sæculo XV. Sedem Conſtantinopolitanam tenuerunt, exhibere poſſis, valdè addubito, cùm *Mahometes II.* Turcarum Imperator, ſicut in ſuperiori Colloquio jam obſervaſti, Urbem Conſtantinopolim anno MCCCCLIII. ceperit, Græcorum Imperium extinxerit, & latè etiamnùm Barbara illa gens, profligatâ Chriſtianâ Religione, in toto Orientis Imperio dominetur. Ex hac Imperii Græcorum ruina, quæ Sæculo XV. contigit, facilè conjecturam facio, ſeriem Patriarcharum Græcorum Sedis Conſtantinopolitanæ fuiſſe eodem Sæculo interruptam.

M. Memini, in præcedentibus Colloquiis jam fuiſſe à me obſervatum, in numerandis Patriarchis Græcis Conſtantinopolitanis tantam eſſe apud Scriptores diſcrepantiam, ut non modò in eorum temporibus, ſed etiam in ordine, immò & in nominibus plerùmque diſſentiant, aliique alios prætermittant, aut adjiciant. Seriem illorum Patriarcharum, qui ſub finem uſque decimi quarti Sæculi Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexerunt in meliorem ordinem digeſtam, ex variis Scriptoribus, præſertim ex Chronico *Onuphrii* excerptam dedimus. Nunc verò cæteros Patriarchas, qui Sæculo XV. Sedem Conſtantinopolitanam tenuerunt,

runt, breviter referemus, & in annis cuique aſſignandis ea ſequemur, quæ nobis probabiliora videntur. Sub finem Sæculi XIV. hoc eſt, circà annum MCCCXCVIII. præerat Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *Antonius* hujus nominis *IV.* Monachus Græcus, qui Sedit annos quinque, ideſt, ad annum uſque MCCCCIII. *Antonio* ſucceſſit *Callixtus* hujus nominis *II.* qui Sedit annos tredecim, ſeu ad annum MCCCCXVI. Ei in Sede Patriarchali Conſtantinopolitana ſuffectus eſt *Joſephus* hujus nominis *II.* antehàc Metropolita Epheſinus, cujus Patriarchatus exordia refert *Onuphrius* ad annum MCCCCXXIV. Sed erraſſe *Onuphrium* probat *Spondanus* ad annum MCCCCXIX. Num. XIII. ex relatione Nuncii à *Martino V.* Pontifice Maximo anno MCCCCXXII. miſſi, ex qua facilè colligitur, *Joſephum* etiam ad annum MCCCCXX. Sedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam tenuiſſe. Hic eſt ille *Joſephus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Concilio Æcumenico, Florentino an. MCCCCXXXIX. ad redintegrandam unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina interfuit, ibidèmque, concluſâ jam quoad præcipua Capita unione, Seſſione ultimâ è vita migravit, antequam Definitio Fidei conderetur, ſed ſententiam ſuam circa Dogmata Græcos inter & Latinos controverſa Scripto paulò ante mortẽ conſignavit, ac ſuis Græcis reliquit his verbis: *Joſeph miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Novæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, ſoluturus jam commune debitum, Dei gratia ſcribo & ſubſcribo Sententiam meam apertè univerſitati filiorum meorum. Omnia igitur quæ ſentit & dogmatizat Catholica &*

Apo-

Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti Senioris Romæ, ipſe quoque ſentio, & iis me acquieſcentem do ac dico. Profiteor quoque, Beatiſſimum Patrem, & Maximum Pontificem, & Vicarium Domini noſtri Jeſu Chriſti antiquæ Romæ Papam, ad certam omnium fidem; necnon Purgatorium animarum. In horum quippè fidem ſubſcriptum eſt die menſis Junii nono, anno milleſimo quadrigenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſecunda. Demortuo *Joſepho* Patriarchæ Conſtantinopolitano anno MCCCCXXXIX. ſubſtitutus eſt ab Imperatore *Joanne Palæologo* Conſtantinopolim reverſo *Metrophanes Cyzicenus*, qui Concilio Florentino interfuerat, & poſt ipſius obitum idem Imperator Patriarcham Conſtantinopolitanum inſtituit *Gregorium* hujus nominis *III.* Hieromonachum, qui Sanctimoniâ & Prophetiæ dono clarus, prænuntiato Imperii Grecorum interitu, qui contigit anno MCCCCLIII. quo à Turcis capta eſt Urbs Conſtantinopolis, ſeſe Patriarchali dignitate abdicavit. Poſt captam à Turcis Urbem Conſtantinopolim, Græci pro ſua congenitâ levitate ad vomitum redierunt, à Latinorum unione diſtracti Schiſma renovarunt, elegeruntque in Patriarcham Conſtantinopolitanum *Georgium Scholarium*, dictum etiam *Gennadium*, acerrimum aſſertorem Schiſmatis, in quo ejus Succeſſores ad hæc uſque tempora perſeverarunt. Circà hunc *Georgium Scholarium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, non levis apud Viros eruditos ſuboritur diſceptatio, utrùm videlicet diverſus ſit ab illo *Georgio Scholario* Græco, qui Concilio Florentino interfuit. Nonnulli exiſtimant, hunc *Georgium Scholarium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum,

eſſe

eſſe planè diverſum ab illo *Georgio Scholario*, qui ad Concilium Florentinum acceſſit. Quod ut conficiant, primò negant, *Georgium Scholarium*, qui fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Italiam ad Synodum Florentinam conveniſſe. Secundò, aſſerunt, *Georgium Scholarium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, fuiſſe Græcorum Schiſmati addictiſſimum, cùm tamen certiſſimè conſtet, *Georgium Scholarium*, Græcum, qui interfuit Concilio Florentino, pacis ineundæ Græcos inter & Latinos ſequeſtrum ſe præbuiſſe, & egregiam huic unioni promovendæ, operam navaſſe. Verùm, ipſe iis aſſentior viris eruditis, qui affirmant, *Georgium Scholarium*, quem, poſt captam à Turcis anno MCCCCLIII. Urbem Conſtantinopolitanam, electum eſſe diximus Patriarcham Conſtantinopolitanum, non eſſe diverſum ab illo *Georgio Scholario*, qui adfuit Concilio Florentino. At enim, quod alii dicunt *Georgium Scholarium*, qui fuit poſteà Patriarcha Conſtantinopolitanus, nunquàm in Italiam ad Synodum Florentinam acceſſiſſe, apertè falſi convincitur ab ipſomet Patriarcha *Georgio Scholario*, qui multis in locis Operum ſuorum, quæ manuſcripta in Bibliothecis adhùc aſſervantur, disertè teſtatur, ſe Florentiam ad Synodum cum aliis Græcis perrexiſſe, ut videre eſt apud eruditum Patrem noſtrum *Michaëlem LeQuien* ſub finem Diſſertationis *De Proceſſione Spiritus Sancti*, quæ eſt ordine prima inter Diſſertationes Damaſcenicas, quas fronti recentis à ſe adornatæ Operum *S. Damaſceni* Editioni præfixit. Nihilo præcedenti efficacior eſt altera ratio, quâ probant, *Georgium Scholarium*, Patriarcham Conſtantino-

tinopolitanum, diverſum eſſe à *Georgio Scholario*; qui interfuit Concilio Florentino, eò quòd *Georgius Scholarius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Græcorum Schiſma renovaverit, foverit, illudq; promovere totis viribus ſategerit; cùm è contra *Georgius Scholarius*, qui Concilio Florentino adfuit, omnem curam, induſtriam, ac laborem ad procurandam unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina contulerit: hæc, inquam, ratio non evincit *Georgium Scholarium*, qui interfuit Concilio Florentino, diverſum fuiſſe à *Georgio Scholario* Patriarcha Conſtantinopolitano, ſed dumtaxàt perſuadet, *Georgium Scholarium*, dùm eſſet in Concilio Florentino, negotium unionis Eccleſię Gręcę cum Latina perficere in votis habuiſſe, ſed eum poſteà in patrium Solum reverſum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum creatum, à priori propoſito reſiliiſſe, & ad renovandum Græcorum Schiſma animum adjeciſſe, ſicut ex triplici momento facilè perſuaderi poteſt. Primò, ex teſtimonio *Syropuli*, Scriptoris Græci, in *Hiſtoria Concilii Florentini* Sect. 9. ubi ait *Georgium Scholarium* Venetiàs cum *Demetrio Deſpota*, & *Gemiſto Phletone*, Græcis, ante profugiſſe, quàm pacis Decretum in Synodo Florentina conderetur. Verba *Syropuli*, ut videre eſt in Diſſertatione laudatâ noſtri *Michaëlis Le Quien*, hæc ſunt: *Demetrius Deſpota poſt quatriduanum à morte* (Joſephi, Græcorum Patriarchæ) *Venetias abſceſſit, annonæ ſtipendio poſthabito, ne ſubſcriptioni, aut unioni intereſſe cogeretur, eumque comitati ſunt Doctorum ſapientiſſimi Gemiſtus, & Scholarius, nec ipſi tunc adeſſe cupientes*: ex quibus verbis patet, *Georgium Scholarium* à Synodo Florentina animo Schiſmatico receſſiſſe.

Præ-

Prætereà, extat Epiſtola *Marci* Epheſini ad *Georgium Scholarium*, quæ multis in Bibliothecis viſitur, editaque eſt à *Leone Allatio* in Exercitatione ſeptima adversùs *Creygthonum*, in qua Epiſtola *Marcus Epheſius* adhortatur *Georgium Scholarium* ut ab unione utriusque Eccleſiæ factâ in Concilio Florentino diſcedat, & patriam Græcorum doctrinam amplectatur. Cujus Metropolitani votis obſecutum fuiſſe *Georgium Scholarium*, Scripta ipſius, quæ adversùs Latinos edidit, ſatis ſuperque oſtendunt. Poſtremò, *Leonardus Chienſis*, Archiepiſcopus Mitylenæus, in Epiſtola ad *Nicolaum V.* Pontificem Maximum, cauſam aperit, cur *Georgius Scholarius* unionem utriusque Eccleſiæ in Concilio Florentino firmatam, cui ipſemet in eodem Cuncilio multùm faverat, poſteà, non ſibi conſtans, ex tranſverſo petere, ſeu palàm impugnare aggreſſus ſit. In ea ſiquidem Epiſtola prædictus Archiepiſcopus deplorans UrbisConſtantinopolitanæ jacturam & expugnationem anno MCCCCLIII. à Turcis factam, hæc ſcribit: *Ajebant Magnates, quorum cruor hoſtili gladio jam irrigat terram: detur Summo Pontifici commemorationis honos: ſed Decretum Florentinæ Synodi non legatur. Cur hoc hypocrita? ut deleatur*, inquit, *ex Decreto, quòd Spiritus Sanctus æquè ex Filio, quemadmodùm ex Patre procedit. Cur item hypocrita? ne erraſſe videantur Græci, ſi dicant* (ideſt objiciant Latinis) *duos Spiritus Sancti productores? ſed cur hoc item oro, hypocrita? ne detur ei, qui totam ſibi ex officio captare cupit gloriam* (Iſidoro videlicet Rutheno, Cardinali Legato, natione Græco, qui in Concilio Florentino unionem Eccleſiæ Grecæ cum Latina plurimùm promovit) *Intendebat ex*

una parte Georgius Scholarius, ex altera Chirluca, quandòque ad præſentiam ſemet Apoſtolicam (ſeu Pontificis Romani) *tranſferre, ut hi eſſent, qui ſoli rem intellexiſſe viderentur, qui primi laudarentur tantę unionis auctores. Adversùs enim Legatum* (Iſidorum ſcilicèt Ruthenum) *multi invidia clanculùm torquebantur*. Ex quibus verbis apparet, *Georgium Scholarium*, qui in Concilio Florentino ſeſe ad ſanciendam utriuſq; Eccleſiæ Gręcę & Latinæ concordiam propēſiſſimum oſtenderat, poſteà tamen, propter ſimultates quaſdam, necnon propter latentem animi ſuperbiam, quâ primas partes in unione procurandâ ſibi minimè concedi iniquo animo ſuſtineret, Græcorum Schiſmatis cauſam tutatum fuiſſe. Qua in re *Georgium Scholarium* mutaſſe ſententiam, mirum ſanè non videbitur his, qui verſatile Græcorum ingenium norunt. *Georgius* itaque *Scholarius*, qui, poſt captam à Turcis anno MCCCCLIII. Urbem Conſtantinopolim, creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Græcorum Schiſmati addictiſſimus fuit, diverſus non eſt ab illo *Georgio Scholario*, qui in Concilio Florentino unioni Græcos inter & Latinos procurandæ aliquandiù operam navavit, ac ſubindè admitti haud debet ſententia quorumdam virorum eruditorum, qui, poſt *Leonem Allatium* in Diatriba *De Georgiis*, & in Exercitatione VII. adversùs *Creyghtonum*, autumant, *Georgium Scholarium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, eſſe planè diverſum à *Georgio Scholario*, qui interfuit Concilio Florentino. Sed hactenùs ſatis de *Georgio Scholario*, qui, poſt captam à Turcis Urbem Conſtantinopolitanam, Patriarcha Conſtantinopolitanus electus, Schiſma

Schiſma Græcorum renovavit, in quo ejus ſucceſſores ad hæc noſtra tempora perſeverarunt, quorum res nobis parùm notæ, nomina ipſa non ſatis certò cognita ſunt, certè non magno uſui ad Hiſtoriã Eccleſiaſticam illuſtrandam eſſe poſſunt; illorũ tamen Catalogum, ſi velis, legere poteris apud *Philippum Cyprium*, qui in Chronico Eccleſiæ Græcæ illum utcùmque continuavit uſque ad *Parthenium*, qui anno MDCXXI. Sedem Conſtantinopolitanam tenuit. Nec magis comperta habemus nomina, reſque Patriarcharum Græcorum Schiſmaticorum, qui Sæculo XV. & aliis ſequentibus Sedes Antiochenam, & Hieroſolymitanam occuparunt, quorum proindè Catalogum prætermittemus, cùm res, quæ ad ipſos ſpectant, craſſis occultatę ac circumfuſæ tenebris lateant. De ſerie verò Patriarcharum Alexandrinorum, præter illorum Catalogum, quem à doctiſſimo *Euſebio Renaudotio*, & à Bollandiani Operis Continuatoribus concinnatum inſeruimus in Colloquio II. in Hiſtoriam Sæculorum VII. & VIII. nihil aliud, quod præcipuam aliquam obſervationem mereatur, in pręſentia dicendum occurrit. Denique, de Latinis, qui Sæculo XV. & aliis deinceps fuerunt à Romanis Pontificibus donati Titulo Patriarchali vel Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, vel Alexandrinæ, vel Antiochenæ, vel Hieroſolymitanæ, nihil itidèm dicemus, ne nudam nominum ſylvam, quæ nullam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lucem afferre poteſt, tradere videamur. His itaque miſſis, præſenti Colloquio finem imponamus, & ut valetudinem noſtram, æſtivis iſtis menſibus ægram ac infirmam, confirmare poſſimus, aliud Colloquium, in quo de

Hæreſibus & Controverſiis, quæ Sæculo XV. enatæ ſunt, ſermonem habituri ſumus, per aliquot dies, ſi placet, differamus. In ſtudio quippè, ſicut aliis in rebus, ſervari debet iſtud *Terentii* in *Andria* Adagium: *Ne quid nimis*, quia ut optimè ait *Horatius*:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citràque nequit conſiſtere rectum.

COLLOQUIUM III.

De Hæreſibus & Controverſiis, quæ Sæculo XV. Eccleſiam exagitarunt.

DISCIPULUS. HIſtoriam Hæreſum, quæ Sæcul. XV. Infeſtarunt, auſpicari debes ab Hæreſi Wicleffiana, quæ licèt ſub finem Sæculi XIV. in Anglia pullulare cœperit, cùm tamen Sæculo decimo ſexto latiſſimè propagata, ut jam obſervaſti, inſolentiùs ſeſe extulerit, de illius origine, progreſſu, atque interitu opportuniùs continuâ ſerie hìc diſſeremus. Oſtende itaque in primis, quo pacto hæc Wicleffiana Hæreſis ſuam in Anglia originem habuerit?

M. Wicleffiana Hæreſis Authorem ac parentem habuit *Joannem Wicleffum*, Natione Anglum, Doctorem & Profeſſorem Theologiæ in Academia Oxonienſi, Eccleſiæ de *Luttervvorth*, Lincolnienſis Diœceſis, Rectorem, qui eâ potiſſimùm de cauſâ, quam hic breviter exponemus, ad virulenta ſua

ſua contra Eccleſiam, & Romanum Pontificem ſpargenda dogmata adductus eſt. Præfecturam Collegii Cantuarienſis apud Oxonienſes præter jus faſque invaſerat *Joannes Wicleffus*, cùm, juxta Statuta *Simonis Islepi*, Cantuarienſis Archiepiſcopi, & illius Collegii Fundatoris, hæc Præfectura Monacho tantùm deberetur. Ortâ igitur Monachos inter & *Joannem Wicleffum* de ea Præfectura gravi contentione, *Simon Langhamus*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, causâ cognitâ, *Wicleffum* Præfecturâ abdicavit, ejusque in locum ſubſtituit *Henricum Wodehull* Monachum, ut videre eſt apud *Nicolaum Harpsfeldium*, Cantuarienſem Archidiaconum, *in Hiſtoria Wicleff.* cap. 1. ubi omnia hujus Litis Inſtrumenta ſe legiſſe teſtatur. Huic Sententiæ parêre nolente *Wicleffo*, Collegii redditus ſequeſtravit *Simon Langhamus*, Archiepiſcopus Cantuarienſis & Cardinalis. *Wicleffus*, ejusque ſocii ad *Urbanum V.* Pontificem Maximum provocarunt. Rem judicandam Summus Pontifex commiſit *Andruyno* Cardinali, qui Sententiam tulit, ſolos Monachos, ſæcularibus excluſis, Collegium poſſidere debere, *Wicleffum* verò, ejusque ſocios expellendos eſſe, factâ priùs Monachis injuriarum debitâ compenſatione. Latam anno MCCCLXX. à Cardinali Sententiam ratam habuit *Urbanus V.* Quò factum eſt, ut *Joannes Wicleffus*, volens nolens, eâ Præfecturâ cedere coactus fuerit, cùmque eſſet vehementis ingenii homo, ſuperbus, ambitioſus, vindictæque cupidus, ſuperos & Acheronta moverit ad excitandum in Eccleſia incendium, ſuoſque ſerendos errores, quorum propagationi non ſolùm miſer Regni Angliæ Status ſub Regibus

Eduardo hujus nominis *VI.* & *Richardo* hujus nominis *II.* favor etiam, quo *Wicleſſum* dignabatur *Joannes* Lancaſtriæ Dux, qui omnia unà cum *Alicia Pereſia*, Regiâ pellice, in Regno Angliæ ſuâ auctoritate adminiſtrabat, ſed inſupèr teterrimum Schiſma, quod poſt mortem *Gregorii XI.* Eccleſiam turbavit, viam facillimam ſtraverunt. Naſcentem Wicleffianam Hæreſim comprimere, eamque, ne latiùs ſerperet, auctoritate Apoſtolicâ ſtatim confodere ſategit *Gregorius XI.* Pontifex Maximus. Admonitus quippè quid rerum in Anglia moliretur *Wicleſſus*, quàmque perniciofa proſeminaret Dogmata, Bullam dedit XI. Kalend. Junias anni MCCCLXXVII. quâ Cancellarium, & Univerſitatem Oxonienſem gravitèr increpuit, quòd peſtiferos hujus Hæreſiarchæ errores in Regno Angliæ paterentur agere radices in ſcandalum Religionis, exitium fidei, & damnationem animarum, præcepitque, ut ſine mora hic Hæreſiarcha caperetur, & captus traderetur in manus Archiepiſcopi Cantuarienſis, aut Epiſcopi Londinenſis, uti refert *Walſinghamus* in *Richardo II.* Angliæ Rege. Hanc Bullam *Gregorii XI.* Pontificis Maximi inſeruit *Egaſſius Bulæus* Tomo IV. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* ad annum MCCCLXXVII. Univerſitas Oxonienſis, ſive metu Regis Angliæ *Wicleſſo* faventis, ſeu muneribus & gratiâ Fautorum retardata, diù multùmque dubia hæſit, ſuſciperetne prædictam Pontificis Bullam cum honore, an cum dedecore repudiaret? quam in re tanti momenti negligentiam jure merito deplorat jam laudatus *Walſinghamus*. Alias Bullas ſcripſit idem Pontifex *Gregorius XI.* ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, & ad Epiſcopum Lon-

Londinenſem, ut Regem Angliæ, & Magnates monerent, ne Hæreſiarchæ *Joanni Vvicleffo* faverent, aut quovis modo adhærerent, quas hujus Pontificis Bullas ad eumdem annum MCCCLXXVII. refert *Egaſſius Bulæus* Tomo IV. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*. Hujusmodi Summi Pontificis Bullas poſtquàm Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Epiſcopus Londinenſis accepiſſent, initio quidem profeſſi ſunt, ſe nullis minis, aut blanditiis adductum iri, quin *Joannem Vvicleffum* damnarent, ſi errores ſuos obſtinato animo prædicare aut aſſerere pergeret. Sed promiſſis non ſteterunt. Nam cùm huic Hæreſiarchæ diem dixiſſent, adeò minis cujusdam *Clifforde* territi ſunt, ut arma conſtantiæ abjecerint, cùmque Lambetham conveniſſent, & *Vvicleffum* adeſſe juſſiſſent, viliſſimis quibusdam hominibus irrumpentibus, &, ne quid adverſus Vvicleffum ſtatuerent, deterrentibus, re infectâ abjerunt. Ne tamen nihil egiſſe arguerentur, ipſius *Vvicleffi* explicationes acceperunt, quibus verſipellis ille Hæreſiarcha fucum illis fecit, & objectos ſibi articulos ita interpretatus eſt, ut nihil ab Eccleſiæ doctrina alienum ſenſiſſe, ſed obſcurè tantùm, novè, & imprudenter locutus videretur. Sic ſuos Judices deluſit & irriſit *Vvicleffus*, tùm quòd præ ſe ferre videretur humilem animum & Eccleſiæ obedientem; tùm quòd adjutus eſſet ope Londinenſium Civium, indeque magnos animos ſumpſit, præſertim poſt *Gregorii XI.* Pontificis Maximi obitum, qui, antequàm in eum fulmina vibrare poſſet, migravit è vita. Hæc de Hæreſiarcha *Vvicleffo* refert *Thomas Vvalſinghamus* in Hiſtoria Anglicana ad annum MCCCLXXVI.

 D.Qui-

D. Quinam ſunt errores, quos docuit *Joannes Wicleſſus*?

M. Ducentos ſexaginta ſex errores ex *Vvicleſſi* Operibus collegit *Joannes Luke* Oxonienſis Theologus. Alii tres ſuprà trecentos enumerant; *Thomas Vvaldenſis* octigentos in libris *Vvicleſſi* errores repertos tradit. Conſtantienſis verò Synodus quadraginta quinque præcipuos recenſet ac damnat, quos, votis tuis ut faciam ſatis, hìc eodem ordine, quo in Concilio Conſtantienſi referuntur, ſubjiciam.

Primus *Vvicleſſi* error: *Subſtantia panis materialis, & ſimilitèr ſubſtantia vini materialis, remanent in Sacramento Altaris*. II. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento*. III. *Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè & realiter in propria præſentia corporali*. IV. *Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non Baptizat*. V. *Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit*. VI. *Deus debet obedire Diabolo*. VII. *Si homo debitè contritus fuerit, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua & inutilis*. VIII. *Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper Fideles ſibi ab aliquo datam, niſi fortè à Cæſare*. IX. Poſt *Vrbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub Legibus propriis*. X. *Contra Scripturam Sacram eſt, quòd Viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones*. XI. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi priùs ſciat eum excommunicatum à Deo: & qui ſic excommunicat, fit ex hoc Hæreticus, vel excommunicatus*. XII. *Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad*

Regem

Regem, vel ad Concilium Regis, eo ipſo traditor eſt Regis & Regni. XIII. *Illi, qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habentur.* XIV. *Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare Verbum Dei, àbſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.* XV. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dùm eſt in peccato mortali.* XVI. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, Poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolùm actu delinquentibus.* XVII. *Populares poſſunt ad arbitrium Dominos delinquentes corrigere.* XVIII. *Decimę ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani, propter peccata ſuorum Prælatorum, ad libitum ſuum eas auferre.* XIX. *Speciales Orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quàm Generales, cæteris paribus.* XX. *Conferens eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus ęo facto.* XXI. *Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam Poſſeſſionatorum, quàm Mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.* XXII. *Sancti inſtituendo Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.* XXIII. *Religioſi viventes in Religionibus privatis, non ſunt de Religione Chriſtiana.* XXIV. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.* XXV. *Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in tẽporalibus ſubvenientibus.* XXVI. *Oratio præſciti nulli valet.* XXVII. *Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.* XXVIII. *Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Conſecratio,*

reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris. XXIX. *Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana Gentilitate introducta, & tantùm proſunt Eccleſiæ, ſicut Diabolus.* XXX. *Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prelati, non eſt timenda, quia eſt Cenſura Antichriſti.* XXXI. *Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt Viri Diabolici.* XXXII. *Ditare Clerum, eſt contra Regulam Chriſti.* XXXIII. *Silveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.* XXXIV. *Omnes de Ordine Mendicantium, ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam ſunt excommunicati.* XXXV. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta; & per conſequens ad perveniendum ad Regna Cælorum, niſi apoſtataverint ab iiſdem.* XXXVI. *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eò quòd poſſeſſiones habent, & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & cæteri Laici.* XXXVII. *Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ: nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.* XXXVIII. *Decretales Epiſtolæ ſunt Apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.* XXXIX. *Imperator, & Domini Sæculares ſunt ſeducti à Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.* XL. *Electio Papæ à Cardinalibus, à Diabolo eſt introducta.* XLI. *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* XLII. *Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.* XLIII. *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.* XLIV. *Auguſtinus,*

Bene-

Benedictus, & Bernardus, damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones, & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici. XLV. *Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt à Diabolo*. Ad iſtos præcipuos errores in his quadraginta quinque articulis contentos & in Concilio Conſtantienſi confixos facilè revocari poteſt tota Joannis *Vvicleffi* peſtifera doctrina.

D. Certè, *Joannes Wicleffus*, ut video, proluſit *Calvino*, & *Luthero*, qui eoſdem errores ex illo virulento fonte hauſerunt, & in hujus Hæreſiarchæ Schola edocti, Wicleffiſtarum doctrinæ ſocietate gloriantur, ut aliquam antiquitatem novis ſuis erroribus accerſere poſſint. Sed quid præſidii Calviniſtæ, & Lutherani ad ſua impia tutanda dogmata colligere poſſint ex illa doctrinę ſocietate cum *Joanne Wicleffo*, Hęreſiarcha XV. Sæculi, & ab Eccleſia proſcripto, fateor me prorſùs ignorare.

M. Nihil profectò præſidii & antiquitatis novis ſuis erroribus Calviniſtæ & Lutherani ex ea doctrinę cum Hæreſiarcha *Joanne Wicleffo* ſocietate conciliare poſſunt ad impugnandam doctrinam Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola, ut in præcedentibus Colloquiis oſtendimus, veræ pietatis eſt Magiſtra, Catholicæ doctrinæ vindex, pulcherrimus primævæ antiquitatis archetypus: quæ ſola avitam fidem à Sanctis olim ſemel traditam, illibata Patrum Dogmata, Conciliorum Decreta, omnia veteris Eccleſiæ Symbola, Chriſtianæ Religionis Myſteria, & publicum cultum, Deoque dignum, ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hanc uſque

ætatem

ætatem noſtram jugiter retinuit. Quid autem, amabo, inſaniùs eſſe poteſt, quàm Hæreſiarchas à Romana, ſeu Catholica Eccleſia proſcriptos ſibi majores ac patronos adſciſcere, indèque doctrinæ ſuę antiquitatem jactare, ut factitare ſolent Calviniſtæ, & Lutherani, qui tamen non vident (adeò deploranda eſt eorum cæcitas) *Joannem Wicleffum*, cujus doctrinæ ſocietate plenis buccis gloriantur, multa propugnaſſe Eccleſiæ Romanæ Fidei Dogmata, quæ ipſi cæco furore abrepti diris devovent, & omni execratione proſequuntur. At enim, ut obitèr dicam, Lutherani & Calviniſtæ, ſolam Scripturam ſacram recipiunt. Contrà verò *Wicleffus* Lib. *De Poteſtate* Cap. 2. ſcribit, *credendum eſſe quòd Spiritus Sanctus neceſſariora Eccleſiæ expreſſit, & leviora ſub quodam confuſo involucro texit, ut patet primæ ad Corinth. cap.* 14. *dicit Spiritus Sanctus per ſuum Apoſtolum*: Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant: *in quo includuntur omnes uſus Eccleſiæ, indicendo ſervitium, omnes ritus Ordinum privatorum, & breuiter omnis conſuetudo Clericalis, vel Laicalis laudabilis*. Prætereà, Lutherani, & Calviniſtæ Baptiſmum dumtaxat & Euchariſtiam Sacramentorum albo accenſent. At *Wicleffus* in Poſtilla ſuper Novum Teſtamentum ad Cap.XV. S. *Marci*, & in Caput 1. Epiſtolæ primæ S. *Pauli* ad Corinth. diſertè teſtatur, ſe admittere ſeptenarium Sacramentorum numerum. Tertiò, Confeſſionem Auricularem Lutherani ac Calviniſtæ rejiciunt. At *Wicleffus* in Caput v. Epiſtolæ S. *Jacobi* ait, mortalia peccata confitenda eſſe non ſoli Deo, ſed Chriſti Vicario: *Oportet*, inquit, *recipere Sacramentum Pænitentiæ pro mortali-*

talibus abluendis, confitendo non ſolùm Deo, ſed & homini in caſu. Et cùm ſpecialiter confitendum ſit Vicario Chriſti, qui mediat inter Deum & hominem, ordinarunt poſteri Confeſſionem Auricularem. Quartò, Ritus Eccleſiæ, necnon Jejunia ab ea inſtituta improbant Lutherani, & Calviniſtæ. Contrà *Wicleffus* in Tractatu *De Graduationibus Scholaſticis* Cap.3. hæc approbat, quibuſdam ſui temporis Sophiſtis ſic reſpondens: *Non, inquiunt, legitur, quod Apoſtoli habuerint caput, & barbas raſas, ſicut nos utimur. Nec dixerunt Horas Canonicas, ut nos facimus, nec ſervarunt jejunium, veſtimenta, vel ritus in celebrando, ſicut nos facimus. Ergò omnia talia illicita ſunt. Quis ſtultus neſcit, quoniam iſtud non ſequitur? .... Nam ſi principium fuit Paulo, quod* Omnia ſecundùm Ordinem fiant; *dùm tales ritus fuerunt ordinati, docentur in iſto principio.* Quintò. Invocationem Dei-paræ Virginis & Sanctorum explodunt Lutherani & Calviniſtæ; Sed *Wicleffus* in quodam Sermone de Aſſumptione Beatæ *Mariæ* Virginis, ait: *Videtur mihi quòd impoſſibile eſt nos præmiari ſine Mariæ ſuffragio .... Ipſa enim fuit quodammodò cauſa Incarnationis & Paſſionis Chriſti, & per conſequens totius ſalvationis Mundi ..... Maria ſemper prævenit merita peccatorum, quia meretur exiſtentibus in crimine ut reſurgant, & ſic non eſt ſexus, ætas, vel ſtatus, vel conditio humani generis, quin neceſſe habeat auxilium Virginis implorare.* Denique, Lutherani & Calviniſtæ Reliquiis & Imaginibus Sanctorum cultum religioſum eſſe deferendum negant. Ex aduersò *Vvicleffus* hunc cultum pium & laudabilem eſſe profitetur. Sic enim in Tractatu

ſtatu magno de Euchariſtia Cap. 9. ait: *Sed ideò adoramus Imagines nudè ut ſigna, Deum autèm debemus, quantùm ſufficimus, adorare.* Et infra: *conceditur ergò quod Imagines, Reliquiæ, & Sacramenta ſint cum prudentia adoranda.* Idemque docet in Decalogum Cap.XV. Hanc *Joannis Vvicleffi* in quibuſdam Articulis Fidei cum Eccleſia Romana conſenſionem candidè fatetur *Guillelmus Cave* (juratus licèt Eccleſiæ Romanæ hoſtis) in *Appendice ad Hiſtoriam Literariam, Sæculo Vvicleffiano* pag. 34. ubi, poſtquàm longum *Ioannis Vvicleffi* texuit elogium, hæc ſubdit: *Ut alios enim articulos taceam, Joannes Vvicleffus in Expoſitionibus Orationis Dominicæ, Symboli Apoſtolici, & Decalogi, quas perlegi MSS. Purgatorium ſæpè numerò admittit; (in Tractatu autem de Spirituali Prælio MS. dilucidè ac prolixè docet;) preces Sanctis offerri, ut ipſi pro nobis interpellent, monet; Septem Sacramenta enumerat, animaſque in Purgatorio poſitas Eccleſiæ militantis precibus juvari prædicat.* Quæ cùm ita ſint, mirari profectò ſubit, quâ fronte hæretici Lutherani & Calviniſtæ glorientur patrocinio *Joannis Vvicleffi*, quem certiſſimè conſtat in multis Fidei Articulis (quos ipſimet improbant ac deteſtantur) cum Eccleſia Romana conſenſiſſe. Sed mittamus illos Hæreticos, qui ſuam quidem habent, quam jactitant, antiquitatem, ſed antiqui illius ſerpentis progeniem. Suos habent Patres, ſed quos? Flagitioſiſſimos Hæreſiarchas, Eccleſiæ Catholicæ judicio conſtanter prædamnatos, quorum Hæreſes ab orco revocant. Hos venditant prodromos ac præcurſores ſuos, his Fidei parentibus gloriantur, horum ſe gregales

&c

& aſſeclas profitentur; Orthodoxos autem Patres, venerandos primævæ fidei teſtes,canino dente lacerant, conculcant, execrantur, cane pejus & angue odio traducunt, aut eorum teſtimonia ſophiſticis argutiis eludunt, vel quod ſatis lepidum eſt, in ſuas partes, obtorto collo, pertrahere moliuntur, & ex illis ad ſuos ſtabiliendos errores conſecutiones deducunt, quas, mehercle, admota centum juga Bovum trahere nunquàm poſſent.

D. Fuitne Vvicleſſiana Hæreſis ab Eccleſia ſæpiùs profligata, & à multis Catholicis Doctoribus impugnata?

M. De Conciliis, in quibus confixa eſt Vvicleſſiana Hæreſis, commodiùs agemus in proximo Colloquio. Hîc de Academiis, quæ *Joannis Vvicleſſi* errores proſcripſerunt, pauca dicemus. In primis, Univerſitas Oxonienſis, quæ principiò haud parùm *Vvicleſſo* favebat, poſteà publicis ſuis Literis declaravit, propoſitiones illius Hæreſiarchæ communi ſuffragio Doctorum in Theologia & jure Canonico fuiſſe damnatas. Hanc damnationis doctrinæ *Vvicleſſi* ſententiam ab Univerſitate Oxonienſi latam refert *Egaſſius Bulæus* Tomo VI. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* pag. 459. 460., & 615. Sacra etiam Facultas Pariſienſis errores *Joannis Vvicleſſi* Cenſorio ſtigmate inuſſit, ſicut *Vvindefordus* in libro contra Vvicleſſiſtas edito, & *Joannes Cochlæus* libro I. *Hiſtoriæ Huſſitarum* teſtantur. Denique, Academia Pragenſis errores *Vvicleſſi* atro carbone notavit, cùm primùm illius Hæreſiarchæ libri in Bohemiam à *Petro Payne* Anglo, Vvicleſſiſta, allati

lati eſſent, jamque in illa regione ſerperet hæc Hæreſis. Sed (quod ſingulari obſervatione dignum eſt) huic errorum *Joannis Vvicleffi* damnationi, quæ ab Academia Pragenſi facta eſt anno MCCCCVIII. interfuit *Joannes Hus*, eamque ſuo calculo approbavit, quamvis poſteà Vvicleffianam doctrinam hauſerit, palàmque in Regno Bohemiæ effuderit, ac latè propagarit, ut mox oſtendemus. Eâ de re egregium teſtimonium profert *Joannes Przibram* Bohemus, quondam Huſſitarum hæreſi infectus, in libro, quem anno MCCCCXXVIII. edidit, *De Profeſſione Fidei Catholicæ & errorum revocatione*, ubi hæc habet: *Itèm profiteor veracitèr, quia antè annos viginti Magiſter Joannes Hus cum Magiſtris & Doctoribus Nationis Bohemicæ, ex pleno conſilio ſuo & conſenſu unanimi, nullo (ut dicebant) contradicente, reprobarunt, refutarunt, & publicè prohibuerunt coram omnibus & manifeſtè iſtos Articulos Joannis Vvicleffi &c.* Sic *Vvicleffum*, ejuſque errores damnarunt celebres Academiæ, quarum tamen Cenſuras ac doctrinalia Suffragia hæreſiarcha ille, quamdiù vixit, ſummâ arrogantiâ contempſit. Cùm enim quidam ei objicerent, quòd neque Univerſitatum Decretis, neque Collegiorum, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Sanctionibus parêret, contractâ fronte, adductiſque labiis reſpondit: *Univerſitates, Studia Generalia, Graduationes, Collegia, & Magiſteria in eiſdem eſſe vana gentilitate introducta, & tantùm prodeſſe Eccleſiæ, quantùm Diabolus prodeſſe ſolet.* Collegia quoque Cathedralium Eccleſiarum, atque Academiarum appellitare ſolebat: *Caſtra Cainitica.* Obiit *Joannes Vvi-*

cleffus

cleffus pridiè Kalendas Januarias, ſeu die xxxi. menſis Decembris anni mccccLxxxiv. cùm ante biduum, ſeu die S. *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris memoriæ conſecratâ, paralyſi percuſſus fuiſſet, & in ſua Parochia Lutervvortii in Diœceſi Lincolnienſi ſepultus eſt, donec juſſu Concilii Generalis Conſtantienſis exhumatus & exuſtus eſt, ejuſque cineres in profluentem abjecti. Innumera penè Opera à ſe latino, aut vulgari idiomate conſcripta reliquit *Joannes Vvicleffus*, quæ adhuc in Bibliothecis Angliæ deliteſcunt, & quorum partem longè maximam recenſet *Baleus* Centuriâ VI. *De Scriptoribus Britanniæ* Cap. I. Teſtatur etiam *Guillelmus Cave* Sæculo Vvicleffiano ſuæ *Hiſtoriæ Litterariæ*, ſe plurima *Joannis Vvicleffi* Opera partim in lucem edita, partim manuſcripta ſuis oculis uſurpaſſe, quorum Indiculum ibidem ſubnectit. Verùm, quod maximè obſervare debes, libros & Scripta omnia *Joannis Vvicleffi* ſolemni Edicto *Richardus II.* Angliæ Rex die xxiii. menſis Maii anni Regni ſui xi. ſeu anni mccclxxxviii. ubicumque in Regno & ditionibus ſuis inveniri poſſent, ad Conſilium ſuum deferri juſſit, ignibus tradenda, & illa à quovis ſubditorum ſuorum ſervari, legi, deſcribi, vendi aut emi prohibuit, vel damnatos *Vvicleffi* errores propugnari ſub pœna carceris. Hoc ſolemne *Richardi* Regis Edictum refert *Henricus de Knyghton*, Canonicus Leiceſtrenſis, libro v. *De Eventibus Angliæ*, Scriptor coævus, quo nemo meliùs Hiſtoriam Vvicleffianam deſcripſit, quique Hiſtoriam ſuam ad annum uſque mcccxcv. deduxit. Nec ſolùm *Richardus II.* Sed etiam *Henricus IV.* &

& *Henricus V.* Angliæ Reges, graſſantem Vvicleffianam Hæreſim ſuis Edictis acriter inſectati ſunt, omnemque adhibuerunt operam, ut hæc peſtilentiſſima Hæreſis toto Regno exterminaretur, ſicut teſtatur *Nicolaus Harpsfeldius* in Hiſtoria Vvicleffiana Cap.XVII. Quæ cum ita ſint, ſatis, ut ingenuè fatear, mirari haud poſſum, quâ fronte nunc Scriptores Angli *Joannes Baleus*, *Guillelmus Cave*, & *Thomas Jameſius*, Vvicleffum, ejuſque doctrinam, totiès à Regibus Angliæ, ab Epiſcopis, & Conciliis in Regno Angliæ celebratis profligatam, laudare, approbare, ac publicis editis Scriptis vindicare audeant, quos inter, *Thomam Jameſium* non puduit prolixam Apologiam Anglico ſermone in gratiam *Wicleffi* adornare, ac publicâ luce Oxonii anno MDCVIII. donare, in qua totus in id incumbit, ut oſtendat, ſummam eſſe Dogmatum Vvicleffianorum cum hodierna Eccleſiæ Anglicanæ doctrina Concordiam. Quaſi verò, magnum ſit Eccleſiæ Anglicanæ decus, ſeſe poſt Schiſma, quo ſub *Henrico VIII.* Angliæ Rege ab Eccleſia Romana, cui hactenùs indivulsè adhæſerat, fuit ſeparata, turpiter fœdaſſe infeſtis *Joannis Vvicleffi* Dogmatibus, quæ anteà Angliæ Reges, & Anglicanæ Eccleſiæ Præſules in Conciliis congregati tanquam hæretica fuerant execrati. Ecquid, amabo, ex ea apud hodiernos Anglos Fidei immutatione colligi poteſt, niſi eos ab avita Majorum ſuorum fide deſciviſſe, & nunc omni vento doctrinæ agitatos, non Evangeliorum, ſed fidem temporum ſectari? Sed ſi hodierni Angli ſcire aveant, quid de *Vvicleffo*, ejuſque doctrina ſentire debeant, legant, non recentiores

tiores

tiores Scriptores Anglos, qui rerum novandarum cupidi, & Sectæ ſuæ præjudiciis malè affecti, antiquos Hæreſiarchas ab Eccleſia Catholica damnatos ſuas in partes trahere adnituntur; ſed legant coævos ſuos Scriptores Anglos, qui de *Wicleffo*, ejuſque doctrina ſcripſerunt: legant ſuorum Regum Edicta, & Decreta Conciliorum, quæ contra *Wicleffum*, ejuſque doctrinam in Anglia fuerunt convocata: legant denique Illuſtriſſimum Dominum *Boſſuet*, Epiſcopum Meldenſem, in *Hiſtoria Variationum Hæreticorum*, & dominum *De Varillas*, Hiſtoriographum Gallum, qui Hæreſiarcham *Joannem Wicleffum* nativis coloribus depinxerunt, ejuſque Hæreſeos Hiſtoriam ex genuinis Actis, & ſupparibus Scriptoribus collectam accuratiſſimè deſcripſerunt. Hos Scriptores ſi hodierni Angli legere non graventur, omni procùl dubio *Joannis Wicleffi* memoriam, ac peſtiferam ejus doctrinam publicè execrabuntur. Sed utinam id optare & non fruſtrà ſperare liceret.

D. Fuitne extra Regnum Angliæ propagata hæc peſtilentiſſima Wicleffiſtarum Hæreſis?

M. *Joannis Wicleffi* Hæreſim ex peſtilentiſſimis illius libris hauſit *Joannes Hus* Presbyter, & in Academia Pragenſi Magiſter Artium, deindè Rector, eamque in totum Bohemiæ Regnum invexit. Plura *Joannis Vuicleffi* venenata Scripta ſecum in Bohemiam, velut pretioſum theſaurum, attulerat *Petrus Payne* Vvicleffiſta, ex Anglia profugus, quæ cùm legiſſet Magiſter *Hus*, natione Bohemus, Vir peracri ingenio, linguâ diſertâ, Dialecticas ſubtilitates in deliciis habens, & peregrinarum opinionum ſtudioſus inveſtigator,

conſeſtim Vvicleffianum ebibit venenum, eoque plurimos in privatis congreſſibus infecit, quamvis hujus Hæreſeos virus palàm effundere non auderet, eò quòd ipſemet interfuiſſet & ſubſcripſiſſet deliberationi, & ſolemni Sententiæ, quâ Pragenſis Academia quadraginta quinque *Joannis Vvicleffi* Articulos tàm in Comitiis Generalibus Univerſitatis, quàm in Comitiis Facultatis Theologicæ, & in Congregatione totius Nationis Bohemicæ in Domo ad Nigram Roſam celebratâ proſcripſerat, eiſque hæreſeos notam inuſſerat. Verùm, poſteà *Joannes Hus*, ut eſt Hæreticorum ingenium, inſolentior factus, Wiclefficum venenum, quod animo hauſerat, excuſſo omni rubore, propalare cœpit, cùmque eſſet ſermone potens, multa in ſuis Concionibus ex libris *Vvicleffi* in medium protulit, aſſerens in eis omnem veritatem contineri, ſeque vehementer optare in ea loca, poſtquàm ex hac luce migraſſet, proficiſci, ad quæ *Vvicleffi* anima perveniſſet, quem virum fuiſſe bonum, Sanctum, Cœloque dignum non dubitaret. Quin, impia illius Hæreſiarchæ Dogmata Calamo propugnavit *Joannes Hus*, aliquot ejus perniciosis libris in linguam Bohemicam translatis, quos ad potentiores Laicos, inſtar magni cujuſdam muneris, mittebat. Errorum ſuorum *Joannes Hus* nactus eſt ſocium ſibi ſimilem *Hieronymum Pragenſem*, gente itidèm Bohemum, Artium Magiſtrum acutiſſimum, & in concionibus, quas ad populum magno cum plauſu habebat, eloquentiſſimum. Utriuſque peſtilentem doctrinam arrectis auribus exceperunt incauti Bohemi, eorum conciones turmatim frequentantes.

His

His Clerici plerique ære alieno gravati, ſceleribus ac ſeditionibus inſignes, nec non odio & livore perciti, quòd pinguia Sacerdotia conſequi haud poſſent, ſe ſe adjunxerunt, & in Eccleſiam Romanam latrare cœperunt. Hìc non abs re erit obſervare, hunc *Hieronymum Pragenſem*, qui ſe ſe in diſſeminanda in Regno Bohemiæ Vvicleffiana Hæreſi *Joanni Hus* ſocium præbuit, anteà unà cum eodem *Joanne Hus* ſubſcripſiſſe Sententiæ, quam Pragenſis Academia tulerat contra XLV. Articulos *Joannis Vvicleffi*, ut ipſi jure merito exprobrat Scriptor coævus *Joannes Cochlæus* Libro I. *Hiſtoriæ Huſſitarum*, his verbis: *Si diligentiùs quis diſcutiat hanc rem, inveniet Hieronymum iſtum circa Vvicleffi doctrinam tèrque quatèrque, ut ait Poeta, perfidum. Primò quidem Pragæ, quandò ipſe anno* 1408. *quadraginta quinque articulos Vvicleffi ſimul cum cæteris publicè damnavit, tùm ut Magiſter Univerſitatis, tùm ut membrum Bohemicæ nationis. Bis igitur aut ter eam doctrinam ſub initium damnavit Pragæ, ſcilicet in Collegio Caroli, in Nigra roſa, & in Prætorio. Taceo de ea damnatione, quæ à Profeſſoribus Theologicæ Facultatis facta fuit, quia non reperio eum illius Facultatis membrum fuiſſe. At paulò poſt, maximè aſſeruit, & prædicavit ſeditioſiſſimè eamdem doctrinam, nec puduit eum cum ſociis ſuis contra Doctorum Conſilium in articulis objectionis ſuæ dicere, iniquam, injuſtam, ac temerariam eſſe & fuiſſe quadraginta quinque Articulorum condemnationem & prohibitionem.* Hujus itaque *Hieronymi Pragenſis*, & aliorum duorum ejuſdem farinæ hominum nequiſſimorum, *Jacobelli Miſnenſis*, & *Petri Dreſdenſis* ſocietate devinctus *Joannes Hus*,

latè per totum Regnum Bohemicum diffudit Hæreſim, quæ ab ipſo dicta eſt *Hæreſis Huſſitarum*.

D. Quî potuit tam facilè hæc Huſſitarum Hæreſis per totum Regnum Bohemicum propagari?

M. Hæreſis Huſſitarum per totum Regnum Bohemicum fuit facilè propagata, tum quia id temporis acerbiſſimi Schiſmatis incendio Romana conflagrabat Eccleſia; tum quia etiam in Bohemia regnabat *Vvenceslaus*, qui fuit etiam Occidentis Imperator peſſimus, utpotè cui, ſicut in primo Colloquio diximus, vinum, cæteræque obſcænæ voluptates dominabantur magis, quàm ipſe ſubditis. Turpiſſima *Vvenceslai* Geſta, ob quæ Imperio fuit abdicatus, Tomo 2. *Rerum Germanicarum* Part.3. pag.180. deſcribuntur his verbis: *Controverſias porrò, bellaque, quæ, proh dolor! Germaniam, aliaſque Sacri Imperii terras miſerè afflixerunt, & peſſumdederunt, atque etiamnùm peſſumdant, nihil unquàm curæ habuit. Hinc prædationes, incendia, & latrocinia orta adeò funeſtis uſque hodie incrementis, ut nulli Clerici, neque Laici, neque Agricolæ, neque Mercatores, neque Viri, neque Mulieres, ſive Terra, ſive Mari tuti verſentur. Templa, Cœnobia, & Domus Sacræ, quas Sacrum Imperium manu aſſerere, atque tueri decebat, rapinis & incendiis patent, & ad interitum rediguntur. Eò res abiit, ut quivis contra juris & æqui rationem, alium pro arbitrio tractarit, ac etiam tractet, abſque ulla Sacræ, ſpretæque diu Imperialis auctoritatis reformidatione, ſicut & locus conveniendi quempiam, ubi nomine juris defenſio & patrocinium ſuſcipiatur, planè ignoretur. Denique*

quod

(quod horrendum & immane dictu) cùm propria, tùm aliorum facinoroſorum, quos ſecum habet, manu, reverendos Sacrorum Antiſtites, Sacerdotes, & Spirituales perſonas, & alios itidèm plures honeſtæ notæ homines contra juris normam, ſecùs quàm Romanorum Regem decebat, neci dedit, aquis ſubmerſit, igne cremavit miſerabilitèr, atque truculentèr peremit. Quæ quidem memorata, aliaque multa gravia facinora, atque damna adeò divulgata ſunt & palam nota, ut excuſari, vel celari nullatenùs queant. Tot pravis moribus imbutus *Vvenceslaus*, propagationi Hæreſeos *Joannis Hus* in Regno Bohemiæ occaſionem dedit. Conceſſit quippè ad petitionem *Joannis Hus*, ut in Pragenſi Academia, quæ ab initio in quatuor Nationes erat diviſa Bohemicam, videlicet, Saxonicam, Bavaricam, & Polonicam, præemineret, & cæteris anteferretur Natio Bohemica, ipſaque una tantùm in Academia juris haberet, quantùm reliquæ aliæ tres ſimùl junctæ. Eâ novitate offenſi Profeſſores trium illarum Nationum Pragam reliquerunt, & unà cum quinque ſuorum diſcipulorum millibus Lipſiam trium dierum itinere à Praga diſtantem, adière, ubi novam Academiam, faventibus Lantgravio Thuringiæ, & Marchione Miſnæ, religioſiſſimis Principibus, erexerunt. Tunc *Joannes Hus* votorum ſuorum compos, facilè totam Academiam Pragenſem, indèque Bohemici Regni populum ſuis erroribus, quà libris editis, quà diſputationibus, quà concionibus infecit.

D. Numquid ad compeſcendam illam graſſantem in Regno Bohemiæ Huſſitarum Hæreſim, omnem ſuam curam ac Paſtoralem vigilantiam

adnibuerunt hujus Nationis Epiſcopi?

M. *Joannem Hus* fruſtrà, & abſque ullo correctionis fructu, piâ admonitione increpitum, *Sbinko*, cognomento *Lepus*, Pragenſis Archiepiſcopus, Cenſuris Eccleſiaſticis conſtringendum eſſe duxit. Eam ob rem Synodum cöegit, libros *Joannis Vvicleffi* publicè concremari juſſit, *Joanni Hus* concionandi munus interdixit, & de his omnibus, quæ in hac Synodo geſſerat, certiorem fecit *Gregorium XII.* ac deindè *Alexandrum V.* Pontificem Maximum, qui ad eumdem Archiepiſcopum Pragenſem reſcripſit, ut auctoritate Apoſtolicâ prohiberet, ne quis *Joannis Vvicleffi* Articulos publicè vel occultè doceret. Adversùs iſtud *Alexandri V.* Diploma inſolenter expoſtulavit *Joannes Hus*, & ad ipſum Romanum Pontificem meliùs conſultum appellavit. Interim, convocare plebem ac docere non deſtitit, vilibuſque homuncionibus permiſit, ut concionandi munus uſurparent, ſacras Litteras in Linguam Vernaculam translatas legerent, cum Sacerdotibus coram plebe temerario auſu diſputarent, & contumelioſas in Pragenſem Archiepiſcopum Cantiunculas componerent & cantarent. Sic *Joannes Hus*, ob deſidiam & inertiam *Vvenceslai*, Bohemię Regis, ampliſſimam unà cum ſuis impunè debacchandi licentiam nactus, Sectam ſuam longè latèque diffundebat, quod ægrè admodùm ferens *Sbinko*, Pragenſis Archiepiſcopus, & nullum adversùs tantum emergens malum in *Vvenceslao* præſidium inveniens, ad *Sigiſmundum* Hungariæ Regem confugit, eum obſecrans, etiam atque etiam obteſtans, ut negligentiam fratris ſui *Vvenceslai*

ceslai emendaret, & periclitanti in Regno Bohemiæ Catholicæ Fidei abjectâ omni cunctatione ſuccurreret. Annuit *Sigiſmundus*, fidemque dedit, ſe propediè̀m Bohemiam petiturum, ut Eccleſiæ Catholicæ rebus conſuleret, & Hæreticos in ordinem redigeret. Sed cùm in dies ejus profectio procraſtinaretur, re infectâ obiit *Sbinko*, Archiepiſcopus Pragenſis, in Bohemia, & in ejus locum ſuffectus eſt *Albicus*, natione Bohemus, arte Medicus, & *fœdiſſimum*, ut teſtatur *Æneas Sylvius* in *Hiſtoria Bohemorum*, *avaritiæ monſtrum*. Inſtar ſiquidem Draconis, adeò ſuis pecuniis, ac theſauris incubabat, ut Cellæ vinariæ claves nemini crederet, animalia viventia dono accepta venderet, nullos, præter abjectam anum, domeſticos ac miniſtros haberet, & aliquandò interrogatus, *ſonorum omnium quem moleſtiùs audiret?* Reſponderit, *ſonum eſſe maxillarum oſſa frangentium*. Profectò (ſubdit jam citatus *Æneas Sylvius*) *idoneus Pontifex*, *qui naſcenti fomentum hæreſi præberet*. Sub hoc nequiſſimo Pragenſi Archiepiſcopo cùm ſuos errores latiùs ſpargeret *Joannes Hus*, Romam à *Joanne XXIII.* Pontifice Maximo venire juſſus eſt, ut ſe judicandum ſiſteret. Renuit illò ire *Joannes Hus*, ſibi malè conſcius, ſuos tamen Procuratores miſit; & in illius gratiam *Vvenceſlaus*, Bohemique nobiles ſcripſerunt, ut Romani itineris peragendi neceſſitate ipſum Pontifex liberaret. At ejuſmodi litteras commendatitias nihil moratus *Joannes XXIII.* cognitionem cauſæ *Joannis Hus* commiſit primùm Cardinali *Columnæ*, & deindè ſelectis aliis Cardinalibus, qui, auditis illius Procuratoribus, ipſum contumaciæ reum

pronuntiaverunt, diriſque omnibus devoverunt. Eâ ſententiâ exaſperatus Joannes *Hus*, adversùs *Joannem XXIII.* furere cœpit, cùmque hic Pontifex contra *Ladislaum*, Apuliæ Regem, Eccleſiaſticæ Ditionis Urbes, oppida, caſtra, & territoria infeſtantem, bellum decreviſſet, plenariâ Indulgentiâ propoſitâ his, qui ad vindicanda Eccleſiæ jura ſumerent arma, *Joannes Hus*, ejuſque ſectarii Sacerdoti Indulgentias in Regno Bohemiæ promulganti publicè obſtrepere auſi ſunt, & Pontificem Maximum appellare *Antichriſtum*, eò quòd contra Chriſtianos Crucem decerneret. Aliquos ex his tumultuantibus Huſſitis è veſtigio Senatus in carcerem rapi juſſit. Populus verò Claſſicum cecinit, captoſque omnes armis dimitti petiit, ſed Oratione Senatûs tandem pacatus, quievit. De ſeditioſis clam ſupplicium ſumptum, quod tamen cùm ex eorum ſanguine extra Prætorii januam defluente Huſſitis innotuiſſet, iterùm occurrens populus, graviùſque tumultuatus interemptorum corpora rapuit, & detulit, clamitans per civitatem: *iſti ſunt Sancti, qui pro Teſtamento Dei corpora ſua tradiderunt*, occiſoſque Martyrum loco habuerunt, ut referunt *Æneas Sylvius* cap.XXVI.*Hiſtoriæ Bohemorum*,Dubravius lib.XXIII. *Hiſtoricæ Bohemicæ*, & *Cochlæus* lib.I. *Hiſtoriæ Huſſitarum*. Quin, *Joannes Hus* ſuos illos, Diabolique Martyres maximis celebrat encomiis in libro *De Eccleſia* cap. XXI. Hæc cùm accepiſſet *Joannes XXIII.* Pontifex Maximus, contra Vvicleffiſtas, & Huſſitas, quorum correctionis nulla ſpes affulgebat, Concilium Generale Conſtantienſe indixit, in quo errores tàm *Vvicleffi*, quàm *Joannis*

annis Hus fuerunt proſcripti, ſicùt operoſiùs oſtendemus in proximo Colloquio, ubi agemus de Conciliis, quæ Sæculo XV. ad profligandas Hæreſes fuerunt celebrata. Hìc dumtaxàt obitèr obſervabo, *Joannem Hus* Conſtantienſi Concilio interfuiſſe, eumque non ſolùm ut pertinacem & incorrigibilem Hæreticum fuiſſe damnatum, ſed etiam Ordine Sacerdotali, cæteriſque Ordinibus ſolemnitèr exauctoratum, & chartaceâ mithrâ redimitum, in qua Dæmones depicti erant, cum hac inſcriptione: *Hæreſiarcha*, Curiæ Sæculari relictum eſſe, ut flammis addiceretur. Sententiam mortis in ſe à Civili Poteſtate latam læto hilarique vultu excepit, dumque ad locum ſupplicii, ſeu ad buſtum à Lictoribus duceretur, ut ſe inſontem perſuadere, ſectatores ſuos in Hæreſi confirmare, & Martyris nomen apud ipſos conſequi poſſet, nonnulla adulterinæ conſtantiæ, & ementitæ pietatis ſigna exhibuit. Quin, & prophetavit, neſciens quid diceret, aſſerens, Cygnum pro Anſere naſciturum (*Hus* enim Bohemis Anſer eſt) *Lutherum* Cygni nomine ſignificans, qui ex ejus cineribus naſciturus erat. Vivus exuſtus eſt *Joannes Hus*, brevique reſolutus in cineres, qui ſtatim in Rhenum fuêre conjecti, ne ab ejus Sectatoribus in Bohemiam delati, ſuperſtitiosè colerentur. Eâ *Joannis Hus* morte, & incendii metu deterritus *Hieronymus Pragenſis*, ejus ſocius, excuſſo veterno, errores *Vvicleffi*; & *Joannis Hus* palàm ejuravit, ſed paulò poſt in Hæreſim relapſus, ad rogum damnatus eſt, non minoribus ſimulatæ pietatis ſignis datis, quàm dederat *Joannes Hus*. De utriuſque Hæretici ſupplicio hæc

ſcribit

ſcribit *Æneas Sylvius* cap.XXVI. Hiſtoriæ Bohemicæ: *pertulerunt ambo conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Ubi ardere cœperunt, Hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philoſophorum tam forti animo mortem pertuliſſe traditur, quàm iſti incendium.* Culti ſunt duo illi Hæretici à ſuis ſequacibus ut Martyres, & peculiari feſto honorati in terris, dùm ipſi in Inferis flammis torti æternis, ſuorum & alienorum ſcelerum pœnas luent ſempiternas.

D. Certè, non miror, quòd Hæretici Huſſitæ peculiari feſto coluerint tanquàm Martyres *Joannem Hus* & *Hieronymum Pragenſem*, duos inſignes Sectæ ſuæ Coriphæos, cùm ipſimet hæretici Calviniſtæ, & Lutherani eoſdem Hæreſiarchas inter ſuos Patriarchas etiamnùm recenſere, illos ceù veritatis teſtes venerari ſoleant, atque ab illis ſuarum falſi nominis Eccleſiarum originem aut ſucceſſiones deducant. Qua in re ridendi potiùs, quàm confutandi ſunt Hæretici Lutherani, & Calviniſtæ, aliique ejuſdem furfuris, qui Eccleſiarum ſuarum, & falſæ doctrinæ non alios Patriarchas invenire poſſunt, quàm peſtilentes quoſdam Hæreſiarchas ſolemni judicio ab univerſali Eccleſia proſcriptos, & cum Fidelium omnium execratione ultricibus flammis addictos.

M. Non ſolùm ridendi, ſed jure merito confutandi ſunt hæretici Lutherani, & Calviniſtæ, dùm in tutandis ſuis erroribus ſibi patronum adſciſcunt *Joannem Hus*, quem tamen certiſſimè conſtat ab impia eorum doctrina longè latèque diſcre-

ſcrepaſſe, & cum Eccleſia Romana circa dogmata Tranſubſtantiationis in Euchariſtia, numerum & efficaciam Sacramentorum, Confeſſionem Sacramentalem, Purgatorium & Orationes pro defunctis, interceſſionem & invocationem Sanctorum, & Sacrarum Imaginum venerationem, perfectè conſenſiſſe. Quod quidem, ne id à me gratis dictum eſſe putes, evidenter demonſtro. Primò, *Joannes Hus*, in Tractatu, quem Conſtantiæ in carcere edidit, *De Sacrameno Corporis & Sanguinis Domini*, disertè profitetur Catholicum Tranſubſtantiationis dogma his verbis, quæ Capite 3. leguntur: *Dixi ulteriùs ſupra, quòd Chriſtus virtute propria & verbis propriis tranſubſtantiat panem in Corpus ſuum, juxtà Canticum Eccleſiæ iſtud*: Verbum Caro panem verum Verbo carnem efficit &c. Idem confirmat in libro *de Sanguine Chriſti*, & in Epiſtola quam ſcripſit *Joannes Hus* ad *Joannem XXIII.* quamque refert *Joannes Przibram*, magnæ quondam inter Hæreticos Huſſitas auctoritatis, ſed poſteà ad Catholicam fidem felicitèr converſus, in libro *De non remanentia panis in Sacramento Altaris*, contra Vvicleffiſtas edito. Prætereà, *Joannes Hus* Confeſſionis Sacramentalis neceſſitatem non negavit, immò eam Sacramenti Pœnitentiæ partem eſſe docuit in libro *De Cœna Domini* cap. v. in Epiſtola ad Magiſtrum *Martinum*, in Reſponſione ad Scriptum Octo Doctorum cap. VIII. in Commentario in Epiſtolam S. *Jacobi*, explicans illa verba Capitis v. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, ſed præcipuè in Tractatu, quem edidit *De Pœnitentia*, ubi hæc habet: *Sunt autem Pœnitentiæ perfectæ, ut dicunt Doctores, tres partes: ſcilicèt Contritio, Confeſſio,*

feſſio , & Satisfactio . Et paucis interjectis , ſubdit: *Secunda pars Pœnitentiæ eſt Confeſſio , quæ eſt coram Deo & coram Sacerdote peccatorum recognitio ; quæ debet eſſe plana & integra ; plana , ut Sacerdos intelligat ; integra , ne confitens aliquod peccatum ſcienter abſcondat . Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non diligetur* . Ibidem ait: *Confitere peccata tua Sacerdoti non tardans* . Tertio , *Joannes Hus* in Commentario in Epiſtolam S. *Jacobi* plura ex Eccleſiæ Catholicæ ſenſu docet , videlicet ſeptem eſſe novæ Legis Samenta, quæ ſuâ virtute efficiunt quod figurant: Tria Sacramenta, ſeu Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, imprimere Characterem, adeòq; iterari haùd poſſe; & Extremam-Unctionem unum eſſe ex ſeptem novę Legis Sacramentis. Quartò, *Joannes Hus* in Sermone *De Exequiis* habito Pragæ in Synodo ad Clerum admittit poſt hanc vitam Purgatorium , in quo *Animæ habentes amorem diſperſùm ad temporalia , licèt amor Chriſti in eis præponderet , habent venialia expurganda* , ibidemque docet, Animas defunctorum in Purgatorio exiſtentium juvari poſſe , *quantùm ad pœnæ mitigationem & accelerationem gloriæ , oblationibus Sacerdotum , aut eleemoſynis charorum , aut precibus Sanctorum , jejunio cognatorum*. Poſtremò, *Joannnes Hus* Sanctorum in Cœlo regnantium invocationem nobis ſalutarem eſſe, eoſque pro nobis apud Deum intercedere apertè profitetur in *Elucidatione Fidei ſuæ* , ubi B. Virginem *Mariam*, tanquàm *advocatam, Mediatricem , & humani generis reparatricem* invocat , multiſque præconiis extollit ; & in libro *De Imaginum Adoratione* , venerationem Imaginibus Sanctorum debitam ultrò agnoſcit his verbis : *Ex quo*

patet ,

patet, quòd quamvis coram Imagine Chriſti, vel alia cujuſcumque Sancti, licitè poſſunt homines genu flectere, orare, offerre, candelas ponere, & ſic faciunt: non tamen in nomine Imaginis, ſed in nomine illius, cujus imago eſt, illa debent facere, ſicut & imago, non propter ſe, ſed propter imaginatum eſt coram hominibus ſculpta, poſita, vel depicta. Hæc Joannis *Hus* Dogmata, quæ cum doctrina Eccleſiæ Romanæ conſentiunt, ſe firmitèr tenere expreſsè declarant Pragenſes Huſſitæ in XXIII. Articulis contra Thaboritas editis, quos Joannes *Cochlæus* lib. V. *Hiſtoriæ Huſſitarum* refert. In primo ſiquidem horumce Articulorum proteſtantur Pragenſes Huſſitæ, ſe credere & tenere, *quòd Chriſtus verus Deus & verus homo eſt in Sacramento viſibili Euchariſtiæ ſecundùm ſuam propriam naturam & ſubſtantiâ corpoream, & ſecundum ejus naturalem eſſentiam, eamdem penitùs in numero, quam ſumpſit de Virgine Maria, & ſecundùm quam reſidet in cælo ad dexteram Patris, cui in eodem Sacramento honor, cultu, genuflexione, adoratione, luminum accenſione, & aliarum venerationum exhibitione debet deferri.* In aliis verò ſequentibus Articulis Pragenſes Huſſitæ conſtantèr profitentur, ſe admittere ſeptem novæ legis Sacramenta, Purgatorium, Orationem pro Defunctis, Ritum, & ordinem, qui obſervatur in Miſſæ Sacrificio, in Veſperis, & aliis Officiis Divinis; Jejunia Eccleſiæ, Feſtivitates Sanctorum, Horas Canonicas à Clericis perſolvendas, & obedientiam, quæ Epiſcopis præſtari debet. Quæ cùm ita ſint, facilè concludere potes, quàm perperàm Lutherani & Calviniſtę aſſerant, ſe cum *Joanne Hus*, quem ceu veritatis teſtem venerantur, & cum

ejus

ejus Diſcipulis convenire; quàm falsò ſuarum Pſeudo-Eccleſiarum à *Joanne Hus*, ejuſque Diſcipulis Origines aut ſucceſſiones deducant, quibuſcum in præcipuis Fidei ſuæ Dogmatibus nullatenùs conſentiunt: quàm deniquè ab Eccleſiæ Romanæ communione injuſtè receſſerint propter hæc ipſa doctrinæ Capita, quæ *Joannes Hus*, quem Chriſti Martyrem, & donis Spiritus Sancti plenum appellare non verentur, ejuſque Diſcipuli, dicti Huſſitę, conſtanter ac perſeveranter propugnarunt. Plura in hanc rem legeſis apud illuſtriſſimum Dominum *Jacobum Benignum Boſſuet*, Epiſcopum Meldenſem, Lib. 2. Tomi 2. *Hiſtoriæ Variationum Eccleſiarum Proteſtantium* à pagin. 163. uſque ad pag. 193. Editionis Leodienſis anni MDCCX.

D. Quinam ſunt iſti *Thaboritæ*, contra quos Pragenſes Huſſitæ Articulos viginti tres condiderunt?

M. Poſtquàm Joannes Hus, in ſuis erroribus pertinax, vivus fuiſſet exuſtus, ejus Diſcipuli in duas præcipuè Sectas diviſi ſunt, quarum prima fuit *Thaboritarum*, qui ità dicti ſunt à loco quodam naturâ munitiſſimo, quem ad Luſinitium amnem Joannes Ziska, Huſſitarum Dux, armis occupavit, mænibus cinxit, eique *Thabor* nomen indidit. Hi poſt *Huſſi* mortem cruentum Catholicis bellum indixerunt, Templa & Monaſteria diripuerunt, incenderunt, ſolo æquarunt, Viros Eccleſiaſticos, & Monachos ſummâ crudelitate contrucidarunt, fruſtrà ſe ſe eorum inſultibus opponente *Sigiſmundo*, Imperatore & Bohemiæ Rege, quem pro Catholicis ſtrenuè pugnantem Joannes Ziska, Huſſitarum Dux, multis præliis laceſſivit, & ad pacem com-

compulit indecoram. Hæc Thaboritarum Secta, mortuo *Ziſka*, eorum Duce, in duas factiones diviſa eſt. Alii vetus Thaboritarum nomen retinentes, *Procopium Magnum* ſibi Ducem præfecerunt. Alii nullum inveniri poſſe dictitantes *Ziſkæ* parem, ſeſe *Orphanos* appellavere. Altera præcipua Huſſitarum Secta fuit *Callixtinorum*, qui ita ſunt appellati, quòd, miſſis aliis *Wicleffi*, & *Huſſi* erroribus quos acritèr Thaboritæ propugnabant, aſſererent, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe populo fideli omninò neceſſariam, ac pro ſolo Calice obtinendo ſolliciti eſſent, illum paſſim in parietibus, in vexillis, in templis depingentes, undè orta occaſio Poëtarum uni de illis dicendi:

Tot pingit Calices Bohèmorum terra per Urbes,
Ut credas Bacchi Numina ſola coli.

Hi Huſſitæ, dicti *Callixtini*, damnabant errores, quos alii Huſſitæ, dicti *Thaboritæ*, tuebantur, ut videre eſt in viginti tribus illis Articulis, quos ad explicandam fidem ſuam contra Thaboritas ediderunt, & ſolùm ab Eccleſia Romana diſſentiebant in quatuor Articulis, quorum primus erat de Communione divinæ Euchariſtiæ, quam ſub utraque ſpecie, panis videlicèt, & vini, his omnibus, qui ſalvi eſſe velint, neceſſariò ſumendam affirmabant. Alter erat de Civili Dominio, quod Clericis Divinâ Lege interdictum dicebant. Tertius erat de Prædicatione Verbi Dei, quam liberam, omnibuſque indiſcriminatim permiſſam arbitrabantur. Poſtremus erat de publicis delictis, quæ nullâ ratione toleranda putabant, etiam majoris mali vitandi gratiâ. Hos quatuor Articulos *Callixtini*, ad Eccleſiæ unitatem redire volentes, propoſuerunt,

runt Epiſcopis in Concilio Baſileenſi congregatis, qui eis poteſtatem fecerunt ſub utraque ſpecie communicandi, eâ tamen lege, ut alitèr agentes non damnarent, & Communionem ſub utraque ſpecie omnibus promiſcuè fidelibus à Chriſto Domino præceptam eſſe non affererent. Sic pax confecta eſt, editumque publicum Inſtrumentum, dictum *Compactata*. Hoc tamen fœdus recuſarunt alii Huſſitæ, dicti *Thaboritæ*, & *Orphani*. Immò, Huſſitæ, dicti *Callixtini*, fœdus, quod in Concilio Baſileenſi inierant, citò abruperunt, quippè qui ad ſuum ingenium redeuntes, Communionem ſub utraque ſpecie omnibus adeò neceſſariam eſſe pertenderunt, ut pueris recens Baptizatis Calicem porrigerent, invitos quoque & non poſtulantes ad Calicem adigerent, & his, qui illum ſuſcipere renuebant, Sacramenta Eccleſiæ, Sepulturam, publicoſque honores per injuriam adimerent. Illuſtriſſimus D. *Boſſuet*, Epiſcopus Meldenſis, oſtendit loco ſuperiùs à me laudato, Huſſitas, dictos *Callixtinos*, excepto Articulo de neceſſitate Communionis ſub utraque ſpecie, in aliis Fidei doctrinæ Capitibus cum Eccleſia Romana conſenſiſſe. Quam conſenſionem cùm nonnulli ex illis ægerrimè ferrent, contra Eccleſiam Romanam, ſub ſpecioſo novæ reformationis obtentu, latrare cœperunt, Summi Pontificis authoritatem ac Primatum negarunt, Miſſæ Sacrificium, tanquàm ſacrilegum ritum, repudiarunt, Tranſubſtantiationem, Purgatorium, preces pro Defunctis, cultum & invocationem Sanctorum exploſerunt, Baptiſmum extra ſuam Sectam collatum, nullum & irritum eſſe dixerunt, unde eos, qui ſuæ Sectæ nomen dare vole-

volebant, denuò baptizabant. Hi à Callixtinorum ſocietate ſeſe omninò ſeparantes, novam anno MCCCCLXVII. Sectam conflarunt, dictique ſunt *Fratres Bohemi*, qui *Joannis Hus* diſcipulos ſe eſſe gloriabantur, quique poſteà amplexi ſunt errores Lutheranorum, & Zuinglianorum, quibuſcum anno MDLXX. in Concilio Sandomirenſi in Polonia fœdus ac ſocietatem inierunt.

D. Necdùm, ut candidè fatear, capio, cùr *Joannes Hus*, qui, ut mox obſervaſti, Tranſubſtantiationem, ut fidei dogma, admittebat, *Joannem Wicleffum*, qui Tranſubſtantiationem apertè inficiatus eſt, plenis buccis laudaverit, & habuerit tanquàm Martyrem, & veritatis Magiſtrum? Cùr etiam *Callixtini*, Diſcipuli *Joannis Hus*, qui, ſicut itidèm obſervaſti, excepto Articulo de neceſſitate Communionis ſub utraque ſpecie, in aliis fidei dogmatibus cum Eccleſia Romana conſentiebant, eumdem *Wicleffum*, cujus impiam doctrinam improbabant, velut Martyrem, & eximium Evangelii præconem, ſummâ veneratione proſequerentur? Cùr denique Fratres Bohemi, qui Miſſam, ut ſacrilegum ritum, rejiciebant, & Tranſubſtantiationem negabant, gloriarentur, ſe Ducem ac Magiſtrum habere *Joannem Hus*, eumque ceù Martyrem, & Bohemiæ Apoſtolum venerarentur; quem tamen certiſſimè conſtat Tranſubſtantiationis dogmatis aſſertorem fuiſſe, eumque Miſſam ad extremam uſque vitæ ſuæ periodum, ut fit in Eccleſia Romana, celebraſſe, ſicut ex coævis Scriptoribus, ex luculentis teſtimoniis primorum diſcipulorum *Joannis Hus*, & ex libris ipſius, qui adhùc extant, manifeſtò probat ipſemet *La Roque*,

Pſeudo-Miniſter Calvinianus, in ſua *Hiſtoria Euchariſtiæ*, quam nuperrimè legebam, Part. 2. Cap. 19. Pag. 484. Hunc, ſi placet, nodum diſſolve.

M. Antilogias, quibus *Joannes Hus*, ejuſque Sectarii ſe ſe implicabant, morari haùd debes, cùm hic ſit proprius Hæreticorum caracter, ac genius, ſibi nunquam conſtare, & unâ manu deſtruere, quod alterâ adſtruunt. Putat tamen illuſtriſſimus Dominus *Boſſuet*, *Joannem Huſſum*, ejuſque diſcipulos, dictos *Callixtinos*, quamvis à *Joanne Wicleffo* in dogmate de Tranſubſtantiatione recederent, eum nihiloſeciùs ut Martyrem coluiſſe, eò quòd ad illum excuſandum dictitarent, omnia, quæ *Joannes Wicleffus* contra hoc dogma de Tranſubſtantiatione dixerat, aut ſcripſerat, non aſſertivè, ſed diſputationis ergò, Scholaſticorum more, ab eo dicta ſcriptave fuiſſe. Similiter, Fratres Bohemi, qui Miſſam, Tranſubſtantiationem, aliaque Fidei dogmata, quæ conſtantèr *Joannes Hus* profeſſus fuerat, apertè negabant; eum tamen ceu Magiſtrum & Martyrem venerabantur, quia dicebant, *Joannem Huſſum* cœpiſſe dumtaxàt Eccleſiæ reformationem, nec ullum eſſe dubium, quin ea Fidei dogmata, quæ ipſi negabant, improbaturus fuiſſet, niſi ad rogum, antequàm ſuſceptam Eccleſiæ reformationem perficere potuiſſet, damnatus fuiſſet. Sic Fratres Bohemi, Sacrificii Miſſæ, & Tranſubſtantiationis dogmatis oſores, colebant tanquam Magiſtrum & Martyrem *Joannem Huſſum*, quem tamen ultrò fatebantur Sacrificii Miſſæ & Tranſubſtantiationis toto vitæ ſuæ tempore defenſorem fuiſſe. Verùm, mittamus illos Hæreticos, qui per ſummam inſaniam *Joannem Huſſum*, propugnatorem

torem dogmatum, quæ ipſimet deteſtabantur, Sanctorum Martyrum Faſtis adſcribebant.

D. De Vvicleffiſtarum, & Huſſitarum Hæreſibus ſatis hactenùs dixiſti. Alias nunc percurramus Hæreſes, quæ Sæculum Eccleſiæ decimum quintum infeſtarunt.

M. Inter Hæreſes, quæ Sæculo XV. emerſerunt, duæ ſpurciſſimæ fuerunt, quas hìc indicaſſe adundè ſufficiet. Primam Hæreſim, dictam *Adamitarum*, de qua egimus in Colloquio quarto in Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ Sæculorum exſuſcitavit circa annum MCCCCXX. quidam *Pikardus* nomine, qui ex Gallia Belgica, tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam cùm penetraſſet, non parvam mulierum, virórumque plebem præſtigiis deluſit, ſuoſque ſectarios, quos nudos incedere juſſit, *Adamitas* vocavit, & occupatâ Inſulâ quâdam amne Luſinico cinctâ, Filium Dei ſe dixit, & *Adam* nuncupavit. Connubia his ſectariis promiſcua erant, dùmque aliquis inter illos libidine incenſus in mulierem exardeſcebat, eam manu prehendebat, & Sectæ Principem adiens: *in hanc*, inquiebat, *ſpiritus meus concaluit*. Cui reſpondebat ille: *Ite, creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Flagitioſam ac propudioſam illorum Sectariorum vitam exhorruit *Ziſka*, Dux quamvis ſceleratus Huſſitarum, qui Thaboritæ dicebantur, ductoque in eos exercitu, & expugnatâ Inſulâ, quam occupaverant, Adamitas omnes gladio delevit, duobus tantùm reſervatis, ex quibus illius Sectæ ſuperſtitionem cognoſceret. Multas ejuſdem impuræ Sectæ mulieres ultricibus flammis addixit

Ziſka, quæ, ut refert *Æneas Sylvius* cap.41. *Hiſtoriæ Bohemicæ*; in ſua malitia & obſtinatione perſeverantes, metu ſupplicii deterritæ haud fuerunt, ſed potiùs *ridentes*, *cantanteſque flammarum incendia pertulere*.

Alteram Sectam non minùs turpem & obſcænam Sæculo XV. conflarunt *Guillelmus de Hilderniſſen* Sacerdos Monachus, & *Ægidius Cantor*, Laicus, ambo ex Belgio oriundi. Aſſerebat primò *Ægidius*, ſe eſſe Salvatorem hominum, qui per ipſum viſuri Chriſtum eſſent, ſicut per Chriſtum, Patrem. Secundò, Diabolum, omneſque homines ſalutem æternam tandem conſecuturos. Tertiò, Actus carnalis copulæ, delectationes Paradiſi vocabant ambo illi ſpurciſſimi Hæretici, & ſine peccato exerceri docebant. Quartò, Omnes actus nefarios ad divinam referebant voluntatem. Quem errorem noſtris temporibus renovarunt Quietiſtæ. Quintò, Tempus Veteris Legis, tempus fuiſſe Patris ajebant, Tempus novæ Legis Filio; tempus proximum, quod *Eliæ* tempus appellabant, Spiritui Sancto attribuebant. Sextò, Orationes, Jejunia, Eccleſiæ præcepta, Caſtitatem, & Continentiam averſabantur, nullamque in mundo Virginem eſſe effutiebant, prætèr unam, cui *Sapientiæ* nomen. Circà Purgatorium quoque & Infernum contraria Eccleſiæ dogmata propugnabant. Præter illos craſſiſſimos errores, alios ſequentes docuit *Guillelmus de Hilderniſſen*. Affirmabat ſiquidem primò, quidquid agit homo, illi non cedere ad ſalutem vel damnationem; quòd Paſſio Chriſti ſatisfaceret pro omnibus. Secundò, Aſſerebat, hominem exteriorem non maculare inte-

interiorem. Quem errorem Quietiſtæ noſtri temporis adoptarunt. Tertiò ajebat, Deum eſſe ubique in lapide, in membris humanis, in Inferno, ſicut in Sacramento Altaris. Quartò, Negabat Reſurrectionem mortuorum, eò quòd diceret, eam in Chriſto factam eſſe, cujus membra ſumus, cùm Caput ſine membris non ſurrexerit. Hos, alioſque non minus abſurdos errores *Guillelmus de Hilderniſſen* ejuravit coràm *Petro de Alliaco* Epiſcopo Cameracenſi, & Priore FF. Prædicatorum Conventus S. *Quintini* in Picardia, Hæreticæ pravitatis Inquiſitore, die XII. menſis Junii anni MCCCCXII. illoſque deindè Cameraci, & Bruxellis publicè revocavit. Infeliciorem ſortem nactus eſt *Hermanus Ruiſſvich*, alter Sæculi XV. hæreticus, natione Batavus, qui in multos errores olim lapſus, palinodiâ cantatâ, perpetuo carcere damnatus fuerat anno MCCCCXCIX. ſed indè evadens, & in priorem veſaniam relapſus, pejores quàm antehàc blaſphemias evomuit, ob quas Hagæ tandem captus ab Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, traditus eſt ſæculari Magiſtratui, ac vivus exuſtus anno MDXII. Hic autem execrandos iſtos ſparſit errores. Primò, aſſerebat, *Angelos à Deo creatos non eſſe*. Secundò, *Animam ſimul cum corpore interire*. Tertiò, *nullum eſſe Infernum*. Quartò, *materiam, ex qua elementa facta ſunt, non eſſe à Deo factam, ſed ipſi coæternam*. Quintò, *Chriſtum fuiſſe ſtultum, & ſimplicem, phantaſticum, ac ſeductorem hominum; damnaſſe univerſum mundum, & neminem ſalvaſſe*. Sextò, *quæcumque Chriſtus geſſit, humano generi, & rectæ rationi eſſe contraria, proindèque ipſum Omnipotentis Dei*

Filium non eſſe. Septimò, *Moſem à Deo modo viſibili legem non accepiſſe, nec facie ad faciem cum eo locutum*. Octavò, *Fidem noſtram fabuloſam eſſe, fatuam Scripturam, ficta Biblia, delirum Evangelium*. Nonò, *Evangelium falſum eſſe, quòd qui potuit creare mundum ſine Incarnatione, eumdem quoque ſalvare ſine Incarnatione potuerit*. Has deteſtabiles blaphemias protuliſſe non contentus ſceleſtus ille hæreticus, voluit etiam moriens certum inſaniæ ſuæ præbere argumentum. Ad rogum quippè damnatus, & ad Palum jam alligatus, læto hilarique vultu ad populum converſus, ait, *ſe Chriſtianum natum eſſe, ſed jam à Chriſtianiſmo deſciviſſe, quòd Chriſtianos amentiſſimos judicaret*.

D. Hujus delirantis Hæretici, ſuoque pede alios metientis blaſphemiæ, non alio quàm ignis ſupplicio expiari debebant. Sed iſtos infames, & omnium ſcelerum, libidinumque maculis notatos hæreticos relinquamus, & errores aliorum Hæreticorum, qui Sæculo XV. prodierunt, percurramus.

M. Silentio hìc prætermittere haùd poſſum aliam turpiſſimam, quæ Sæculum XV. infeſtavit, Hæreſim *Foſſariorum*, qui ita fuerunt nuncupati, quòd in foſſis & ſpeluncis nocte convenirent, & promiſcuâ libidine, more brutorum, ſe commiſcerent. Hujus propudioſæ Hæreſis, quæ in Bohemia præſertim graſſata eſt, meminit *Trithemius* in Chronico-Spanheimenſi his verbis: *His temporibus multiplicati fuerunt Hæretici in Bohemia, qui vulgò Foſſarii nominantur, propterea quòd in foſſis & occultis ſpeluncis nocte conveniunt, turpitudinem ſine differentia perſonarum, more beſtiarum, exercentes:*

qui

qui Eccleſiam Dei & Miniſtros ejus contemnunt, Sacramenta irrident, infinitos ſcaturientes errores. Creſcit hoc nefandiſſimum hominum genus, & mirum in modum quotidiè augetur, in tantum, quòd numerus eorum major novemdecim millibus fuit inventus. Sed & nobiles, atque potentes quamplures in Regno Bohemiæ ad eos turpiſſimos Hæreticos declinarunt, è quibus unus, Chriſtophorus nomine, Vir nobilis & dives, quadraginta florenorum millia inter eoſdem Hæreticos pro eleemoſyna diſtribuens, unus ex eis factus eſt. Poſteà, deſcribit idem Author ſuperſtitiones & execrationes, quibus illi Hæretici eos initiabant, qui nefariæ illorum Sectæ nomen dabant: *Quicumque*, inquit, *in illam ſecretam intromitti ſocietatem exoptat, primùm aliquo celebrante Catholico Sacerdote Eccleſiam ingreditur, & ſtans in angulo, vel ſecreto aliquo loco per totam Miſſam verba quædam contumelioſa (quæ nos propter infirmos exprimere non decet) contra Sacramenta loquitur ſub ſilentio, cum intentione ſibi à docente propoſita, quibus poſt finem Miſſæ completis, Muſca magni corporis advolat, & pennarum ſtrepitu ſignificans, ſe adeſſe præſentem, oris introitum petit, at verò mox, ut ille os ſuum aperuit, ingreditur illa, & homo ſpiritu diabolico impletur, efficiturque in ea Secta doctus mirabiliter aſtutus. Verùm, ipſi Muſcam illam, non Dæmonem, ſed Spiritum Sanctum eſſe confirmant, qui in eos, ut veros Apoſtolorum imitatores, ſicut in die Pentecoſtes, in illos quondàm deſcendens, eruditos faciat & conſtantes; & reverà non conſtantes, ſed pertinaces fiunt, nec ullis tormentorum generibus à ſuis erroribus ad rectam fidem reduci unquam potuerunt &c.* Sic Diabolus, infenſiſſimus generis humani

hoſtis, miſeram illam gentem deludebat, decipiebat, & in ea turpiſſima Hæreſi adeò confirmabat, ut nec diſputationibus nec ſuppliciis ad Catholicam fidem revocari poſſet. Sed, miſſis illis impuris & obſtinatis Hæreticis, breviter nunc expendamus errores, quos nonnulli in Galliis Sæculo Eccleſiæ decimo quinto procuderunt, quoſque Sacra Facultas Pariſienſis Cenſuris confixit.

D. Percenſe, quæſo, juxtà ordinem Chronologicum, illos errores in Galliis Sæculo Eccleſiæ decimo quinto ſparſos, unà cum Cenſuris, quibus à Sacra Facultate Pariſienſi fuerunt proſcripti.

M. Pluribus erroneis propoſitionibus, quas Sæculo XV. confixit Sacra Facultas Pariſienſis, occaſionem dedit acerrima illa æmulatio, quæ extitit Parochos, ſeu Presbyteros Sæculares, inter & Religioſos Mendicantes. Parochi ſiquidem, ſuæ juriſdictionis retinendæ tenaciſſimi, Religioſis Mēdicantibus negotium faceſſebant, & ne juribus ac privilegiis, quæ ipſis Romani Pontifices conceſſerant, fruerentur, omnem conatum & induſtriam adhibebant. Versâ vice, Religioſi Mendicantes pro defenſione jurium ac Privilegiorum ſuorum, ſtrenuè decertantes, Parochorum jura impetebant, eorumque juriſdictionem pro viribus elevabant. Inter illos, F. *Joannes de Gorello*, Ordinis FF. Minorum, anno MCCCCVIII. in Actu, ut vocant, Veſperiarum, quem in Academia Pariſienſi propugnavit, has quinque propoſitiones tuendas ſuſcepit. Primò, *quod Sacramentum Pœnitentiæ nihil agit in habente gratiam virtute Sacramenti, quia Sacramentum Pœnitentiæ non reſpicit prin-*

principalitèr, niſi; expulſionem culpæ. 2. *Quòd debitè confeſſus non poteſt obligari, ut iterùm confiteatur eadem peccata.* 3. *Quòd Curatis non competit, ut tales ſunt, prædicare, confeſſare, extremam Unctionem dare, Sepulturæ dare, Decimam recipere.* 4. *Fratribus, ſeu Religioſis Mendicantibus competit principaliùs, vel eſſentialiùs prædicare, Confeſſiones audire, quàm Curatis.* 5. *Quòd Curatis habentibus ſufficienter aliundè, non licet recipere Decimas ad uſum proprium, immò ſacrilegium committerent.* Has quinque Propoſitiones damnavit Sacra Facultas Pariſienſis die 2. menſis Januarii an. MCCCCVIII. coegitque prædictum F. Joannem *de Gorello* ad Palinodiam decantandam, ut videre eſt apud *Egasſium Bulæum* Tomo V. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis* ad annum MCCCCVIII. pag. 189. 190. & 191. Nonnulli alii Religioſi Mendicantes *Joannis de Gorello* veſtigiis inſiſtentes, atque Parochorum Jura & Hierarchiam Eccleſiaſticam labefactare molientes, ab eadem Sacra Facultate Pariſienſi fuerunt damnati; videlicet *Joannes Sarrazin*, Ord. FF. Prædicatorum, anno MCCCCXXX. *Nicolaus Quadrigarius*, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, anno MCCCCXLII. *Joannes Bartholomæus*, Ordinis FF. Minorum, anno MCCCCLI. *Joannes Meunier*, Ordinis FF. Prædicatorum anno MCCCCLXX. *Joannes Angeli*, Ordinis FF. Minorum, anno MCCCCLXXXIII. Concilium etiam Baſileenſe damnavit ſeptem propoſitiones, quas quidam ex Ordinibus Mendicantium Religioſi homines in Taurinenſi præſertim & Aſtenſi Diœceſibus anno MCCCCXLIII. docuerant ac prædicarant, quarum prima his verbis concepta erat: *Parochiani non tenentur de jure Dominicis diebus*

diebus & ſolemnibus Miſſas in propriis Eccleſiis Parochialibus audire, ſed ubi pro ſua devotione maluerint, prætermiſſis ſuis Parochiis, neque hæc libertas ipſis adimi poteſt à Synodalibus Conſtitutionibus. Secunda: *Parochiani ſuis Curatis illis diebus non tenentur ad oblationem faciendam, ſed in voluntate dantis eſt cui velit, oblationem facere*. Tertia: *Obnoxius quavis cauſa ut Miſſas celebrari curet pro vivis, & defunctis, non ſatisfacit debito ſuo ſi per Curatum Sacerdotem id fieri curet, quoniam ratione Beneficii ad id eſt obligatus*. Quarta: *Decimarum ſolutio, etſi de præcepto ſit, non tamen de præcepto eſt cui ſit ſolvenda: Liberum igitur eſt omnibus, cui velint, eas ſolvere, vel in opera pietatis pro arbitrio impendere*. Quinta: *Morientes in habitu & Profeſſione Ordinis Minorum, ultrà annum pœnas Purgatorii non patiuntur: quoniam B. Franciſcus ex divino Privilegio quotannis ad Purgatorium deſcendit, Profeſſoreſque omnes ſui Ordinis ad Cœlum ſecum deducit*. Sexta: *Fratres Mendicantes, etiam non præſentati Ordinariis, omnium Confeſſiones audire poſſunt, & qui apud eos ſunt confeſſi, non tenentur etiam ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, nec petere confitendi veniam*. Poſtrema: *Epiſcopi Diœceſani, etiam in ſuis Synodis, non poſſunt ſibi reſervare abſolutiones aliquorum criminum, præter caſus in Jure expreſſos*. Has Propoſitiones ut falſas, erroneas, ſcandaloſas, & Sacræ Hierarchiæ perturbatrices proſcripſit Synodus Baſileenſis Decreto edito pridiè Idus Februarii anni MCCCCXLIV. ſicut refert *Auguſtinus Patricius* in Hiſtoria Conciliorum Baſileenſis & Florentini Cap. CXXXVII. His erroribus occaſionem, ut mox diximus, dedit ea, quæ Sæculo XV. inter

inter Presbyteros Sæculares, ſeu Parochos, & Religioſos Mendicantes ferbuit æmulatio, quam ut omninò tolleret *Sixtus IV.* Pontifex Maximus, & concordiam Religioſorum cum Clero ſtabiliret, Diploma Pontificium anno MCCCCLXXVIII. ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum, dedit, cujus hic tenor eſt: *Parochiani Sacerdotes de cætero non dicant, à Mendicantibus hæreſes proceſſiſſe, cùm in veritate fides noſtra ſit illuminata, & Eccleſia exaltata per eoſdem, & præſertim per Ordines Prædicatorum, & Minorum, ut jura teſtantur. Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus feſtivis, & Dominicis, cùm jure ſit cautum, illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent, quodque etiam nec Fratres, nec Curati inducant aliquo modo Laicos ad eligendam ſepulturam apud eos, & benè caveant propter pœnas, quas imponunt Canones, cum ſit liberum. Etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd Parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus, ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti; Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quominùs ſecundùm juris communis, & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, Confeſſiones audire, & pœnitentias injungere valeant. Etiam de cætero inter ipſos Fratres Mendicantes, & Curatos, quoad effectum prædicandi, Horas cantandi, & campanas pulſandi, ſervetur conſuetudo antiqua....... Etiam ipſi Fratres in ſermonibus non detrahant Prælatis, & Rectoribus Parochia-*

chialium Eccleſiarum, nec populos à ſuarum Eccleſiarum Parochialium, frequentia & acceſſu abſtrahant, ſive retrahant quoquo modo. Utinam! huic Pontificio Diplomati, quod ad tollendum rixarum inter Miniſtros Altaris fomentum ſapientiſſimè editum eſt, parêrent omnes tàm Religioſi, quàm Preſbyteri Parochiales, & punirentur illi, qui etiamnùm rixas fovent, eis fovendis calamum acuunt, veteres Ordinum Religioſorum diſcordias novis quotidiè libellis, & hiſtoriis refricant & exaſperant, Regularium Privilegia à Sancta Sede conceſſa, & non revocata, tanquàm contraria Eccleſiaſticæ Hierarchiæ impugnant, quodque gravius eſt, in vulgus ſpargunt propoſitiones ab Alexandro VIII. proſcriptas, & his verbis conceptas: *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua Pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis*. Sed, miſsâ illâ Parochos inter & Religioſos Mendicantes invidiosâ lite, quæ enatis hinc indè erroribus occaſionem dedit, alios percurramus errores, quos Sæculo XV. damnavit ſacra Pariſienſis Facultas. Anno MCCCCLXXXVI. damnavit Facultas Pariſienſis die x. Aprilis duodecim propoſitiones *Joannis Marchand*, Minoritæ Byzuntini, qui inter cæteras alias ineptias aſſerebat, locum, è quo *Lucifer*, ob ſuperbiam, dejectus eſt, Sancto *Franciſco* fuiſſe præparatum, & ab illo, in præmium ejus humilitatis, quâ omnes alios Sanctos ſuperavit, eſſe occupatum: Sanctum *Franciſcum* eſſe alterum Chriſtum, alterum

rum Filium Dei, ejus conceptionem per Angelum matri ipſius fuiſſe prædictam, non ſecùs ac Chriſti Domini conceptio fuit B. *Mariæ* Virgini per Angelum nunciata: S. *Franciſcum* quotannis in Purgatorium deſcendere, indèque omnes ſui Ordinis Profeſſores eruere & in Cælum deducere, non ſecùs ac Chriſtus Dominus aſcendens in Cælum Patriarcharum animas è Limbo ereptas ſecum perduxit. Has, & ſimiles ineptias, duodecim propoſitionibus cõtentas, damnavit Pariſienſis Facultas, quæ etiam eodem anno, ſeu die ſextâ Junii anni MCCCCLXXXVI. proſcripſit novem propoſitiones *Joannis Lallier*, ejuſdem Facultatis Pariſienſis Theologi Licentiati, qui negabat Romani Pontificis Primatum, poteſtatem & juriſdictionem Epiſcoporum, quibus ſimplices Presbyteros æquabat, cœlibatum Sacerdotum, Canonizationem Sanctorum, præceptum jejunii tempore Quadrageſimali obſervandi, & perpetuitatem Eccleſiæ Romanæ, quam, à tempore *Silveſtri* Romani Pontificis, non Eccleſiam *Jeſu Chriſti*, ſed *Cæſaris*, appellari debere, impiè effutiebat. His erroribus addebat *Joannes Lallier*, plus fidei tribuendum non eſſe Vitis Sanctorum, quàm Chronicis Regum Franciæ; & potiùs credendum eſſe, Sanctum *Franciſcum* nunc cum *Lucifero* pœnis Inferni eſſe addictum, quàm eum nunc in Cœlis occupare locum, à quo *Lucifer* poſt ſuum lapſum ad Inferos fuit præcipitatus. Alias Cenſuras, quas Sæculo XV. tulit Sacra Facultas Pariſienſis contra Aſtrologiam judiciariam, contra Orationem ſuperſtitioſam adversùs Peſtem, & contra quaſdam propoſitiones de Incarnatione, refert *Egaſſius Bulæus*

Tomo

Tomo v. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, ubi eas, ſi tibi per otium liceat, legere poteris. Hic dumtaxat velim obſerves, Sacram Facultatem Pariſienſem ſub finem Sæculi XV. ſeu anno MCCCCXCVII. Statutum edidiſſe, quo vetuit, ne quis deinceps publicè ſuſtineret, *Mariam* Virginem fuiſſe conceptam in peccato Originali, ſancivitque, neminem in poſterum in ſinum Academiæ, & præcipuè in Ordinem Theologorum aſſumptum iri, qui non juraſſet, ſe immaculatam B. *Mariæ* Virginis Conceptionem propugnaturum, ſicut, poſt *Trithemium* in Chronico Spanheimenſi, refert *Egaſſius Bulæus* Tomo v. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis ad hunc annum MCCCCXCVII. Pag. 815. Ex quo, ut obitèr dicam, facilè refellitur *Lucas Wadinghus*, qui in Annalibus FF. Minorum aſſerit, *Joannem Scotum* Minoritam, qui Sæculo XIV. floruit, ſuis diſputationibus pellexiſſe Univerſitatem Pariſienſem ad condendum illud Decretum, quo cavit, ne ad ullos Gradus Scholaſticos admitteretur, qui priùs non juraſſet, ſe defenſurum Beatam Virginem Mariam à primigenia Protoparentis labe fuiſſe prorſus immunem. In hac, inquam, narratione *Lucam Wadinghum* rem acu non tetigiſſe, & conditi illius decreti tempus non rectè indicaſſe, facilè evincitur. Primò, quia mox laudati *Trithemius*, & *Egaſſius Bulæus* hoc Sacræ Facultatis Pariſienſis Decretum de propugnanda opinione Conceptionis immaculatæ *Mariæ* Virginis referunt ad annum MCCCCXCVII. ac ſubinde apertè innuunt, illud longè poſt *Joannem Scotum* fuiſſe publicatum, cùm *Joannes Scotus* ex hac vita migrarit anno MCCCVIII. Præterea, hoc De-

cretum Facultatis Pariſienſis de tenendâ ſententiâ Conceptionis Immaculatæ *Mariæ* Virginis editum dumtaxat fuit poſt Concilium Baſileenſe, quod celebratum fuit anno MCCCCXXXI. In eo ſiquidem Decreto, ut videre eſt apud *Egaſſium Bulæum* loco jam citato, Doctores Facultatis Pariſienſis hæc habent: *Quæ ſententia* (ſeu de Conceptione *Mariæ* Virginis) *paucos poſt annos in Sacro Baſileenſi plenario Concilio poſt longam ejus quæſtionis diſputationem, graviſſimamque deliberationem, Spiritu Sancto inſpirante placuit, ut eam tandem doctrinam, quæ Beatiſſimam Dei Genitricem Mariam, cùm conciperetur, ab omni prorsùs peccati originalis labe, ſpeciali ſingularique Dei gratia fuiſſe liberam aſſeruerit & docuerit, tanquam piam, Eccleſiaſtico cultui, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ conſonam, ab omnibus Catholicis approbandam, amplectendam, & tenendam definierit &c.* Ex quibus verbis Sole clariùs patet, hoc Sacræ Facultatis Pariſienſis Decretum de tenendâ opinione immaculatæ Conceptionis *Mariæ* Virginis fuiſſe editum poſt celebrationem Concilii Baſileenſis, adeòque poſt obitum *Joannis Scoti*, cùm Baſileenſe Concilium, ut mox obſervavimus indictum ſit anno MCCCCXXXI. & *Joannes Scotus* vitâ functus ſit anno MCCCVIII. Tertiò, ſi Facultas Pariſienſis jam Sæculo XIV. alumnos ſuos ad Beatiſſimæ Virginis Immaculatam Conceptionem propugnandam obſtrinxiſſet, omni procul dubio *Petrus de Alliaco* in Tractatu edito contra *Joannem Monteſonum*, Dominicanum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem Theologum, cujus quatuordecim propoſitiones contra opinionem de Immaculata Conce-

ceptione Virginis *Mariæ* damnavit Sacra Facultas Pariſienſis, abſque dubio, inquam, *Petrus de Alliaco* in hoc Tractatu objiceiſſet *Monteſono* ſolemnis violationem Juramenti, quo Academia Pariſienſis ſuos alumnos ad piam opinionem de Immaculata Dei-paræ Virginis Conceptione propugnandam adſtrinxiſſet. At ne ſemel quidem innuit *Petrus de Alliaco*, aliquod Sacræ Facultatis Pariſienſis Decretum, aut Juramentum editum, aut præſtitum fuiſſe, immò quæſtionem hanc in utramque partem eâ tempeſtate in Academia Pariſienſi probabilitèr ventilatam fuiſſe apertè ſignificat. Id etiam evidentèr ſupponit Facultas Pariſienſis in ſua Cenſura, quâ Joannis *Monteſoni* decimam propoſitionem damnat *tanquam falſam, ſcandaloſam, piarum aurium offenſivam, & præſumptuosè aſſertam: non obſtante probabilitate quæſtionis, Utrùm Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali?* Quæ verba planè indicant, tunc liberum fuiſſe Sacræ Facultatis Pariſienſis alumnis de iſta quæſtione probabiliter in utramque partem diſputare, ac proindè nullam adhuc Sæculo XIV. Juramenti formulam de piâ opinione Immaculatæ Conceptionis Virginis tenendâ Baccalaureis, & Doctoribus Theologis fuiſſe à Sacra Facultate Pariſienſi præſcriptam. Quæ cùm ita ſint, nemo non videt, hallucinatum fuiſſe *Lucam Wadinghum*, dùm in Annalibus FF. Minorum ſcripſit, *Joannem Scotum* ſuâ diſputatione impuliſſe Sacram Facultatem Pariſienſem, ut religionem Juramenti, de propugnanda piâ opinione Immaculatæ Conceptionis *Mariæ* Virginis, ſuis alumnis imponeret, cùm tamen id ſolùm contigerit longè poſt obi-

tum

tum *Scoti*, hoc eſt, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo.

D. Hunc Anachroniſmum, quamvis haud levem, *Lucæ Wadingho*, gloriæ ſui Doctoris ſubtilis extollendæ percupido, ultrò condonemus; & ſeriem reſumamus errorum, qui Sæculo XV. fuerunt ab Eccleſia profligati.

M. Multi errores in Concilio Conſtantienſi, præter Vvicleffiſtarum,& Huſſitarum Hæreſes, fuerunt damnati, inter quos primùm illos referam,in quos *Matthæus Grabon*, Ordinis Prædicatorum Profeſſor, Conventus Vviſmarienſis, Marſeburgenſis Diœceſis, Provinciæ Saxoniæ, lapſus eſt, dùm *Fratres vitæ Communis*, ſeu eorum Inſtitutum, qui nullam Regulam, nullumque Ordinem ex approbatis ab Eccleſia profeſſi vivebant, nimio æſtu impugnavit. Erant autem errores ex *Grabonis* libro excerpti viginti quinque, quos hìc ſingillatim recenſebo. I. *Proprietas temporalium rerum ſtatui ſæculari eſſentialiter eſt annexa.* II. *Nullus ſine peccato poteſt illud abjicere, quo retento, poteſt convenientèr vivere ſecundùm ſtatum ſuum.* III. *Omnes peccant, qui bona ſua ſimpliciter in eleemoſynam largiuntur propter Chriſtum.* IV. *Abdicationem omnium propter Chriſtum nullus facere poteſt extrà veras Religiones manendo ſine peccato mortali: & dico veras Religiones per Sedem Apoſtolicam approbatas.* V. *Papa non poteſt diſpenſare cum Sæcularibus,ut omnibus in ſingulari careant.* VI. *Si Papa poſſet alicui concedere hoc, tunc poſſet ei concedere propriæ vitæ ſubtractionem, quod eſt contra Præceptum Decalogi*: Non occides. VII. *Religioſus non poteſt ſine peccato mortali abdicare volun-*

tatem habendi communia, quandò actu talia non habet. VIII. *Quòd aliquis ſit voluntariè pauper propter Chriſtum, in Sæculo manens, omninò nihil habendo in ſingulari, nec etiam ipſam voluntatem habendi propria, includit omni tempore contradictionem.* IX. *Nullus poteſt paupertatis conſilium meritoriè obſervare, niſi fuerit in ſtatu Spiritualis perfectionis, ſive veræ Religionis. Dico autem veram Religionem, ſecundo modo dictam Religionem.* X. *Reputantes ſe benè facere aſſumendo paupertatem, quæ eſt Salvatoris conſilium, remanendo in ſtatu ſæculari, peccant mortaliter.* XI. *Abdicare omnia, etiam propter Chriſtum, niſi veram & approbatam Religionem ingrediatur, eſt ſibi & ſuis, quorum cura ſibi incumbit, vitam ſubtrahere; quod eſt homicidium committere tot hominum, quot ejus curæ ſubduntur.* XII. *Credentes ſe mereri vitam æternam tali abdicatione, credunt ſe poſſe mereri vitam æternam mortaliter peccando.* XIII. *Effundi omnes opes ſimul ab his, qui volunt in ſæculo manere, reducitur quaſi immediatè ad illud præceptum*: Non occides. XIV. *Dicens omnia meritoriè eſſe abjicienda propter Chriſtum, remanenti in ſæculo, eſt hæreticus judicandus.* XV. *Nullus poteſt meritoriè & ſecundùm Deum obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis conſilia extra veras & approbatas Religiones manendo, adimplere.* XVI. *Tria Salvatoris conſilia ſic ſunt concatenata, ut ubi paupertas meritoria, in quantum eſt Salvatoris conſilium, invenitur, oportet ut neceſſariò alia duo, ſcilicet Caſtitas & Obedientia inveniantur, quæ à paupertate ſeparari non poſſunt.* XVII. *Matronæ, ſeu mulieres communem vitam ducentes, inſimul commorantes, Beguttæ vulgariter nuncupatæ, quoſcumque*

que errores non tenentes aut prædicantes, ſeu aliàs de erroribus vel hæretica pravitate non ſuſpectæ, æternæ damnationis ſunt filiæ, & earum ſtatus eſt prohibitus & damnatus. XVIII. *Peccant, qui propria ſua reſignant, non intrantes Religionem approbatam.* XIX. *Non licet Presbyteris, & Clericis communem vitam ducere, niſi in Religione approbata, ſub pœna peccati mortalis.* XX. *Peccant omnes, qui fovent conſilio & auxilio communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.* XXI. *Excommunicati ſunt omnes communem Vitam ducentes extra Religionem approbatam.* XXII. *Similitèr excommunicati ſunt illi, qui vitam communem extra Religionem approbatam ducentibus præbent eleemoſynas. Et qui tales fovent conſilio & auxilio, vel defenſione, ſimiliter ſtant & ſunt in ſtatu perpetuæ damnationis: & niſi de ejuſmodi exceſſibus eorum magna contritione pœnituerint, ad vitam æternam non poſſunt pervenire, neque ſalvi permanere.* XXIII. *Omnes vitam communem ducentes extra Religionem approbatam, ſunt illi, à quibus Salvator noſter præcipit eſſe abſtinendum, & tanquam à falſis Prophetis attendendum.* XXIV. *Quilibet faciens contra jura Canonica peccat mortaliter.* XXV. *Nullus corpore validus, abſque communi utilitate & neceſſitate poteſt extra veras Religiones ſine peccato eleemoſynas Chriſti Fidelium tollere.* Hæ viginti quinque *Matthæi Grabonis* propoſitiones ad Concilium Conſtantienſe delatæ, agentibus præcipuè *Petro de Alliaco*, Cardinali Cameracenſi, & *Joanne Gerſonio*, Academiæ Pariſienſis Cancellario, damnatæ fuerunt, quædam ut hæreticæ, aliæ ut erroneæ, nonnullæ ut ſcandaloſæ, & piarum aurium offenſivæ. Cui Sententiæ *Matthæus*

Grabon ſummâ reverentiâ ſe ultrò ſubjecit, ſuoſque errores revocavit aſſerendo ſe eamdem fidem & doctrinam tenere in omnibus, quam Sancta Mater Eccleſia tradidit & firmavit. Ejus revocatio, & Cenſuræ his viginti quinque propoſitionibus à *Petro de Alliaco*, & *Joanne Gerſonio* inuſtæ, habentur inter ipſius *Joannis Gerſonii* Opera Tomo I. Editionis Pariſienſis anno MDCVI. pag. 624. & Editionis Antuerpienſis anno MDCCVI. pag. 467. & 470.

Eamdem ac *Matthæus Grabon* ſortem in Concilio Conſtantienſi nactus eſt *Nicolaus Serurarius*, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, cujus errores circà adminiſtrationem Sacramentorum factam à Presbyteris Concubinariis, circà cultum Sanctorum, contra pœnitentiam, & adversùs Parochos, atque Canonicos Regulares Ordinis Sancti *Antonii* Abbatis, fuerunt in prædicto Concilio damnati, & poſtea à *Martino V.* Pontifice Maximo, qui Cenſuram, quam in errores *Nicolai Serurarii* tulerant Patres Concilii Conſtantienſis, Pontificiâ auctoritate confirmavit, eumq; ad palinodiam, & errorum abjurationem compulit. Hi autem errores, quos in Belgio diſſeminavit *Nicolaus Serurarius*, quoſq; *Martinus V.* refert in ſuo Diplomate, ad iſtos potiſſimùm reduci poſſunt. In primis, docebat *Nicolaus Serurarius*, quòd *Charitas eſt ad Deum & proximum, & non ad ſe ipſum*. Secundò, *quod Deus non remiſit, neque remittere poteſt culpam peccatori abſque prævia contritione*. Tertiò, *quòd Presbyteri publici concubinarii non habent auctoritatem, ſeu poteſtatem abſolvendi peccatorem, & peccator confeſſus Sacerdoti publico concubina-*

binario recedit abſque abſolutione. Quartò, *quòd Orationes & preces Miſſales talium Sacerdotum publicorum concubinariorum, ſunt nullius valoris, & Miſſæ per tales concubinarios celebratæ pro defunctis; aut vivis, ſunt nullius valoris, & peccent mortalitèr illi, qui per Sacerdotes concubinarios Miſſas celebrari faciunt, vel illis interſunt*. Quintò, *quòd Fideles non teneantur ſemel in anno confiteri ſuo proprio Curato, quia Religioſi præſentati ſunt proprii Sacerdotes & veri Curati*. Sextò, *quòd mulieri non eſt opus purificari, quinimmò, hoc, ſcilicèt purificari, eſt judaizare*. Septimò, *quòd Oratio non debet dirigi, niſi ad Deum ſolummodò, & non ad Sanctos*. Octavò, *quòd deferre honorem feretro B. Antonii Abbatis erat crimen idololatriæ*, & quòd *illi, qui dant ad comedendum porcis bajulantibus campanulam Beati Antonii Abbatis, peccant mortalitèr*. His duobus Viris Religioſis, *Matthæo Graboni*, & *Nicolao Serurario*, quorum errores in Concilio Conſtantienſi fuerunt damnati, adjungi meritò debet *Joannes Parvus*, cujus itidem errores in eodem Concilio Conſtantienſi confixi ſunt.

D. Quis eſt iſte *Joannes Parvus*, cujus errores damnavit Concilium Conſtantienſe?

M. *Joannes Parvus* fuit natione Normannus, Theologus Pariſienſis, venalis homo, & ingenii ad aſſentationem fœdè projecti. Ille quippè horribile parricidium, quod, ut in Colloquio primo obſervavimus, commiſit *Joannes*, Burgundiæ Dux, qui *Ludovicum*, Ducem Aurelianenſem, *Caroli VI.* Galliarum Regis fratrem, ac Patruelem ſuum, immani proditione occidi curavit, hoc, inquam, deteſtandum parricidium ſum-

mâ impudentiâ defendendum ſuſcepit, & quod gravius eſt, ut illud parricidium vindicaret, auſus eſt occiſi *Ludovici*, Aurelianenſis Ducis, famam canino dente proſcindere, ejuſque manes crudeliùs inſectari, quàm fuerat illius corpus à Sicariis confoſſum. Inter cætera crimina, quæ impegit occiſo *Ludovico*, Aurelianenſi Duci, & quibus eum infamare ſtuduit, hoc unum inſtar omnium fuit, quòd diceret, *Ludovicum*, Ducem Aurelianenſem, Galliarum Regnum, dùm viveret, affectaſſe, eum adhibuiſſe Magos, variaſque incantationes ac ſacrilegia, ut *Carolum VI.* Galliarum Regem de medio tolleret, & ad id exequendum fœdus cum Angliæ Rege pepigiſſe, graviaque exegiſſe vectigalia, ut, è ſolio deturbato *Carolo VI.* ſummâ ipſe rerum ſolus in Regno Galliæ potiretur. Ex hoc crimine (falsò tamen, & perperàm occiſo *Ludovico* Duci Aurelianenſi impacto) tanquam ex jacto Apologiæ pro *Joanne* Duce Burgundiæ adornatæ unico fundamento inferebat *Joannes Parvus*, non ſolùm pœnâ dignum non eſſe Burgundiæ Ducem, quòd *Ludovicum*, Ducem Aurelianenſem, occidiſſet, ſed potiùs gratiâ, honore, divitiis, aliiſque præmiis cumulandum, tanquam tyrannidis depulſorem, & tyranni peremptorem. Eam in rem famoſum libellum, cui titulus: *Juſtificatio Ducis Burgundiæ* compoſuit, in quo octo momentis, quæ ipſe *Veritates* vocabat, probandum ſuſcipit, fas eſſe ac meritorium cuilibet homini privato propriâ auctoritate tyrannum occidere, ac ſubindè laude, non vituperio dignum eſſe Ducem Burgundiæ, qui id facinoris in perſona Ducis Aurelianenſis perpetraverat. Manſit aliquan-

quandiù abſque Cenſura, ob ſummam Burgundiæ Ducis potentiam, deteſtandus libellus *Joannis Parvi*, ſed tandem à ſacra Facultate Pariſienſi damnatus eſt Sententiâ in ipſum latâ die XXIII. Februarii anni MCCCCXIV. & publicè promulgatâ die XXV. ejuſdem menſis & anni. Hujus à ſacra Facultate Pariſienſi ferendæ Sententiæ, quæ ab *Egaſſio Bulæo* edita eſt *in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis*, ad annum MCCCCXV. Promotor fuit *Joannes Gerſonius*, ejuſdem Academiæ digniſſimus Cancellarius, qui ex libro *Joannis Parvi* novem Aſſertiones excerpſit, quas cum Cenſura Facultatis Pariſienſis legere eſt Tomo I. Operum ejuſdem *Gerſonii*. Hunc librum etiam *Joannis Parvi* damnarunt eodem anno MCCCCXIV. *Geraldus de Monte acuto*, Epiſcopus Pariſienſis, & F. *Joannes Poleti* Hæreticæ Pravitatis Inquiſitor, Ordinis FF. Prædicatorum, quorum Cenſuræ cùm Burgundiæ Dux acquieſcere nollet, res ad Synodum Conſtantienſem delata eſt, agente *Joanne Gerſonio*, Pariſienſis Academiæ Cancellario, & Galliarum Regis Oratore. Nihil intentatum reliquit Burgundiæ Dux, ut damnationis Sententia à Facultate Pariſienſi in librum *Joannis Parvi* lata, quæ in hujus Ducis opprobrium & dedecus vergebat, nulla & irrita declararetur in Concilio Conſtantienſi. Res in ea Synodo diù magnâ partium contentione hinc indè agitata eſt, tandem Seſſione XV. quæ celebrata eſt die VI. Julii anni MCCCCXV. Patres abſque ulla mentione Auctoris, aut libri, ne quæſtio facti intempeſtivè agitata novas turbas excitaret, utque Ducis Burgundiæ honori conſuleretur, damnarunt ut hæreticam illã propoſitionem, quâ *Joannes Par-*

vus aſſerebat, *quemlibet tyrannum poſſe & debere licitè & meritoriè occidi per quemcumque Vaſſallum ſuum, vel Subditum*. His porrò verbis Concilii Conſtantienſis Decretum conceptum eſt: *Præcipua ſollicitudine volens hæc Sacroſancta Synodus ad extirpationem errorum & hæreſum in diverſis mundi partibus invaleſcentium providere, ſicut tenetur, & ad hæc collecta eſt, nuper accepit, quòd nonnullæ Aſſertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiuſque Reipublicæ ſtatum & ordinem ſubvertere molientes, dogmatizatæ ſunt, inter quas hæc Aſſertio delata eſt: Quilibet tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque Vaſſallum ſuum, vel Subditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectatà ſententia, vel mandato judicis cujuſcumque. Adversùs hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus inſurgere, & ipſum funditùs tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & diffinit, hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide & in moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem reprobat & condemnat. Declarat inſuper, decernit & definit, quòd pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes, ſunt hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas ſanctiones puniendi.* Hanc damnationis Sententiam, abſque tamen nomine Authoris, in Concilio Conſtantienſi latam, ſtatim ac Senatus Pariſienſis accepiſſet, litteras Regias triennio antè datas, die ſcilicet XVI. Martii anni MCCCCXIII. quibus executionem Sententiæ ab

Epi-

Epiſcopo Pariſienſi, & à F. *Joanne Poleti* Fidei Inquiſitore datæ Galliarum Rex imperabat, in Commentarios, ſeu Regeſta Curiæ retulit die IV. menſis Julii anni MCCCCXVI. Hic fuit exitus, quem tandem habuit infauſtus libellus pro vindiciis Burgundiæ Ducis à *Joanne Parvi* malè conſarcinatus, de quo ſi plura ſcire deſideres, legeſis Tomum V. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, ubi *Egaſſius Bulæus* omnia Documenta, ſeu Cenſuras, Acta, & Monumenta, quæ hujus libelli à *Joanne Parvi* lucubrati damnationem attinent, integra exhibet à pag. 257. uſque ad pag. 264. & à pag. 269. uſque ad pag. 304.

D. Fueruntne alii errores damnati in Conciliis, Sæculo decimo quinto in Eccleſia celebratis?

M. Concilium Baſileenſe, quod habitum eſt anno MCCCCXXXI. confirmavit in prima Seſſione Wicleffiſtarum, & Huſſitarum Hæreſum damnationem factam in Concilio Conſtantienſi, & Seſſione XXII. proſcripſit quaſdam propoſitiones excerptas ex libro *De Chriſto & Eccleſia* edito ab *Auguſtino de Roma*, Nazareno Archiepiſcopo aſſumpto ex Ordine FF. Eremitarum S. *Auguſtini*. Inter has erroneas propoſitiones, quibus liber ille ſcatebat. Hæ præcipuè habentur. I. *Chriſtus quotidiè peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidiè peccavit*. Quam tamen aſſertionem *Auguſtinus de Roma* non de Chriſti perſona, ſed de membris ejus ſe intelligere fatebatur, quæ cum Capite unum Chriſtum eſſe aſſerebat. Meritò tamen hæc propoſitio in ſenſu, ut ajunt, obvio accepta, fuit damnata. II. *Non omnes Fideles juſtificati, ſunt membra*

Chri-

Chriſti, ſed ſoli electi, finalitèr in perpetuum regnaturi cum Chriſto. III. *Secundùm ineffabilem præſcientiam Dei ſumuntur membra Chriſti, ex quibus conſtat Eccleſia, quæ tamen non conſtat niſi ex eis, qui ſecundùm propoſitum electionis vocati ſunt.* IV. *Non ſufficit Chriſto uniri vinculo Charitatis, ut aliqui efficiantur membra Chriſti, ſed requiritur alia unio.* V. *Humana Natura in Chriſto verè eſt Chriſtus: Humana Natura in Chriſto eſt perſona Chriſti: Ratio ſuppoſitalis determinans Humanam Naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata.* VI. *Natura humana aſſumpta à Verbo ex unione perſonali, eſt veraciter Deus naturalis & proprius.* VII. *Chriſtus ſecundùm voluntatem creatam tantùm diligit Naturam Humanam unitam perſonæ Verbi, quantùm diligit Naturam Divinam.* VIII. *Sicut duæ perſonæ in Divinis ſunt æqualiter diligibiles, ita duæ Naturæ in Chriſto, Divina & Humana, ſunt æqualitèr diligibiles propter perſonam communem.* IX. *Anima Chriſti videt Deum tam clarè & intensè, quantùm clarè & intensè Deus videt ſe ipſum.* Has propoſitiones, & alias ex eadem radice pullulantes, in prædicto libro contentas, *tanquam erroneas in fide* confixit Synodus Baſileenſis, Auctoris verò perſonæ pepercit ac præjudicare noluit, eo potiſſimùm nomine, quòd licèt illius Libri Author, ſeu *Auguſtinus de Roma*, ad ſe ſiſtendum coram Patribus Concilii juridicè vocatus fuiſſet, cauſas tamen abſentiæ ſuæ allegaverat, & in aliquibus ſuis Operibus doctrinam ſuam Eccleſiæ irrefragabili judicio ſubjecerat.

D. Hi ſunt igitur omnes errores, quos Sæculo XV. ſparſerunt Hæretici & Novatores?

M. Pro-

M. Prodierunt adhùc Sæculo XV. duo alii Novatores, quorum errores hic prætermittere non debemus. Primùs, quem jure merito Hæreſiarchæ *Lutheri* Prodromum appellare poſſum, fuit *Joannes Ruchardus* è Weſtphalia ſuperiore in Germania oriundus, ſacræ Theologiæ Doctor, qui, ſicut poſt *Trithemium* in Chronico narrat *Spondanus* ad annum MCCCCLXXIX. ad revocationem quorumdam articulorum, quos in Eccleſia Wormatienſi prædicaſſe ferebatur, per Fidei Inquiſitorem coactus eſt, ejus Volumina, ipſo inſpectante, igne combuſta ſunt, ipſe verò ad pœnitentiam peragendam in Conventum Fratrum Eremitarum S. *Auguſtini* relegatus, mœrore brevi conſumptus obiit. Errores iſtius Novatoris eo ordine recenſet *Trithemius* in Chronico. *Primus Articulus, quem prædicaſſe ferebatur, fuit, quòd Prælati Eccleſiæ non haberent auctoritatem condendi, vel aliquid addendi ad ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli dixere, nec Summi Pontifices talem poteſtatem à Chriſto acceperunt. Secundus Articulus: Nulli hominum, quantumcùmque ſancto, docto, vel erudito licet verba Chriſti, & Evangelium exponere, & quòd ſacra Scriptura non ſit per ſanctos Patres, eo ſpiritu interpretata, quo primitùs tradita, & inſtituta. Tertius Articulus fuit contra Papam, & auctoritatem Clavium ſanctæ Matris Eccleſiæ, quia dixit, Indulgentias nihil aliud eſſe, quàm pias fraudes & deceptiones Chriſtianorum, eoſque ſtultos eſſe & fatuos, qui pro Indulgentiis Romam pergerent, quas domi, modò ſi eſſent verè contriti de peccatis ſuis cum emendandi propoſito invenire potuiſſent. Quartus Articulus ex primo, quòd mandata Eccleſiæ, Papæ, & aliorum Præ-*

Prælatorum non obligant ad mortale peccatum, pro eo quòd non habeant auctoritatem legis condendæ. Quintus Articulus, quòd non ſit, nec unquam fuerit originale peccatum, nec parvulos in originali concipi, neque proptereà damnari, ſe quoque nunquàm originali ſubjacuiſſe peccato. Sextus Articulus fuit, quòd omnes Presbyteri realiter ſint Epiſcopi, & Papæ, ſoloque nomine & hominum inſtitutione differant, quodque Papæ, Epiſcopi, Sacerdotes nihil conferant ad ſalutem, & fide, concordia & pace ſalvari poſſe ſine Sacerdotibus. Septimus Articulus: Jejunium, cùm non ſit à Chriſto inſtitutum, non obligat nos ad jejunandum: Eccleſia enim obligare non poteſt nolentem in eo, quod Chriſtus non præcepit, cùm non habeat auctoritatem Canones, & Leges condendi, ut in primo Articulo. Octavus Articulus, quòd extrema Unctio non ſit Sacramentum, quia non per Chriſtum, ſed per homines ſit inſtituta, ſed ſit oleum, & maneat oleum, ſicut anteà fuit. Nonus Articulus fuit: cùm nuſquàm legatur, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio in ſacra Scriptura, ſed potiùs contrarium, potiùs eſt credere cum Græcis ſapientibus, Spiritum Sanctum à Patre tantùm & non à Filio procedere, quia Filius hoc dixit. Alios quoque plures Articulos erroneos prædicaſſe perhibetur, ſicut de horis Canonicis non dicendis, de non ſervandis feſtis, de continentia Clericorum non ſervanda, de benedictionibus rerum inanimatarum in Eccleſia, herbarum, luminum, aquæ, Vaſorum, Veſtium, & ſimilium non curandis, & alios multos, quos tamen omnes anno præſcripto, ſeu milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, *in Dominica Eſto mihi,* hoc eſt, in Dominica Quinquageſimæ, *revocavit.* Sic *Trithemius* refert errores

Joan-

Joannis Ruchardi, qui in Germania Sæculo decimo quinto erroribus Hæreſiarchæ *Martini Lutheri* prælusit.

Alterum habuit nefariæ ſuæ Sectæ Præcurſorem Sæculo decimo quinto in Hiſpania *Lutherus*, videlicèt *Petrum de Oſma*, ſeu Oxomenſis Theologiæ in Urbe Salmanticenſi Profeſſorem, qui anno MCCCCLXXIX. virulentum librum vulgavit, in quo inter alios errores aſſerebat, non à Chriſto inſtitutam, ſed ad hominibus invectam fuiſſe Confeſſionem Sacramentalem, peccataque mortalia unâ cordis contritione; & pravas cogitationes ſolâ diſplicentiâ deleri. Hos, & alios *Petri de Oſma* errores *Alphonſus Carillus*, Toletanus Archiepiſcopus, poſt accuratum exàmen damnavit latâ in ipſum Authorem Sententiâ, quam paulò poſt *Sixtus IV.* Pontifex maximus confirmavit editâ Romæ Conſtitutione v. Idus Auguſti ejuſdem anni MCCCCLXXIX. in qua declaravit, *illas propoſitiones, per quas Petrus de Oſma, & ejus ſequaces prædicti pertinacitèr affirmare non verebantur, confeſſionem peccatorum in ſpecie ex univerſalis Eccleſiæ Statuto, non Divino jure compertam fore, & peccata mortalia, quoad culpam & pœnam alterius Sæculi, abſque confeſſione, ſola cordis contritione, pravas verò cogitationes ſola diſplicentia deleri: & quòd confeſſio ſecreta ſit, neceſſariò non exigi, & non peracta pœnitentia confitentes, abſolvi non debere; & Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere, & ſuper his, quæ univerſalis Eccleſia ſtatuit, diſpenſare non poſſe. Sacramentum quoque Pœnitentiæ, quantùm ad collationem gratiæ, naturæ, non autem inſtitutionis novi, aut veteris teſtamenti exiſtere,*

&

& alias, quas propter earum enormitatem (ut illi, qui de eis notitiam habent, obliviſcantur earum, & qui de eis notitiam non habent, ex præſentibus non inſtruantur in eis)ſilentio prætereundas ducimus, falſas, ſanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, ac à fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum Decretis & Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarias fore, manifeſtam hæreſim continere dicta auctoritate declaramus &c. Teſtatur noſter *Dominicus Bannes* Commen. in 2. 2. S.*Thomæ* Qu.1.Ar.10. *Diſputatione de Eccleſia*, libros *Petri de Oſma*, ſimul cum Cathedra in qua docebat, in media Schola igni traditos comburendos; ipſum verò *Petrum de Oſma* coactum fuiſſe palinodiam decantare ſub tali verborum forma: *Conſentio Sanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ, & Sedi Apoſtolicæ, & ore & corde confiteor, me tenere illam fidem, quam Dominus Sixtus Papa modernus authoritate Evangelica & Apoſtolica tenet, & omnes, qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio.* Eminentiſſimus Cardinalis *de Aguirre* Tomo 3. *Conciliorum Hiſpaniæ* pag. 682. & ſequentibus refert quædam fragmenta Conventus Theologorum apud complutum anno MCCCCLXXIX. tempore *Xyſti IV.* Papæ habiti, Præſide *Alphonſo Carillo*, Archiepiſcopo Toletano, contra *Petrum de Oſma*. Ibidem etiam inſeruit Diploma *Xyſti IV.* quo damnantur errores *Petri de Oſma*, ac tandem obſervat, *Petrum de Oſma* humilitèr atque ex animo errores ſuos ejuraſſe anno MCCCCLXXIX. ſtatim ac damnati fuerunt in Conventu illo Theologorum, eumque anno immediatè ſequenti MCCCCLXXX. piè intra ſinum Eccleſiæ Catholicæ clauſiſſe vitæ periodum, omni

ſini-

ſiniſtrâ fidei ſuę ſuſpicione, ſi qua olim fuerat, prorsùs deletâ. Undè, inquit Cardinalis de Aguirre, nunquàm *Petrum de Oſma* accenſuit Eccleſia Catalogo Hæreticorum, ſed dumtaxàt illorum, qui citrà pertinaciam errarunt in rebus Fidei ac dogmatum. Sed ſatis hactenùs de Hæreſibus & erroribus, quibus Sæculo XV. fuit infeſtata Eccleſia, diximus. Nunc breviter attingere debemus celebrem Controverſiam, quæ eodem Sæculo FF. Prædicatores inter & Franciſcanos magnis animis hinc indè agitata eſt anno videlicèt MCCCCLXIII.

D. In quonam potiſſimùm Capite ſita erat celebris ea Controverſia, quæ Sæculo decimo quinto Dominicanos inter & Franciſcanos vehementer exarſit?

M. In eo præcipuè cardine vertebatur tota celebris illa Controverſia, quòd FF. Minores acritèr contenderent, pretioſum Sanguinē Chriſti Domini in triduo paſſionis effuſum, & in terra jacentem ab unione hypoſtatica excidiſſe, & proptereà cultu latriæ indignum fuiſſe. Ex adversò FF. Prædicatores contrariam ſententiam pro aris ac focis propugnabant, eamque probabant auctoritate *Clementis VI.* Pontificis Maximi, qui, ut teſtatur *Eymericus* in Directorio Inquiſitorum Part. 2. Quæſtione decimâ, certior factus à *Nicolao Roſelli*, in Aragoniæ & Cataloniæ partibus Fidei Inquiſitore, Ord. Prædicatorum, & ad Cardinalitiam dignitatem poſteà provecto, fuiſſe quoſdam in Civitate Barcinonenſi, qui palàm prædicaverant, quòd *in Sanguine Chriſti ſparſo in Paraſceve non remanſerit Divinitas, nec Sanguis ille erat deificatus. Habito ſolemni Concilio Magiſtrorum,*

&

& aliorum peritorum virorum, mandavit per ſuas Patentes Litteras dicto Inquiſitori, quatenùs dictum Articulum ut hæreticalem & erroneum faceret publicè revocari, ac ſolemniter condemnaret. Et ſic ipſe Inquiſitor fecit, in Eccleſia Cathedrali publicè Barcinone dictum Articulum verè hæreticalem publicè condemnando. Hunc locum interpretando *Franciſcus Pegna* Commentario 35. in *Directorium Eymerici*, hæc habet: *Verè velut Hæreticus, vel jam olim à ſanctis Patribus exploſus videtur talis Articulus. Illi enim juxta Catholicam veritatem aliud ſemper docuerunt: Auguſtinus ſuper Joannem Cap.* 10. *Tract.* 47. *Ambroſius, & alii, quos refert Magiſter Sententiarum Lib.* 3. *Diſtinct.* 21. *parag.* ſicut Auguſtinus, *& tradit luculenter S. Thomas* 3. *P. Quæſt.* 50. *Art.* 2. *&* 3. *Undè commune eſt & certiſſimum Catholicorum dogma, videlicèt, quòd filius Dei* Jeſus *Chriſtus nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit, ac ſibi univit.* Huic Controverſiæ Dominicanos inter & Franciſcanos initium dedit J*acobus* Marchianus Minorita, Vir alioqui pietate eximius, & concionator ferventiſſimus. Ille quippè, ut teſtatur *Dermicius Thaddæus*, Minorita, in ſua *Nitela Franciſcana*, Brixiæ, die XVIII. Aprilis, quæ incidit in Dominicam Paſchæ anno MCCCCLXII. apud populum concionem habens, aſſeruit, *in morte Domini noſtri Jeſu Chriſti quatuor factas fuiſſe ſeparationes, ſcilicèt Animæ à Corpore, Sanguinis à Corpore, Divinitatis ab Humanitate, & Divinitatis à Sanguine effuſo*, ac ſubindè *Sanguinem pretioſum in triduo Paſſionis effuſum, & in terra jacentem, ab unione hypoſtatica excidiſſe, & propterea cultu latriæ indignum fuiſſe.* Quam ſententiam teſtimoniis *Franciſci Mayronis*, S. *Bo-*

S. *Bonaventuræ*, *Richardi de Media Villa*, *Alexandri Halenſis*, & aliorum Doctorum Ordinis Minorum, munivit *Jacobus Marchianus*. Peractâ concione, alter *Jacobus à Brixia*, Ordinis Prædicatorum, in Lombardia Inquiſitor, prædictum *Jacobum Marchianum* in jus vocavit, citavitque de fide reſponſurum. Hujus citationis formam *Lucas Wandinghus* in Annalibus Minorum deſcribit eo tenore conceptam: *Nos Frater Jacobus de Brixia ſacræ paginæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Lombardia & Ripelia Januenſi à Sancta Sede Apoſtolica conſtitutus, Fratri Jacobo de Marchia Ordinis Minorum, prudentiam ſectari. Quia nobis relatu fide dignorum innotuit, quòd poſt monitionem, qua tibi inſinuavimus cum omni reverentia, minùs Catholicè dictum, Divinitatem à Sanguine Chriſti in Cruce pendentis fuſo fuiſſe ſeparatum, hodiè verò proterviùs id in populum ſpargere voluiſti; id etiam, quod per Eccleſiam determinatum eſt, contradictione dicti tui, hæreticum appellans. Ideò tenore præſentium te requirimus, & monemus primò, ſecundò, tertiò, & peremptorio. Nihilominùs tibi in virtute Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna mandamus, quatenùs aut dictam ſententiam revoces, ut erroneam & hæreticam, antequam de hac civitate recedas, aut coram nobis de fide reſponſurus compareas cras in mane ante horam Tertiarum in Conventu S. Dominici de Brixia reſidentię noſtrę: aſſignantes tibi dictum terminum pro primo, ſecundo, tertio, & peremptorio termino, ac Canonica monitione: alioquin, ſi hęc mandata noſtra, quod non credimus, contempſeris, ex nunc, prout ex tunc, prædicta trina Canonica monitione præmiſſa, in, & contra te;*

prædictam excommunicationis ſententiam, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur, ferimus in ſcriptis, & etiam promulgamus. In quorum fidem &c. Gliſcentem illam inter utrumque Ordinem Controverſiam cùm dirimere haud poſſet *Bartholomæus Maupertus*, Brixienſis Epiſcopus, conſultius eſſe duxit, utramque litigantem partem remittere ad Sedis Apoſtolicæ judicium. Anno itaque MCCCCLXIII. juſſu *Pii II.* Pontificis Maximi, hac de re habita eſt celebris Diſputatio in Palatio Apoſtolico & in Conſeſſu Cardinalium. Aderant ex Franciſcanis ſex, totidem ex Dominicanis, qui efficaciſſimis argumentis evicerunt, verum Chriſti Sanguinem triduo mortis fuſum Divinitati unitum fuiſſe ac proindè cultu latriæ colendum: Id pernegabant Franciſcani. Diſputatum eſt acerrimè toto triduo. Tandem, ſoluto auditorio, Pontifex cum Cardinalibus pleriſque diebus rem maturo examine diſcuſſit: *Major pars ſententiam Prædicatorum approbavit, pauci cum Minoribus ſenſere. Pius quoque* (Pontifex Maximus) *ex majori parte fuit: Sed non eſt viſum eo tempore fieri Decretum declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio neceſſaria, offenderetur: in aliud tempus deciſionem referre placuit.* Ita refert *Joannes Gobelinus* libro XI. *Commentariorum de rebus ſub Pii II. Pontificatu tota Europa geſtis*, cui conſentiunt in Annalibus Eccleſiæ *Odoricus Raynaldus* & *Henricus Spondanus* ad annum MCCCCLXIII. Intereà, ne ex Religioſorum utriuſq; Ordinis Virorum contentione ſcandalum deinceps oriretur, prohibuit idem Sūmus Pontifex Diplomate Anconę dato Kalendis Auguſti anni MCCCCLXIV. ne ulli ex Mino-

no-

norum aut Prędicatorum Ordinibus liceret de iſta Controverſia diſceptare, prædicare, publicè vel privatim verbum facere, ſeu aliis ſuadere, *quòd videlicèt hæreticum, vel peccatum ſit, tenere vel credere Sanguinem ipſius Sacratiſſimum triduo Paſſionis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti ab ipſa divinitate quomodolibet fuiſſe, vel non fuiſſe diviſum vel ſeparatum*, donec quid ea de re tenendum eſſet, à Sede Apoſtolica fuiſſet definitum.

D. Cùm ſuper hac controverſia decretorium judicium *Pius II.* Pontifex Maximus non pronunciaverit, ſed in aliud tempus remiſerit, nullus dubito, quin poſſit etiamnùm ſalvâ & inculpatâ fide, ſeu abſque ulla erroris nota propugnari Sententia Franciſcanorum, aſſerentium, ſanguinem Chriſti Domini in triduo mortis fuſum Divinitati non fuiſſe unitum, adeòque cultu latriæ non adorandum.

M. Quid ſuper hac re ſentiant graviſſimi Theologi inquirere longum eſſet, & ſingillatim expendere omninò ſupervacaneum. Sufficiet hìc verba referre doctiſſimi Theologi Societatis Jeſu, ſeu Cardinalis *de Lugo*, qui diſputatione XIV. de Incarnatione, ubi hanc quæſtionem, quam in præſentia verſamus, profundiſſimè tractans hæc habet: *Cæterùm, licèt ex his fundamentis non poſſit nota inuri illi Sententiæ* (Franciſcanorum ſcilicet) *adhùc crediderim, hodie abſque aliqua nota defendi non poſſe propter verba Tridentini Seſſione 14. cap. 3. in quibus definitur, in Euchariſtia eſſe Corpus ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, animamque ſub utraque, vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis*

tuis reſurrexit, nec amplius moritur, inter ſe copulantur. In quibus verbis, ut vidimus, ſanguis dicitur eſſe pars Chriſti Domini; ex quo per bonam conſequentiam infertur, vel ſanguinem debuiſſe ſubſiſtere in Chriſto, eadem Verbi ſubſiſtentia, vel ſi habuiſſet aliquam ſubſiſtentiam propriam creatam in Chriſto, non fuiſſe ſolam ſubſiſtentiam Verbi, ſed aliam creatam ſaltem partialem: Nam Chriſtus adæquatè acceptus continet omnes ſuas partes, quarum una eſt ſanguis, ut conſtat ex Tridentino, ergò ſi ſanguis habeat ſubſiſtentiam creatam propriam, Chriſtus non ſolùm includit ſubſiſtentiam increatam Verbi, ſed aliam etiam creatam partialem, quod dici non poteſt. Hinc eadem ferè certitudine ſequitur, ſanguinem effuſum, in triduo manſiſſe hypoſtaticè unitum Verbo; ſicut enim corpus manſit unitum Verbo; eò quod erat pars ejus humanitatis, ita ſanguis, qui non minus erat pars, ut vidimus, nec minus reaſſumendus iterum in reſurrectione, debebat propter eamdem rationem manere unitus, quia non poteſt afferri ratio diſcriminis ſufficiens inter carnem, & ſanguinem, cùm utraque ſit vera pars naturæ humanæ &c. Sic doctiſſimus ille Cardinalis ſententiam Dominicanorum ſtrenuè tutatur, & contrariam abſque aliqua erroris notâ poſt Concilium Tridentinum defendi haùd poſſe, ſolidâ ratione evincit.

D. Si Sanguis Chriſti, ut poſt Dominicanos cenſet Cardinalis *de Lugo*, in triduo mortis manſerit Verbo divino unitus, illeque totus Corpori Chriſti in Reſurrectione fuerit reſtitutus, ſequitur planè, nihil Sanguinis Chriſti, poſt ejus Reſurrectionem, ſupereſſe in terris; & tamen conſtat, eſſe aliquas Eccleſias, quæ guttas, & reliquias

San-

Sanguinis Chriſti Domini gloriantur ſe habere. Nutat igitur præcipuum hujus Dominicanorum ſententiæ fundamentum.

M. Huic difficultati bifariam reſpondent Dominicani. In primis, dicunt cum Doctore Angelico 3. part. quæſt. 54. art. 2. ad 3. eum Sanguinem, qui etiamnùm in quibuſdam Eccleſiis aſſervatur, non fluxiſſe à latere Chriſti, ſed ex quadam Imagine miraculoſa, vel eſſe veſtigium Sanguinis Chriſti ſervatum ad ſolatium fidelium. Prætereà, ultrò fatentur Dominicani, Chriſtum poſt Reſurrectionem ſuam, aliquas ad pietatem & ſolatium fidelium ſanguinis ſui reliquiſſe guttas, quæ partem integralem corporis humani non conſtituunt; immò ipſimet gloriantur, apud ſe habere in Cœnobio San-Maximino Gallo-Provinciæ pretioſiſſimum illud depoſitum B. *Mariæ Magdalenæ*, nempè terram inſperſam, ſeu irrigatam & coloratam Sanguine Chriſti phiolâ incluſam, quam vidit noſter *Sylveſter* anno MCCCCXLVII. dùm inviſeret antrum illud, in quo *Maria Magdalena* Pœnitentiam egit, ſicut ipſemet ſcribit in *Roſa Aurea* Fer. V. additque, omnes ſibi ſine hæſitatione affirmaſſe, ſingulis annis die Paraſceves perlectâ Paſſione, evidenter & clarè ebullire. Status itaque controverſiæ Dominicanos inter & Minoritas, Sæculo XV. magna animorum contentione diſputatæ, non erat, utrùm adhùc in terris ſuperſint guttæ Sanguinis Chriſti? Sed utrùm Sanguis, qui eſt vera humanitatis pars, remanſerit in triduo mortis hypoſtaticè unitus, vel non unitus Verbo Divino? in hoc vno ſtabat totius difficultatis cardo. Sed hactenùs ſatis de hac celebri

Controverſia dictum ſit. Prætermitto alias duas Controverſias, quæ eodem Sæculo XV. Dominicanos inter & Franciſcanos fuerunt agitatæ, quarum prima, quæ ſpectat Conceptionem B. *Mariæ* Virginis, compoſita fuit à *Sixto IV.* Pontifice Maximo, ex Ordine FF. Minorum aſſumpto, qui Diplomate Nonis Septembris anni MCCCCLXXIX. promulgato diſtrictè vetuit, ne utraque ſententia, ideſt, tam eorum, *qui Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe* dicunt, quàm illorum, qui tenent, *Glorioſam Virginem Mariam cum Originali peccato fuiſſe conceptam*, Hæreſeos, aut erroris damnaretur: *cùm nondùm ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum*, inquit ille Pontifex Maximus. Hæc *Sixti IV.* Conſtitutio ab ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, & ab Oecumenico Concilio Tridentino fuit confirmata, nec hactenùs ab ullo revocata. Alteram Controverſiam Dominicanos inter & Franciſcanos de Sacris Stigmatibus Sanctæ *Catharinæ Senenſis* excitatam ſopire conatus eſt idem Summus Pontifex *Sixtus IV.* Negabant Franciſcani, *Catharinam* Senenſem his Divini amoris characteribus fuiſſe inſignitam; idque Privilegii ſoli Sancto *Franciſco* conceſſum propugnabant. Dominicani verò hoc decus Sancto *Franciſco* non præripiebant, ſed illud itidem Sanctæ *Catharinæ* Senenſi aſſerebant, nixi potiſſimùm *Raymundi Capuani*, hujus Sanctæ Virginis Confeſſarii, teſtimonio, nec non Sancti *Antonini* III. Part. Chronicorum Titulo XXIII. cap. XIV. Parag. X. ac tandem authoritate *Pii II.* Pontificis Maximi, qui in Hymno Veſperarum Officii, quod in Feſto Sanctæ

Ca-

Catharinæ Senenſis celebrandum compoſuit, diſertè aſſerit, vulnerum Chriſti formam in Virgine Catharina Senenſi fuiſſe expreſſam. His rationibus adductus *Sixtus IV.* Pontifex Maximus, ſublatis anno MCCCCLXXXIII. Cenſuris Eccleſiaſticis, quibus antehàc prohibuerat, ne Sanctæ Catharinæ Senenſis imagines cum Sacris Stigmatibus pingerentur, Franciſcanos cohibuit. Eadem tamen Controverſia ſub Pontificatu *Clementis VIII.* recruduit, quam ut componeret Summus ille Pontifex, poſt maturum rei examen coram Sacra Rituum Congregatione inſtitutum anno MDXCIX. utrique parti ſilentium indixit. Tandem litem finivit *Urbanus VIII.* Pontifex Maximus, qui tertiam Lectionem Officii ejuſdem Sanctæ Virginis Romano Breviario ſuis curis & auctoritate emendato inſerendam propriâ manu conſcripſit, & auctoritate Apoſtolica ex conſilio Sacræ Rituum Congregationis approbavit, in qua hæc leguntur: *Hanc gratiam amantiſſimus Dominus nova gratia cumulavit, ut ſentiret dolorem illapſa vi vulnerum, & tamen cruenta ſigna non apparerent. Quod ita contigiſſe cùm Dei Famula,* ſeu Catharina Senenſis, *Confeſſario ſuo Raymundo retuliſſet, ut oculis etiam repræſentaretur, radios in imaginibus Beatæ Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes pia Fidelium cura pictis coloribus expreſſit.* Totam hanc diſceptationem de Sacris Stigmatibus Sanctæ *Catharinæ* Senenſis, quam Dominicani Sæculo Eccleſiæ decimo quinto habuerunt cum Franciſcanis, claudam verbis *Henrici Spondani* in Annalibus Eccleſiæ ad annum MCCCCLXXXIII. Num. VIII. ubi hæc habet: *Satiùs longè foret Franciſcanis, humilitatem*

ac paupertatem ſui conditoris imitari, quàm hujuſmodi diſputationibus gratiam Dei reſtringere velle ad ſuas æmulationes. Non tamen ut omninò aſſerere velimus, apparuiſſe ita in Corpore Catharinæ Stigmata ut in Franciſci membris. Sed profectò non minor fuiſſe videtur ejus humilitas & abjectio ſui; cùm cernens Chriſtum Cruci affixum magno ſuper ſe cum lumine deſcendentem, radioſque ſanguineos ex ſuis quinque Sacratiſſimis Cicatricibus emittentem, velle ſua Stigmata ipſi affigere, ſicut fecerat ſpeciali ſuo ſervo Franciſco, rogavit ne cicatrices in corpore apparerent exteriùs: quandò ex radiis ſanguineis in ſolares immutatis à Cicatricibus Crucifixi procedentibus, & ad manus, pedeſque, & cor ejus pervenientibus, valdè ſenſibilis dolor in dictis corporis ejus partibus eſt relictus. Hactenùs illuſtris ac pius ille Annalium Eccleſiaſticorum Continuator, cujus ſapientiſſimo Conſilio aſſentiri nunc Franciſcanos facilè mihi perſuadeo.

D. Cùm de Hæreſibus, erroribus & Controverſiis Sæculo Eccleſiæ XV. enatis nihil aliud tibi dicendum occurrat, patêre, quæſo, ut à te, ſub finem hujuſce noſtri Colloquii, poſtulem, an verum ſit, quod nuperrimè legebam in *Hiſtoria Literaria Guillelmi Cave* ad Sæculum, quod vocat *Synodale*, quod eſt Sæculum Eccleſiæ decimum quintum. Ibi quippè, ſeu pag. 53. loquens de *Joanne Huſſo*, cujus Hæreſim ſuperiùs retuliſti, hæc ſcribit: *Anno* 1414. *inchoato Conſtantienſi Concilio, Huſſus, Sigiſmundi Imperatoris literis, quibus ſaluti ſuæ publica Imperii fide cautum eſt, Germanicè ſimul ac Latinè ſcriptis munitus, à nobilibus aliquot Bohemis die* 3. *Novembris Conſtantiam deducitur,*

acceptis priùs in itinere Pontificis, & Concilii literis, quas Salvi Conductus vocant. Nil tamen fidei tam ſolemni Religione datæ authoritas & reverentia potuit, quominùs Huſſus, reclamantibus Sigiſmundo & Germanis, vigeſimo ſexto poſt ingreſſum die in fœdiſſimum carcerem daretur. Et poſt pauca interjecta, idem ſubdit de *Hieronymo Pragenſi*, Diſcipulo *Joannis Huſſi*, his verbis: *Menſe Aprili ejuſdem anni*, ſeu MCCCCXIV. *Hieronymus Pragenſis Conſtantiam venerat, accepta prius à Concilio tutò veniendi, non tamen redeundi (id enim boni Patres ſceleſtiſſimæ perfidiæ prætexebant) poteſtate, & in carcerem datus, diriſque tormentis excruciatus fuerat.* Quibus verbis Hæreticus ille Anglus apertè Summum Pontificem, & Patres Concilii Conſtantienſis accuſat, quòd fidem publicam, & Salvum Conductum, quem *Joanni Huſſo, & Hieronymo Pragenſi* dederant, violaverint, injuſtè in eos animadvertendo, illoſque ſæculari Curiæ tradendo, ut pœnas luerent, & ad rogum damnarentur. Ab hac itaque calumnia Summum Pontificem, necnon Patres Concilii Conſtantienſis vindicare debes, quam Hæretici perperàm ipſis impingunt.

M. Hæc putida calumnia multis momentis diſflari, falſique convinci poteſt. In primis, falsò aſſerunt Harerodoxi, Summum Pontificem, qui tum temporis erat *Joannes XXIII.* ac Patres Concilii Conſtantienſis *Joanni Huſſo* publicam fidem, ſeu Salvum Conductum conceſſiſſe, cùm tamen contrarium evidenter pateat ex Epiſtolis ipſiuſmet *Joannis Hus*, cujus teſtimonio Hæretici refragari haud poſſunt. At enim, *Joannes Hus* in ſuis Epiſtolis non ſemel profitetur, ſe abſque Salvo Conductu

ductu Papæ Conſtantiam veniſſe. Sic enim ſcribit Epiſtola V. *Venimus*, inquit, *in Conſtantiam poſt Feſtum Omnium Sanctorum ſine omni nocumento, pertranſeundo civitates, applicando Intimationes Latinas & Teutonicas. Et ſtamus in Conſtantia in platea propè Papæ hoſpitium. Et venimus ſine Salvo Conductu*. Ubi Huſſitæ ad marginem addiderunt: *Intellige Papæ*. Epiſtolâ VI. *Scitote, ait, quòd benè ſto per omnia: Veni ſine Salvo Conductu Papæ ad Conſtantiam*; & Epiſtolâ XLIX. *Reliqui*, inquit, *poſt me literam, quæ lecta eſt in Bethleem, in qua poſui, quòd exeo ſine Salvo Conductu*. Et infra: *Ad hoc vos dicetis, quia non habui, cum exivi, Salvum Conductum Papæ*. Falſum itaque eſt, quod *Guillelmus Cave*, aliique Hæretici dictitant, *Joannem Huſſum* Conſtantiam veniſſe cum Salvo Conductu Papæ. Nec minus abhorret à vero quod ſcripturiunt Hæretici, videlicèt Synodum Conſtantienſem *Joanni Huſſo* publicam fidem, ſive Salvum Conductum dediſſe, ut tutò ac liberè Conſtantiam venire poſſet. Nullum quippè hujus Salvi Conductus *Joanni Huſſo* conceſſi in Actis Concilii Conſtantienſis, ſicut nec apud ullos, etiam adverſæ communionis, Hiſtoricos apparet veſtigium. Nunquàm etiam *Joannes Hus* de violatâ fide publica ſibi à Concilio Conſtantienſi datâ conqueſtus eſt. Scripſit *Joannes Hus*, dùm in carcere detineretur, Epiſtolas ad Amicos, in quibus, præſertim Epiſtolis XVIII. & XIX. queritur de multis capitibus, in quibus ſibi à Concilio Conſtantienſi & Deputatis injuriam fieri cauſabatur, at de violata ſibi ab hoc Concilio datâ Salvi Conductus fide ne verbulum quidem habet. Multa quoquè *Joannes*

Hus, cùm duceretur ad ſupplicium, cùm palo alligaretur comburendus, de doctrina ſua ac innocentia dixit, à Sententia contra ſe in Concilio Conſtantienſi latâ ad Chriſtum provocavit; at de publica fide ſibi datâ & à Synodo Conſtantienſi violatâ nullam omninò querimoniam emiſit. Ex eo itaque ſilentio, quod ad mortem uſque ſervavit *Joannes Hus*, facilè colligitur, nec ipſum à Synodo Conſtantienſi publicam fidem accepiſſe, nec eam ab eadem Synodo fuiſſe violatam. Cùm igitur ex multis Actis, & ſinceris monumentis certò certiùs conſtet, *Joanni Huſſo* nec Summum Pontificem, nec Sacram Synodum Conſtantienſem dediſſe unquàm publicam Salvi Conductus fidem, mirari vehementer ſubit, quâ fronte *Guilielmus Cave*, aliique Hæretici audeant aſſerere, eam à Summo Pontifice, & Patribus Concilii Conſtantienſis fuiſſe violatam, dùm *Joannem Huſſum* in ſua Hæreſi pertinacem ſæculari Poteſtati tradiderunt, ut pœnas debitas lueret, & ultricibus flammis addiceretur.

Non inficior quidem, Imperatorem *Sigiſmundum* publicam Salvi Conductus fidem *Joanni Huſſo* dediſſe, ut ad Concilium Conſtantienſe veniret. Sed hunc Salvum Cōductum *Sigiſmundus* Imperator *Joanni Huſſo* duntaxàt conceſſit in his, quæ ad ſecuritatem & celeritatem itineris ipſius pertinerent tam per terram, quàm per aquam, hoc eſt, ut *per quoſcumque paſſus, portus, pontes, terras, dominia, juriſdictiones, civitates, oppida, caſtra, villas, & quælibet alia loca, ſine ulla ſolutione tributi, telonii, aut alio quovis ſolutionis onere, omnique prorſus impedimento remoto, tranſire, ſtare, morari,*

&c.

& redire liberè poſſet, ſed non ut eum à Concilii Conſtantienſis Juriſdictione eximeret, & à Canonum, legumque diſtrictione liberum contra juſtitiam & evidens Religionis Catholicę bonum præſtaret, ſicut patet ex tenore litterarum ejuſdem Imperatoris datarum Spiræ die XVIII. Octobris anni MCCCCXIV. quæ extant apud *Goldaſtum* in Appendice Documentorum ad Commentarios de Regni Bohemiæ juribus & Privilegiis pag. 89. Porrò, hunc Salvum Conductum in eum finem *Joanni Huſſo* indultum ſtrictiſſimè ſervavit Imperator *Sigiſmundus*. Nemo ſiquidem *Joanni Huſſo* in itinere vim intulit, nullus ipſi moleſtiam faceſſivit, immò, ut ipſemet Epiſtolis III. & V. teſtatur, ubique humaniſſimè ſuſceptus eſt, & Conſtantiæ etiam benigniſſimè habitus, antequàm in fugam ſeſe dediſſet. At ubi *Joannes Hus* fugam arripuit, ut contra jus omne, contra Imperatoris juſſionem, contra propria pacta, ſeſe Concilii examini ac judicio ſubduceret, & ut in Bohemiam redux hæreſim impunè prædicare ac diſſeminare pergeret, tunc deprehenſus in curru ſtramine pleno, quo ex urbe deportandus erat, captus eſt, in carcerem compactus, & deindè hæreſeos convictus, ac juridicè damnatus, cùm prava dogmata nullo pacto ejurare vellet, Curiæ Sæculari traditus eſt flammiſque conſumptus juxta Leges Cæſareas, quæ pœnam Capitis in contumaces Hæreticos decernunt. Qua in re malitiam ſuam apertè prodit *Guillelmus Cave*, dum ait, *Joannem Huſſum*, reclamante Imperatore *Sigiſmundo*, in fœdiſſimum carcerem fuiſſe conjectum; cùm tamen Hiſtoricorum Huſſitarum teſtimoniis certiſſimè conſtet, Imperatorem *Sigiſmundum* non ſolùm

carcerem, ſed ignem *Joanni Huſſo* minatum fuiſſe, niſi palinodiam decantaret, ſeque Concilii Conſtantienſis auctoritati ac definitioni eâ, quâ par erat, animi demiſſione ſubmitteret. Sic enim Hiſtoricus Huſſita, qui ſe omnibus interfuiſſe ait, in Actis, quæ ſcripſit, Hæreſiarchæ *Joannis Hus*, inducit pag. 15. Imperatorem *Sigiſmundum Joanni Huſſo* ignem comminantem, ni abjectâ omni cunctatione, errores ejuraret: *Nos quidem tuis erroribus & pertinaciæ nunquàm patrocinabimur. Immò, Nos hiſce manibus ignem tibi parabimus potiùs, quàm ut ea, qua hactenùs, pertinacia te diutiùs uti patiamur. Noſtrum itaque eſt conſilium, ut ipſius Concilii Judicio ſtare velis.* Alter Scriptor Huſſita, qui Relationi, quam deſcripſit, Geſtorum Hæreſiarchæ *Joannis Hus*, hunc titulum præfigere non dubitavit: *Hiſtoria Sanctiſſimi Martyris Joannis Hus*, refert Folio 24. verba Imperatoris *Sigiſmundi*, ſic *Joannem Huſſum* alloquentis: *Sin pergis defendere tuas opiniones, Concilium facilè habebit, quod ſecundùm Leges ſuas de te decernat .... Ætatem habes, inquit Imperator, facilè potuiſti intelligere, quæ & heri, & hodie ad te dixi. Nos teſtimoniis, quæ fide digniſſima ſunt, credere cogimur. Tu igitur, ſi ſapis, accipies à Concilio pœnitentiam corde contrito, & manifeſtis erroribus renunciabis, & juramento promittes, te contra eos deinceps perpetuò & ſentire & docere velle. Sin minus, ſunt leges, ſecundùm quas à Concilio judicaberis ...... Poſteaquam* Joannes Hus *abductus eſſet, cœpit Imperator in hanc ſententiam Præfectos Concilii adhortari: Multa, eaque graviſſima in Joannem Hus crimina audiviſtis, non ſolùm firmis teſtimoniis probata, verùm ab ipſo confeſſa, ex*

quibus

quibus ſingula, meo judicio, Mortis ſupplicio digna eſſent. Niſi igitur recantet illa omnia, Ego cenſeo ut ignis ſupplicio afficiatur &c. Ex his ergò duorum Scriptorum Huſſitarum teſtimoniis, quæ *Guillelmo Cave*, aliiſque Hæreticis ſuſpecta eſſe non poſſunt, cùm ſint ab hoſtibus Eccleſiæ Catholicæ, & ſectæ *Joannis Hus* addictiſſimis deſumpta, apertè evincitur, primò, *Joannem Huſſum* non fuiſſe, reclamante Sigiſmundo Imperatore, in Carcerem detruſum: ſecundò, Sigiſmundum Imperatorem Salvum Conductum non dediſſe *Joanni Huſſo*, niſi ut ab omni violentia facti tutus eſſet, non ut à juſtitia, legumq; ſeveritate immunis, ſi preſcriptas ſibi in Salvo Cõducto cõditiones violaret, ſi pactis ipſe nõ ſtaret, ſi nova crimina perpetraret, ſi Hæreſi obſtinato animo adhæreret, ſi Eccleſiæ, & Concilii Conſtantienſis judicio parêre nollet, ſi pacem publicam perturbaret. Porrò *Joannes Hus* has conditiones non ſervavit, ſed potiùs novis criminibus ſe obſtrinxit, *ſæpè in Hoſpitio ſuo*, ut narrat *Ulricus Reinchetal*, Civis Conſtantienſis in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis, quam Teutonico idiomate ſcripſit, *celebrando Miſſam, accurrente ad eam populo. Quod ubi per Epiſcopum Conſtantienſem, velut Ordinarium loci, ei tanquàm excommunicato inhiberetur, ipſe verò nihilominùs celebraret, Epiſcopus verò populum Miſſæ ejus intereſſe prohiberet, Hus cæpit de fuga circumſpectare.* Sed repertus in curru latitans, reductus, & in carcerem conjectus eſt, quòd propter fugam, & nova, quæ Conſtantiæ commiſerat crimina, Salvi Conductus privilegio jure merito excidiſſet. Hæc nova crimina, quæ Conſtantiæ *Joannes Hus* patraverat, præſertim ejus fugam ac mentis obſtinationem,

nem, omni proculdubio ignorabant Nobiles illi Bohemi,qui Epiſtolas inter Huſſiticas LIX.& LX. è Bohemia ad Imperatorem *Sigiſmundum* ſcripſerunt, expoſtulantes de publica fide *Joanni Hus* Conſtantiæ violatâ. Si enim hæc nova crimina, quibus *Joannes Hus* pacta & conditiones Salvi Conductus ſibi ab Imperatore dati Conſtantiæ non ſervavit, nota habuiſſent Nobiles illi Bohemi, nunquàm illius Hæreſiarchæ patrocinium ſuſcepiſſent, nec de violatâ Conſtantiæ *Joanni Huſſo* publicâ fide conqueſti fuiſſent. Quapropter, Nobiles illos Bohemos utcumque excuſabiles reddit ignorantia facti. At ſumma veſania eſt,& ſtupenda cæcitas Hæreticorum hujus temporis, qui, licèt Miſſam,ceu Ritum ſuperſtitioſum & idololatricum averſentur,execrentur,ac ſummoperè deteſtentur, nihiloſeciùs ſummis laudibus celebrant, & tanquàm Martyrem venerantur *Joannem Huſſum*, qui tamen ad extremam uſque vitæ periodum Sacris operatus eſt; ſeu Miſſam celebravit,ut conſtat non ſolùm ex his,quæ mox diximus,ſed etiam ex teſtimonio *Plebani de Jannowitk*, Hæreſiarchæ *Joannis Hus* contubernalis, qui Epiſtolâ IV. inter Huſſiticas, datâ Conſtantiæ, Sabbato ante *S. Martini* Feſtum, hæc habet: *Liberi ſumus omninò in Conſtantia. Et Magiſter*, ſeu Joannes Hus, *quotidiè Divina peragit, & in tota via peregit huc uſque.*

Quod verò ſpectat *Hieronymum Pragenſem*, Diſcipulum *Joannis Hus*, negari haud poteſt,ei datum fuiſſe, non ab Imperatore *Sigiſmundo*, ſed à Concilio Conſtantienſi Salvum Conductum, hac tamen clauſulâ limitatum,*Juſtitia ſemper ſalva*,quâ poſitâ conditione, conqueri non potuit *Hieronymus*

mus Pragenſis de violata publicâ fide ſibi à Concilio Conſtantienſi datâ, cùm in ipſum Patres Concilii nihil egerint contra juſtitiam, ſed potiùs debitis pœnis ſecundùm formam juris animadverterint. At enim, *Hieronymus Pragenſis*, poſtquam coram Concilio comparuiſſet, & Hæreſeos convictus illam abjuraſſet ſeſſione XIX. ut probat ejus Abjurationis Formula Actis inſerta, & à *Joanne Cochlæo* relata Lib.3. *Hiſtoriæ Huſſitarum*, in Hæreſim deindè relapſus coram Synodo publicè congregatâ aſſeruit & profeſſus eſt, *quòd Sententiæ damnationis Joannis Wicleff & Joannis Hus iniquè conſenſerat, & illam ſententiam approbando mentitus fuerat: Et Confeſſionem, approbationem, & Profeſſionem ſuas ſuper illorum damnatione revocabat nunc & in æternum: aſſerens, ſe in libris Joannis Wicleff & Joannis Hus nullam unquam hæreſim vel errorem legiſſe*. Quamobrem, juſtè Sacra Synodus *eumdem Hieronynum hæreticum, & in hæreſim relapſum, excommunicatum, anathematizatum pronunciavit, declaravit, atque damnavit*; & ſæculari tradidit Poteſtati debitis pœnis plectendum. (ſeſſione XXI.) Addo etiam, *Hieronymum Pragenſem* Salvi Conductus Privilegio fugâ ſuâ excidiſſe, ac proindè dignum fuiſſe, qui perfidiam, & in hæreſim relapſum extremo ſupplicio, ſeu vivi comburio, expiaret. Sic puniri & in ordinem redigi debent Hæreſiarchę, & Sectarum Principes, quos mutari aliquandò, ac depoſitis erroribus ad mentis ſanitatem ſeriò converti, optandum quidem vehementèr eſſet, ſed vix ac ne vix quidem ſperandum arbitror. Multos enim legimus in omnibus Sæculis ſurrexiſſe duces impietatis, & ab avita Religione populorum animos ab alié-

alienaſſe; at, qui ad Eccleſiæ gremium reverterentur, vix unum aut alterum legimus. Adeò illos occæcavit impietas cum ſingulari ſuperbia conjuncta. Quòd ergo Patres Concilii Conſtantienſis duos illos obſtinatos Hæreticos, *Joannem Huſſum*, & *Hieronymum Pragenſem* flammis addici juſſerint, laudabit quicumque noverit, quantùm Novatores improbi, & iniquiſſimæ cauſæ defenſores audeant, quantave mala in Eccleſiam & in Regna invehant, nec dubitabit, quin & juſtiſſimus ardor ille ſit, qui horum ſe furoribus ac ſtragibus opponit, & meritò ad rogum damnentur infenſiſſimi illi pietatis hoſtes, quos in perniciem animarum graſſari tam hoſtiliter aſpexerit. Sed de Hæreſibus, erroribus, & Cõtroverſiis, quæ Sæculo Eccleſię decimo quinto oborte ſunt, hęc dicta ſufficiant.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis tàm Oecumenicis, tùm Nationalibus, in quibus Sæculo XV. profligatæ ſunt Hæreſes, extincta ſchiſmata, & reſtaurata Eccleſiæ Diſciplina.

MAGISTER. Nihil Clerico, atque Reipublicæ Chriſtianæ conducibilius eſſe poteſt notitiâ Conciliorum, quæ Myſteria Dei magis abſcondita explicant, ejus cultum ſummoperè commendant ac provehunt, damnant Hæreſes, Diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurant, mores improbos eliminant, Clericos

perficiunt, Officiique Eccleſiaſtici ac politici partes omnes indicant ac decernunt. Hinc Concilia jure ac merito dicuntur validiſſima Eccleſiæ præſidia, quibus hi, qui ſenſui hærent proprio, & veritatem opprimere moliuntur, morum integritatem labefactare, jura pervertere, & perfidorum quorundam hominum damnatás revocare opiniones, coercentur, iiſdemque atteruntur armis, quibus olim Hæretici cum ſuis erroribus proſtrati, jugulati, confoſſique fuerunt. Tuæ igitur utilitati ut conſulam, omnia Concilia, quæ Sæculo XV. habita ſunt, & res præcipuas in his geſtas, accuratè in hocce Colloquio percenſebo, incipiendo à Conciliis Generalibus, dein, progrediendo ad Concilia Nationalia, ſeu Provincialia, in quibus ſancita eſt Eccleſiæ Diſciplina.

D. Fueruntne Sæculo Eccleſiæ XV. celebrata multa Concilia Generalia?

M. Quinque Concilia Oecumenica, ſeu Generalia, Sæculo Eccleſiæ decimo quinto fuêre indicta, videlicèt Piſanum, Conſtantienſe, Senenſe, Baſileenſe, & Florentinum, quorum convocationis tempus, locum, Præſidem, Epiſcoporum numerum ac res præcipuas in his geſtas, nunc inquirere ac ſedulò expendere debemus. In primis, ut à Generalis Concilii Piſani Hiſtoria initium ſumam, certum eſt, iſtud Concilium ex toto Orbe Chriſtiano congregatum univerſalem Eccleſiam repræſentaſſe, illudque anno milleſimo quadringenteſimo nono fuiſſe celebratum ad Eccleſiæ unionem procurandam, compulſis *Gregorio XII.* & *Benedicto XIII.* in ſuis Obedientiis Pontificibus Maximis appellatis, ad ceſſionem Pontificatus,

quam

quam juraverant, aut Canonico judicio exauctoratis, novoque, unico, & legitimo Pontifice electo, cujus ſupremæ authoritati univerſa parêret Eccleſia. Perſtante in Eccleſia funeſto ſchiſmate, non à Papa, ſed ab utriuſque obedientiæ Cardinalibus in unum Collegium unitis convocatum eſt Concilium Piſanum. Cùm enim *Petrus de Luna* dictus *Benedictus XIII.* & *Angelus Corarius*, nuncupatus *Gregorius XII.* diù de ſupremo contenderent Pontificatu, neuterque pro pacis Eccleſię bono cedere vellet, quamvis uterque ſua in electione promittendo, ſeſe ad ceſſionem juramento obſtrinxiſſet, nec alia ſupereſſet diri illius ſchiſmatis extinguendi via, Cardinales utriuſque Obedientiæ, tam diuturnæ moræ impatientes, à ſuo quique recedentes ſchiſmatico Papa, Piſas venêre, ibique tanto ut mederentur Eccleſiæ malo, eique de vero, ac indubitato providerent Capite, Generale hoc Piſanum indixerunt Concilium, & ambos de Pontificatu contendentes vocarunt, ejuſdem Concilii Decretis parituros. Litteras, quas Cardinales Obedientiæ *Petri de Luna*, dicti *Benedicti XIII.* ad ipſum dederunt die XIV. Julii anni MCCCCVIII. & quibus ipſum ad Concilium Piſanum vocant, edidit *Lucas Dacherius*, doctiſſimus Benedictinus Congregationis S. *Mauri*, Tomo VI. *Spicilegii* pag. 200. Eas etiam deſcribit Card. *De Aguirre* Tomo III. Conc. Hiſpaniæ pag. 631. Editæ ſunt etiam in eodem *Spicilegii* Tomo pag. 205. Litteræ, quibus iidem Cardinales Obedientiæ *Benedicti XIII.* convocant omnes Prælatos, & alios de ſua Obedientia ad idem Concilium Piſanum. In eodẽ deniq; Spicilegii Tomo pag. 215. editę ſunt Lit-

Litteræ Cardinalium *Angeli Corarii*, nuncupati *Gregorii XII.* quibus Obedientiæ ſuæ Prælatos, alioſque ad idem Concilium vocant, & in his rationes,ob quas Concilium Oecumenicum celebrare neceſſarium viſum eſt, luculentèr ac perſpicuè exponunt, & graviſſimis, invictiſſimiſque momentis probant, illud à Cardinalibus, utroque æmulo de Papatu contendente invito,convocari ac celebrari poſſe in tam deplorando Eccleſiæ ſtatu, cui non alitèr, quàm per celebrationem Concilii Generalis,præſentiſſimum remedium afferri poterat. *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCVIII. Num. XXXIII. exhibet Litteras, quas Cardinales Obedientiæ *Gregorii XII.* ad ipſum dederunt, eum adhortantes ut ad Concilium Piſis celebrandum accederet,pacem Eccleſiæ redditurus,ceſſione,quam juraverat & voverat. Verùm, hiſce Litteris *Angelus Corarius*,dictus *Gregorius XII.*nec ad cedendum Pontificatui, nec ad Concilium Piſanum præſentiâ ſuâ cohoneſtandum ullo pacto adduci potuit. *Petrus* verò *de Luna*, nuncupatus *Benedictus XIII.* Litteris, quas ejus Cardinales ad eum die XXIV. Septembris anni MCCCCVIII. dederunt, Tomo VI. Spicilegii pag.225.editas,quibus eum obſecrabant atque obteſtabantur, ut ad Piſanum Concilium accederet, ſubdolè reſpondit per Litteras,à Card. de *Aguirre* Tomo III. Conc. Hiſp. pag.604.deſcriptas, ſe Concilium Generale Perpinianum convocaſſe, ibi de mediis ad unionem Eccleſiæ promovendam utilibus deliberaturum: ad illud itaque accederent ſuas rationes declaraturi. Hæc *Petri de Luna*,dicti *Benedicti XIII.* Reſponſio data die XVII. Novembris inſerta eſt in ſæpè laudato Tomo VI. Spi-

Spicilegii pag. 232. Poſt has ab utroque Cardinalium Collegio ſcriptas Epiſtolas, & miſſos ad Principes Chriſtianos in Gallias, Angliam, & Germaniam Legatos, qui eos ad favendum Concilio Piſis indicto hortarentur, utque Ditionum ſuarum Præſules ad illud accedere permitterent, Oratoreſque deſtinarent; inchoatum eſt Concilium Piſanum die xxv. Martii anni MCCCCIX. cui præfuit Cardinalis Pictavienſis, utriuſque Collegii Decanus. Adfuerunt XXII. Cardinales, quatuor Patriarchæ, ſcilicèt Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, & Gradenſis; Archiepiſcopi duodecim per ſe ipſos, & totidem per Procuratores; Octoginta Epiſcopi, & duo ſupra centum aliorum Procuratores, cum innumeris aliis Monaſteriorum Præpoſitis, Abbatibus, trecentis & ampliùs in Theologia, & Jure Canonico Doctoribus, nec non Academiarum Pariſienſis, Toloſanæ, Aurelianenſis, Andegavenſis, Monſpelienſis, Bononienſis, Florentinæ, Cracovienſis, Viennenſis, Pragenſis, Colonienſis, & Cantabrigenſis Deputatis, variiſq; Regum, Principumque Legatis. Præmiſſis omnibus initio Conciliorum ſervandis, habitum eſt Concilium Piſanum, quod XXIII. Seſſionibus fuit abſolutum. Non permittit noſtrorum Colloquiorum brevitas, ut omnia, quæ in ſingulis Seſſionibus geſta ſunt, minutatim proſequamur, quapropter, potiora ſeligere ſufficiet, reliqua verò in ipſis Actis, ſi tibi aliquandò per otium liceat, legere poteris. Seſſione primâ electi ſunt Concilii Officiarii & Procuratores, qui Univerſalis Eccleſiæ nomine contra duos de Pontificatu contendentes *Benedictum XIII.* & *Gregorium XII.* agerent, hiſque

poſtulantibus, poſt triplicem citationem *Benedicti*, & *Gregorii* de Summo Pontificatu contendentium, primâ, ſecundâ,& tertiâ Seſſione ad Valvas Eccleſiæ factam, tertiâ tandem Seſſione contumaces, quòd non comparerent, declarati ſunt his verbis: *Sancta Synodus Dominum Petrum de Luna, Benedictum XIII.nominatum,Dominum Angelum Corario,Gregoriũ XII.nũcupatũ de Papatu contendentes, & quàtùm in eis eſt, Eccleſiá Dei notoriè in ſchiſmate tenentes, legitimè requiſitos, vocatos, & provocatos in cauſa ſchiſmatis & Fidei ad hoc præſens ſanctum & Generale Concilium, & omnia in eo agenda non venientes, ſeu legitimè non comparentes per ſe vel per alios, nec termino ſtatuto ſatisfacientes, licèt expectatos poſt terminum per duas Seſſiones, reputat, decernit,& declarat in cauſa ſchiſmatis & Fidei contumaces; & ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi & procedendum fore.* In quarta Seſſione Rigenſis Archiepiſcopus, Wormatienſis Epiſcopus, & Electus Verdenſis, à *Roberto* Bavariæ Duce in Romanorum Regem electo miſſi, ad *Gregorii XII.* partes propugnandas, viginti quatuor propoſuerunt difficultates adversùs ea, quæ contra *Gregorium XII.* à Cardinalibus geſta erant. Quæ difficultates, ſeu quæſtiones leguntur in Actis hujus Concilii Piſani ex Codice Gemmeticenſi primùm editis Tomo VI. *Spicilegii*, & deinde in Labbeana Conciliorum Editione, cum Reſponſionibus à *Petro de Anchorano* Doctore Bononienſi editis, ab eoque in eadem Synodo Piſana lectis Seſſione ſeptimâ. In ſequentibus Seſſionibus ſextâ, ſeptima & octava deputati ſunt à ſingulis Nationibus Commiſſarii, qui teſtes audirent,

rent, & Inſtrumenta examinarent utriuſque de Pontificatu contendentis cauſam ſpectantia, quamvis id neceſſe non eſſet ob Factorum evidentiam. Seſſione ix. pronuntiavit & decrevit Synodus, ex juſtis & rationalibus cauſis à *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* & *Angelo Corario*, nuncupato *Gregorio XII.* obſtinatis animis de Papatu contendentibus,& ab ipſorum obedientia licitum fuiſſe deſciſcere liberè & impunè,ex quo omnibus innotuit, eos non habere, vel non habuiſſe unquam veram ac ſinceram voluntatem tollendi ſchiſma, & uniendi Eccleſiam per viam juratam & ab Eccleſiã electam. Seſſionibus x. xi. & xii.publicè lecti ſunt contra duos æmulos de Pontificatu contendentes triginta ſeptẽ Articuli, & per teſtes idoneos,probati,atq;à Synodo notorii & manſeſtò Schiſmatici declarati. In Seſſione xiii. Magiſter *Petrus Plaoult*,Sacræ Facultatis Pariſiẽſis Doctor, poſteà Silvanectenſis Epiſcopus,& Sorbonę Proviſor, declaravit ex ejuſdem Academiæ Pariſienſis ſententia, ambos de Pontificatu contendentes cenſendos eſſe ſchiſmaticos, & Hæreticos pertinaces,& ab Eccleſia præciſos & abjectos,& quantùm opus eſſet, præcidendos & abjiciendos. Seſſione xv.lata ac promulgata eſt definitiva Sententia, quâ *Petrus de Luna*, ſeu *Benedictus XIII.* & *Angelus de Corario*, ſeu *Gregorius XII.* fuerunt declarati notorii ſchiſmatici, ſeu diuturni Schiſmatis nutritores, defenſores, approbatores, fautores, pertinaces, necnon Hæretici & à fide devii, atque ſecundùm Sanctos Canones à Papali dignitate amoti,& omnes fideles ab Obedientia eorũ abſoluti, ac tandèm omnes Proceſſus, Sententiæ ac

Cenſuræ ab eorum alterutro prolatæ, tanquam irritæ, invalidæ & planè nullæ & inanes rejectę ſunt. Vide tenorem illius ſententiæ definitivæ à Concilio Generali Piſano prolatæ contra *Petrum de Luna* & *Angelum Corariũ*, cõtendẽtes de Papatu, apud Card. *de Aguirre* Tomo III. Conc. Hiſpaniæ pag. 643. Seſſione XVI. Cardinales in verbo veritatis promiſerunt, quòd ſi quis ipſorum in Summum Pontificem eligeretur, præſens Concilium Generale Piſanum cõtinuaret, nec illud diſſolveret, aut diſſolvi permitteret. Si verò contingeret, ut aliquis Cardinalium abſentium ad Summum Pontificatum aſſumeretur, procurarent ut eâdem promiſſione ſeſe obſtringeret, antequàm ejus electio publicaretur. Seſſione XVII. Synodus, ad promovendam electionem Summi Pontificis, conceſſit Cardinalibus utriuſque Obedientiæ jus ſuffragii, etſi dubium moveri poſſet, quinam eſſent legitimi Cardinales. Seſſione XVIII. Cardinales numero XXIV. Conclave ſunt ingreſſi, & unanimi conſenſu in Summum Pontificem elegerunt *Petrum Philargi*, ſeu *De Candia* nuncupatum, Tituli SS. duodecim Apoſtolorum, Presbyterum Cardinalem, Ordinis FF. Minorum, qui in Pontificatu dictus eſt *Alexander V.* Decreto electionis promulgato, Pontifex concionem habuit, hoc ſumpto Themate: *Erit unum Ovile & unus Paſtor*, Dominicâ verò ſequente, quæ incidit in diem VII. Julii, ſolẽni ritu Pontifex Romanus inauguratus eſt. Sequentibus Seſſionibus prȩfuit *Alexander V.* Põtifex Maximus, qui, ut conſcientiarũ ſaluti conſuleret, omnes Cenſuras & Sententias tempore ſchiſmatis hinc inde latas, irritas declaravit, omneſque his Cenſuris

ac

ac Sententiis irretitos ad cautelam abſolvit. Omnes etiam & ſingulas diſpenſationes factas per duos æmulos de Summo Pontificatu contendentes, vel eorum alterum, ſeu eorum Prædeceſſores ſuper Matrimoniis & aliis caſibus, forum conſcientiæ ſpectantibus, eorum durante Obedientiâ, ratas habuit & confirmavit. Seſſione xx. *Alexander V.* Pontifex Maximus, omnes Cardinalium Proceſſus & Sententias à die tertia menſis Maii anni MCCCCVIII. confirmavit, duas Cardinalium factiones in unum Collegium reſtituit, Privilegia quædam, iis, qui Synodo intererant, conceſſit, & opus reformationis morum in ſe ſuſcepit. Deniq; Seſſionibus XXI. XXII. & XXIII. omnes Electiones, Collationes, Inſtitutiones, Promotiones, Conſecrationes, & Ordinationes, durante ſchiſmate, factas, modò aliàs Canonicæ eſſent, ratas habuit *Alexander V.* Legibus etiam agendum decrevit contra obedientes & pertinacitèr adhærentes *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* & *Angelo Corario*, nuncupato *Gregorio XII.* ceu contra fautores Hæreticæ pravitatis. Synodum alteram Oecumenicam intra triennium celebrandam indixit, Provincialia tamen Concilia ſuper negotio morum reformationis velùt in anteceſſum ubique congregari debere ordinavit. Omnibus, qui Concilio interfuerant, ejuſque Decretis adhærebant, Indulgentiam Plenariam conceſſit, infra duos menſes, & in articulo mortis applicandam. Poſtremò, ſtatuit idem Summus Pontifex mittendos eſſe Nuntios ad Reges & Principes ad promulgationem hujus Concilii Piſani, & executionem Decretorum ipſius ubique terrarum promovendam.

dam. Hæc ſunt in ſumma, quæ ſancita ſunt in Concilii Piſani Seſſionibus, de quarum tamen numero non certò conſtat. In Actis ſiquidem illius Concilii Piſani, quæ habentur in Biniana Collectione, quam nos ſecuti ſumus, viginti tres referuntur Concilii Piſani Seſſiones, ſed in Actis ejuſdem Concilii editis à D. *Luca Dacherio* Tomo VI. *Spicilegii* numerantur dumtaxat Seſſiones XXI. Nonnulli Scriptores, quos inter cenſentur *S. Antoninus* III. part. Chronicorum Tit. XXII. cap. V. parag. II. & Cardinalis *Cajetanus* Tractatu II. *de Auctoritate Papæ & Concilii*, Piſanam Synodum ut legitimam, & Oecumenicam non agnoverunt. Verùm, adversùs paucos illos Scriptores triplici momento invictè probari poteſt, Concilium Piſanum, ceù legitimum, & Oecumenicum, à Romana & univerſali Eccleſia habitum, receptum & approbatum fuiſſe. Primò, certiſſimè conſtat, Romanam & Univerſalem Eccleſiam in Concilio Conſtantienſi congregatam *Alexandrum V.* & *Joannem XXIII.* tanquam veros ac legitimos Pontifices agnoviſſe, cùm illud Concilium fuerit auctoritate *Joannis XXIII.* convocatum. Porrò, *Alexander V.* & *Joannes XXIII.* veri Pontifices non fuiſſent, niſi *Gregorius XII.* & *Benedictus XIII.* adhùc tum temporis ſuperſtites, legitimè depoſiti fuiſſent; nec profectò legitimè eſſent depoſiti, niſi Piſanum Concilium legitimum & Generale fuiſſet. Secundò, in dubium revocari non poteſt, quin Romana & univerſalis Eccleſia *Alexandrum V.* in Concilio Piſano electum, tanquàm verum & legitimum Pontificem Romanum agnoverit, & venerata ſit. Hic autem Summus Pontifex Concilium

lium Piſanum tanquàm legitimum & Oecumenicum bis approbavit & confirmavit, primò in fine ipſius Concilii Piſani, ut in Actis hujus Concilii à *Luca Dacherio* Tomo VI. *Spicilegii*, deinde in Labbeana Conciliorum Collectione legitur. Denuò idem Concilium Piſanum confirmavit Summus ille Pontifex poſt ejus celebrationem ſingulari Diplomate dato Bononiæ II. Kalendas Februarii anni MCCCCIX. quod legere eſt apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum Num. VII. Fuit ergò legitimum & Oecumenicum Concilium Piſanum. Poſtremò, ſi Concilium Piſanum, in quo *Alexander V.* Pontifex Maximus electus eſt, non fuiſſet legitimum & Generale, ſed ab Eccleſia eſſet reprobatum, omni procul dubio *Rodericus Borgia*, natione Hiſpanus, qui die XI. Auguſti anni MCCCCXCII. ad Summum Pontificatum provectus eſt, non ſe *Alexandrum Sextum*, ſed *Quintum* appellaſſet, cùm electio *Alexandri V.* non potuiſſet eſſe legitima, ſi ſemel Concilium Piſanum non fuiſſet Oecumenicum, ſed potiùs ab Eccleſia reprobatum. Cùm igitur *Rodericus Borgia*, Pontifex factus, ſe *Alexandrum Sextum* appellaverit, eumque ut verum Pontificem Romanum coluerit univerſalis Eccleſia, argumento eſt, tàm *Alexandrum VI.* quàm Romanam & univerſalem Eccleſiam, agnoviſſe, recepiſſe & approbaſſe Cōcilium Piſanum, in quo facta fuerat *Alexandri V.* Electio, tanquàm verum, legitimum, & Oecumenicum Concilium, cujus auctoritati refragari nulli fideli licitum eſt.

D. Concilium Piſanum fuiſſe legitimum & Oecumenicum Concilium invictis quidem rationibus probaſti: Optarem tamen, ut adduceres

&

& eâdem operâ confutares momenta, quibus permoti *S. Antoninus*, & Cardinalis *Cajetanus* in contrariam abierunt ſententiam.

M. Duplici potiſſimùm de cauſa S. *Antoninus*, & Cardinalis *Cajetanus* Piſanam Synodum ut legitimam & Oecumenicam non agnoverunt. Prima eſt, quòd Piſanum Concilium à nullo Summo Pontifice fuerit convocatum. Altera, quòd per Piſanum Concilium non fuerit extinctum ſchiſma, ſed potiùs novum ſuſceperit incrementum, cùm ab electione *Alexandri V.* factâ in Concilio Piſano uſque ad Conſtantienſe Concilium tres fuerint Pontifices, ſeu *Alexander V. Benedictus XIII.* & *Gregorius XII.* Concilium etiam Conſtantienſe admiſit Pontificatus ceſſionem, quam fecit *Gregorius XII.* quem proindè Patres Concilii Conſtantienſis judicarunt, non fuiſſe in Concilio Piſano legitimâ auctoritate depoſitum. His duobus momentis addunt nonnulli, Synodum Piſanam ab univerſa Eccleſia ſuſceptam, ac probatam non fuiſſe, quia Regna & Provinciæ, quæ *Benedictum XIII.* & *Gregorium XII.* tanquàm veros ac legitimos Pontifices agnoſcebant, ei non adhæſerunt. Verùm, hæc momenta nullius ponderis ſunt, ac nullo negotio dilui poſſunt. Nam primò, licèt inconfeſſo apud omnes eſſe debeat, Concilia Generalia Summi Pontificis auctoritate convocari debere, cùm verus eſt, legitimus ac certus Pontifex; negari tamen haud poteſt, quin in caſu ſchiſmatis, quandò videlicet duo de Pontificatu contendunt, & nulla alia via ad extinguendum ſchiſma ſuppetit, poſſit Eccleſia in Concilio Generali adunata cogere Pontifices tunc contendentes,

& pervicaciâ ſuâ ſchiſma foventes, ad renunciandum Pontificatui, & ſi recuſent, ſicuti recuſarunt *Benedictus XIII.* & *Gregorius XII.* tempore Concilii Piſani pacem & unitatem Eccleſiæ dare per viam mutuæ ceſſionis ab ipſis aliàs approbatæ, & juramento inviolabilitèr firmatæ; jus tum temporis habeat Eccleſia in Concilio Generali congregata illos, ut Schiſmatis fautores, exauctorandi, ſicut poſteà factum eſt in Concilio Conſtantienſi, in quo *Joannes XXIII. Benedictus XIII.* & *Gregorius XII.* de Summo Pontificatu contendentes depoſiti fuerunt, & electus *Martinus V.* quem ut verum ac legitimum Pontificem univerſa agnovit & coluit Eccleſia. Sanè ſi Eccleſia in caſu Schiſmatis jus non haberet agendi in Conciliis Generalibus contra eos, qui pro Pontificibus ſe gerunt, ſeu de Pontificatu contendunt, & juratam ceſſionem exequi nolunt, ſicut reverà tempore Concilii Piſani noluerunt *Benedictus XIII. & Gregorius XII.* qui ſuâ colluſione, ambitione & pertinaciâ Schiſma fovebant; ſi, inquam, Eccleſia in caſu Schiſmatis id juris non haberet, Chriſtus Eccleſiæ ſuæ non ſatis proſpexiſſe videretur, cùm nullū in hoc caſu adversùs Schiſma ei remedium reliquiſſet. Cùm igitur duo æmuli de Pontificatu contendentes *Benedictus XIII.* & *Gregorius XII.* ſæpiùs rogati & interpellati fuerint, ut Eccleſiæ neceſſitati, quæ extrema id temporis erat, conſulerent, Schiſma per viam ceſſionis, quam promiſerant & juraverant, penitùs abolerent, nec tamen ipſi, ambitione abrepti, Pontificatui renunciare, nec convocationi Synodi Oecumenicæ ullo pacto acquieſcere vellent, jure merito Eccle-
ſia

ſia ſe ipſam in Concilio Generali Piſano congregavit, ut ſibi de certo & indubitato Capite provideret, & *Petrum de Luna*, dictum *Benedictum XIII.* & *Angelum Corarium*, nuncupatum *Gregorium XII.* qui Schiſma pervicaciâ ſuâ fovebant, exauctoraret. Verùm quidèm eſt, *Angeli Corarii*, dicti *Gregorii XII.* Pontificatus ceſſionem fuiſſe in Concilio Conſtantienſi admiſſam, non quòd Patres illius Concilii exiſtimarent, ejus exauctorationẽ in Concilio Piſano non eſſe legitimè factam, ſed quia, ad majus unionis & pacis Eccleſiaſticæ robur ac firmamentum, conſultius eſſe duxerunt, id tantilli ſolatii *Angelo Corario*, dicto *Gregorio XII.* dandum eſſe, ne intempeſtivâ juris diſcuſſione iterùm perturbaretur Eccleſiæ pax, aut ejus retardaretur unio. Sic Patres ejuſdem Concilii Conſtantienſis eâdem œconomiâ permiſerunt, ut idem *Angelus Corarius*, dictus *Gregorius XII.* per ſuum Legatum *Joannem Dominicum Raguſinum* Cardinalem Seſſion. 14. convocaret auctoritate ſuâ Concilium Conſtantienſe, non quòd eâ convocatione opus haberet ea Synodus Conſtantienſis ut legitima & verè Oecumenica eſſet (cùm jam prædicta Synodus fuiſſet à *Joanne XXIII.* Pontifice Maximo convocata, jàmque quatuordecim Seſſiones fuiſſent celebratæ) ſed quòd ad promptiùs & faciliùs procurandam Eccleſiæ pacem, id neceſſarium eſſe putarint Patres Concilii Conſtantienſis. Eâdem œconomiâ uſi ſunt Patres Concilii Conſtantienſis ergà *Ægidium Sancii Munionis*, quem, poſt mortem *Petri de Luna* Pſeudo-Pontificis, dicti *Benedicti XIII.* duo reliqui Schiſmaticæ illius partis Cardinales in Antipapam elegerant, nuncupatum

Cle-

Clementem VIII. Nàm quamvis hunc Antipapam eſſe certiſſimè conſtaret, ejus tamen ceſſionem, & ſpontaneam abdicationem admiſerunt Patres Concilii Conſtantienſis, permiſeruntque, ut ejus umbratici Cardinales *Martinum V.* ab Eccleſia univerſa legitimum Pontificem agnitum, eligerent, ut hoc pacto omnes Schiſmatis reliquiæ penitùs abolerentur. Alterum momentum, quo probatur Concilium Piſanum legitimum & Oecumenicum non fuiſſe, eò quòd Schiſma non ſuſtulerit, ſed potiùs auxerit; nullius planè momenti ac roboris eſſe debet, quia Concilium Piſanum Schiſma ſuſtulit, quantùm in ſe erat, exauctoratis videlicèt Schiſmaticis Pſeudo-Pontificibus, & legitimo Pontifice electo, quamvis utriuſque de Papatu contendentis, & Eccleſiæ judicio acquieſcere nolentis pertinaciâ Schiſma continuatum ſit, uſque ad Concilium Conſtantienſe. Quapropter, ſicut alia Concilia ad profligandas Hæreſes, vel ad extinguendum Schiſma Græcorum congregata, tanquàm legitima & verè Oecumenica recipiuntur in Eccleſia Catholica, licèt poſt eorum celebrationem graſſatæ ſint adhùc Hæreſes, nec ſublatum Schiſma Græcorum: ita pari utrobique ratione Piſanam Synodum, ceu legitimam & Oecumenicam recipere, venerari ac prædicare debemus, etſi Schiſma non extinxerit, cùm ad illud extinguendum fecerit quidquid jure poterat & debebat. Ultimum momentum, quo negatur, Synodum Piſanam eſſe legitimam & Oecumenicam, quia Regna & Provinciæ, quæ *Benedictum XIII.* & *Gregorium XII.* ceu veros Pontifices agnoſcebant, Synodo Piſanæ non adhæſerunt, ſed potiùs eam repro-

probarunt, hoc, inquam, momentum infirmum omninò ac invalidum eſt, quia Partes *Petri de Luna*, ſeu *Benedicti XIII.* & *Angeli Corarii*, ſive *Gregorii XII.* minimam nominis Chriſtiani portionem ab Eccleſiæ univerſæ corpore diviſam, & ab unico vero & legitimo Pontifice Romano, nimirum *Alexandro V.* & ab ejus Succeſſore *Joanne Vigeſimo tertio* diſtractam, atque Schiſmaticis & Pſeudo-Pontificibus adhærentē conſtituebant. Piſana verò Synodus univerſam repræſentabat Eccleſiam, & vero ac legitimo Pontifici, ſeu *Alexandro V.* adhærebat. Quò fit, ut ſicut in aliis Schiſmatibus, *Novatiani*, exempli gratiâ, contra S.*Cornelium* Papam, *Urſicinii* contra S.*Damaſum*, *Laurentii* contra *Symmachum*, *Petri Leonis* contra *Innocentium II.* *Octaviani* adversùs *Alexanrum III.* *&c.* hi, qui ſtabant à partibus Antipapæ, non impediebant, quominùs univerſa Eccleſia verum & legitimum Pontificem agnoſcere & colere cenſeretur; ita ſimilitèr illi, qui poſt Piſanam Synodum Schiſmaticis & Pſeudo-Pontificibus *Benedicto XIII.* & *Gregorio XII.* adhæſerunt, impedire non potuerunt, quin Eccleſia Concilium Piſanum, tanquàm Oecumenicum, ſuſcepiſſe, & *Alexandrum V.* in eo electum, cèu verum Pontificem Romanum, colere diceretur. Ex dictis itaque patet, negare haud poſſe legitimam & Oecumenicam eſſe Synodum Piſanam, in qua duo Cardinalium utriuſque Obedientiæ, videlicèt *Benedicti XIII.* & *Gregorii XII.* Collegia, poſt juramenta in Conclavi facta de omni operâ ac diligentiâ ad extirpationem Schiſmatis conferendâ, in unum Collegium ad unionem Eccleſiæ promovendam con-

convenerunt, jureque ſuffragii in electione *Alexandri V.* veri ac legitimi Romani Pontificis in eadem Synodo factâ potiti ſunt.

D. Cùm funeſtum iſtud Eccleſiæ Occidentalis Schiſma in Concilio Generali Piſano non fuerit extinctum, ſed potiùs, ut mox inſinuaſti, poſt illius celebrationem adauctum, & uſque ad Concilium Conſtantienſe prorogatum ſit; expedit modò, ut de Concilio Conſtantienſi, in quo hoc Schiſma tandem abolitum eſt, diſſeramus, & inquiramus in primis, à quo, & quandonam fuerit convocatum? Secundò, quid in eo pro extinctione Schiſmatis actum ſit? Tertiò, quid pro aſſerenda contra Hæreſes Catholicâ Fide definitum? Poſtremò, quid pro reſtauranda Eccleſiæ Diſciplina decretum ac ſtatutum ſit?

M. Depoſiti in Concilio Generali Piſano duo de Papatu contendentes *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus XIII.* & *Angelus Corarius*, nuncupatus *Gregorius XII.* auctoritati Concilii non paruerunt, ſed adhuc pro Summis Pontificibus ſe geſſerunt. Magna Hiſpaniæ pars *Petrum de Luna*, ſeu *Benedictum XIII.* tanquàm verum & legitimum Pontificem colebat; aliquæ verò Italiæ civitates *Angelo Corario*, ſeu *Gregorio XII.* ceù vero & legitimo Pontifici adhærebant errore facti, quòd putarent, Synodum Piſanam Oecumenicam non eſſe, ac ſubindè *Petrum de Luna*, ſeu *Benedictum XIII.* & *Angelum Corarium*, ſive *Gregorium XII.* jure in ea non fuiſſe depoſitos, nec in eorum locum legitimè in Summum Pontificem electum fuiſſe *Alexandrum V.* Gliſcente itaque magis quàm antehàc Schiſmate, & intrà annum è vivis erepto

Alexandro V. unico ac vero Pontifice, ſuffectus eſt in ejus locum *Joannes XXIII.* qui ubi primùm Pontificiam Cathedram conſcendit, de reſtituenda Eccleſiæ unitate, & de extinguendo Schiſmate, quod jam pridem inconſutilem Chriſti tunicam, ideſt, Eccleſiam, dilacerabat, ſollicitus; Concilium Generale an. MCCCCXIV. Conſtantiæ celebrandum indixit. Eſt autem Conſtantia perampla civitas Imperii, quam Rhenus interfluit, quamque amænus Conſtantiæ Lacus, dictus olim *Acronius*, alluit. Huic Concilio Generali Conſtantienſi interfuere Patres ferè mille, quos interfuerunt trecenti Epiſcopi, Patriarchæ quatuor, cum ipſo Imperatore *Sigiſmundo*, qui ad comprimendum Schiſma maximo pietatis & religionis ſtudio incenſus, non ſolùm Legatos circumquàque ad Principes & Reſpublicas miſit, ſed ipſemet Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Germaniam, & Italiam longis & moleſtis itineribus peragravit, neque priùs acquievit, quàm ſuis conſiliis, & continuis adhortationibus *Joannem XXIII.* ad indicendum apud Conſtantiam Concilium Generale adduxiſſet.

D. Præfuit itaque *Joannes XXIII.* Huic Concilio Generali Conſtantienſi, quod fuerat ab ipſo convocatum?

M. Initio Concilii Generalis Conſtantienſis, ſeu duabus prioribus Seſſionibus præfuit, ut legitimus Pontifex *Joannes XXIII.* Sed poſt ejus è Concilio receſſum, tertiæ præfuit Seſſioni *Petrus de Alliaco* Cardinalis Cameracenſis, quartæ verò Seſſioni præfuit *Jordanus* Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis *de Urſinis*; Cæteris Seſſionibus uſque

ad

ad *Martini V.* electionem eodem in Concilio Conſtantienſi factam, præfuit *Joannes* Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Vivarienſis, denique, quatuor ultimis Seſſionibus præfuit recens electus Pontifex Maximus *Martinus V.* Sed ut magis perſpectam habere poſſis cauſam, ob quam *Joannes XXIII.* duabus tantùm prioribus Concilii Conſtantienſis Seſſionibus præfuerit, neceſſe eſt, ut hìc brevitèr exponam ea, quæ geſſit *Joannes XXIII.* in his duabus prioribus, quibus præfuit, Concilii Conſtantienſis Seſſionibus, dein, deſcribam omnia, quæ ſpectant ejuſdem *Joannis XXIII.* à Concilio Conſtantienſi fugam, illius depoſitionem in eodem Concilio factam, ac tandem electionem *Martini V.* quem, ut verum, unicum ac legitimum Pontificem univerſa agnovit, ſuſcepitque Eccleſia Catholica. Et primò quidèm, *Joannes XXIII.* præfuit Seſſioni primæ Concilii Conſtantienſis, quæ die XVI. menſis Novembris anni MCCCCXIV. habita eſt, & in ea Sermonem ad Patres habuit, quo illos adhortatus eſt, ut ad procurandam Eccleſiæ pacem omnem darent operam, ſuaſque omnes curas ac cogitationes conferrent. Poſteà, in eadem Seſſione lectum eſt à *Franciſco* Cardinali Florentino Diploma convocationis Concilii Conſtantienſis, ac tandem ejuſdem Concilii Miniſtri & Officiales, præſertim Notarii ex qualibet Natione ſunt electi, Italicâ, nimirùm, Gallicâ, Germanicâ & Anglicanâ, ad quas poſteà Hiſpanica Natio quinta, relicto *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* acceſſit. In Secunda Concilii Conſtantienſis Seſſione, cui præfuit etiam *Joannes XXIII.* habitâ primâ menſis Martii anni MCCCCXV. Antiochenus Patriarcha

rogavit totius Concilii nomine Joannem *XXIII.* ut pro Eccleſiæ pacis bono Pontificatui cederet,ſi alii ejus æmuli, videlicet *Benedictus XIII.* & *Gregorius XII.* Pontificatum ſimilitèr abdicarent, vel quotiès ejus ceſſione Eccleſiæ unio procurari poſſet; quod non ſolùm ſe præſtiturum ultrò promiſit J*oannes XXIII.* ſed etiam ſolemne juramentum ac votum eâ de re die 2. menſis Martii ejuſdem anni MCCCCXV. edidit coram Synodo, dùmque legeret hæc verba in Schedula, *Spondeo, promitto, voveo, & juro Deo*, flexit genua versùs Altare, ponendo manus ad pectus, & addidit hæc verba: *Et ita promitto obſervare*. Quæ cùm audiſſet *Sigiſmundus* Imperator, qui præſens Concilio aderat, confeſtim *Joanni XXIII.* gratias egit, & depoſitâ coronâ, flexiſque genibus, pedes ejus oſculatus eſt. Idem poſt *Sigiſmundum* Imperatorem nomine Concilii præſtitit Antiochenus Patriarcha, ac demùm confectum eſt eâ de re Diploma Pontificium, quod exhibent Acta Concilii Conſtantienſis in MS. Codice Regalis Abbatiæ Sancti *Victoris* Pariſienſis, & Monachus Sandionyſianus in Hiſtoria *Caroli VI.* Galliarum Regis. Promiſſis haùd ſtetit *Joannes Vigeſimi tertii*; quippè qui, cùm à Concilio, & à *Sigiſmundo* Imperatore urgeretur ad conſtituendum pro ceſſionis executione Procuratorem, videretque evanuiſſe omninò illam ſpem, quâ ſibi blandiebatur, fore ut, duobus ejus æmulis *Benedicto XIII.* & *Gregorio XII.* in Concilio dejectis, ſolus ipſe Summus ac legitimus Pontifex declararetur, ut rebus ſuis conſuleret, & ab omni vi ſecurus eſſe poſſet, è Concilio ſurtim ſe ſubripuit,

aoiit,

abiit, exceſſit, evaſit, erupit, & diſſimulato habitu, operâ *Friderici* Ducis Auſtriæ, quîcum rem occultè communicaverat, Scaffuſam, Oppidum ejuſdem *Friderici* ab Urbe Conſtantienſi quatuor milliaribus diſiunctum, aufugit, ne Pontificatu, juxtà Promiſſa, ſe abdicare cogeretur, ibique Litteras ad Principes dedit, quibus ſuum à Concilio receſſum excuſavit, moxque in Caſtrum *Louffemberg* Diœceſis Baſileenſis, ac paucis poſt diebus *Friburgum*, ditionis *Friderici* Ducis Auſtriæ, ſeſe recepit, ut indè evolaret ad *Joannem* Ducem Burgundiæ, hominem, ut in ſuperioribus Colloquiis obſervavimus, natum non ſolùm in Galliarum Regni, ſed etiam in univerſæ Eccleſiæ perniciem. Huic conſpirationi adversùs Concilium Conſtantienſe, initæ inter *Joannem XXIII.* *Fridericum* Ducem Auſtriæ & *Joannem* Burgundiæ Ducem, ſe conſtanti animo oppoſuit *Sigiſmundus* Imperator, quem Deus Optimus Maximus in his anguſtiis, quibus undique premebatur Eccleſia, ſuſcitaſſe videtur, & cujus ſi defuiſſet indefeſſus labor, omnia procul dubio in irritum corruiſſent, ipſumque Concilium Conſtantienſe in ventos abiiſſet. *Sigiſmundus* itaque Imperator *Fridericum* Auſtriæ Ducem, *Joannis XXIII.* receptatorem, armis aggreſſus eſt, eumque, ſubactis illius oppidis ac deletis copiis, tam ſtrenuè oppugnavit, ut tandèm eum adegerit ſub literis commeatus & ſecuritatis ad proficiſcendum Conſtantiam, ibique ſuppliciter veniam petendam. Venit ergò *Fridericus* Dux Auſtriæ cum Duce Bavariæ, & Burgravio Nuremburgenſi, ſeque & omnia ſua *Sigiſmundi* Imperatoris poteſtati permiſit, & ab eo veniam

 obti-

obtinuit, pollicitus cum jurejurando *Joannem XXIII.* reducere, dummodò utrique de vita, bonis & libertate poſt adimpletas pacis conditiones cautum eſſet. Intereà temporis, *Fridericus* obſes Conſtantiæ remanſit, *Joannes* verò *XXIII.* Friburgi Oppido Auſtriaco cuſtodiebatur, ne fugâ elaberetur, & poſteà ad Oppidum Cellæ duobus dumtaxàt milliaribus à Civitate Conſtantienſi diſtans ductus eſt, ibique diligentiſſimè cuſtoditus. Inquiſitores in *Joannem XXIII.* Seſſione IX. Concilii Conſtantienſis fuerunt nominati,& quinquaginta quatuor Articuli adversùs ipſum Seſſione X. objecti ac probati, qui in Seſſione XI. cùm lecti fuiſſent, ipſique *Joanni XXIII.* ut ad illos reſponderet, communicati eſſent, hoc Reſponſum *Joannes XXIII.* pacis Eccleſiæ promovendę ſtudioſiſſimus, dedit: *Volo quod Concilium ſit defenſio mea, quod ſcio errare non poſſe, nec alia defenſione quacumque uti volo.* Cùmque ad audiendam Sententiam dies ipſi craſtina diceretur, reſpondit: *Summè mihi placet Sententia ipſa, quam cum omni reverentia, etiàm cum bireti mei depoſitione recipiam, eamque, (quantùm in me fuerit) confirmabo.* Tandèm Seſſione XII. ejuſdem Concilii Conſtantienſis lata eſt in *Joannem XXIII.* depoſitionis Sententia, propter ipſius clandeſtinum, & ſcandaloſum, noctu, habituque indecenti è Concilio receſſum, pacis & unionis Eccclefię turbativum,Schiſmatis inveterati nutritivum, à voto, promiſſione & juramento per ipſum *Joannem XXIII.* Deo & Eccleſiæ præſtito deviativum; decretumque eſt inſuper, ne *Balthaſar Coſſa*, nupèr *Joannes Papa XXIII.* vel *Angelus de Corario*, ſeu *Gregorius XII.* vel

vel *Petrus de Luna*, ſive *Benedictus XIII. in ſuis Obedientiis ſic nominati*, in Pontifices iterùm eligerentur, quod ſi fieret, totum irritum eſſet & inane. *Hæc* depoſitionis *Sententia uno omnium Concilii Patrum conſenſu approbata*, inquit *Spondanus* ad annum MCCCCXV. Num. XXXVII. *cùm fuiſſet ad Joannem XXIII. perlata, eamdem ipſe quoque Cellæ ultima Maji inſtrumento publico ratam habuit ſe nunquam contra eam quidquam acturum; purèque, ſimpliciter ac liberè Papatui ceſſit ac renunciavit, depoſitis omnibus ornamentis Papalibus. Quæ omnia Actis editis continentur.* Exemplum *Balthaſſaris Coſſa*, dicti *Joannis XXIII.* paulò poſt ſequutus eſt *Angelus de Corario*, nuncupatus *Gregorius XII.* quippè qui Seſſione XIV. Concilii Conſtantienſis renunciavit, ceſſitque Pontificatui per Procuratorem ſuum *Carolum de Malateſtis*, Arimini Principem, quam ceſſionem ratam habuit Concilium, & cantato hymno *Te Deum laudamus* &c. gratiarum actionem Deo ſolemnitèr rependit. Suæ abdicationi biennio ſupervixit *Angelus de Corario*, dictus antea *Gregorius XII.* & paulò ante *Martini V.* Pontificis Maximi electionem è vivis exceſſit, non quidem Arimini, ut ait S. *Antoninus*, ſed Recaneti anno MCCCCXVII. ut videre eſt in ejus Epitaphio apud *Onuphrium* in Additionibus ad *Platinam*. In eadem Seſſione XIV. ediderunt Patres Conſtantienſes Decretum de requirendo *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* qui ſolus contendentium Pontificum poſt *Joannis XXIII.* & *Gregorii XII.* abdicationem ſupererat, ut eamdem ceſſionem à ſe totiès juramento promiſſam intra decem dies exequeretur: quod ni præſtaret, eum ex tunc declararunt Pa-

tres Conſtantienſes, fuiſſe & eſſe Schiſmaticum incorrigibilem, & pertinacem, Hæreticum, omnique honore & dignitate abjectum & privatum. Ad hanc ceſſionem à *Petro de Luna*, ſeu *Benedicto XIII.* faciliùs obtinendam (ſine qua *Joannes Gerſonius*, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, ex Pſalmo LXXI. lepidè in Concilio dicere conſueverat, non futuram Eccleſiæ pacem, *donec auferretur Luna*) Imperator *Sigiſmundus*, poſt acceptam à Concilio Conſtantienſi benedictionem, profectus eſt *Niciam*, Urbem Gallo-Provinciæ colloquio deſtinatam, ad quod *Ferdinandus* Rex Aragoniæ unà cum *Petro de Luna* eâ de cauſa convenire debebant. Sed cùm *Ferdinandus* ob ægritudinem, quâ conflictabatur, huic ſe profectioni accingere haud poſſet, ad amoliendum id obſtaculum *Sigiſmundus* Imperator Perpinianum ſe contulit, ibique cum *Ferdinando* Aragoniæ Rege, & cum *Petro de Luna* de perficiendo Sanctiſſimo Eccleſiæ unionis ſuſcepto negotio longos ſermones habuit. Principio quidem *Petrus de Luna* proteſtatus eſt, nihil ſibi æquè in votis eſſe & unquàm fuiſſe, ac illam deſideratiſſimam Eccleſiæ unionem. Sed aliud in fronte, aliud in corde gerebat vaferrimus ille Sycophanta. Tot enim conditiones omni rationi oppoſitas, immò impoſſibiles ad rem exequendam exegit *Petrus de Luna*, tot Privilegia ſingularia, immanem ambitionem fætentia, quæ antehâc nec propoſita, nec audita fuerant, depopoſcit, tot denique ſubterfugiis, tergiverſationibus, deluſionibus, atque ambiguitatibus, ceſſioni Pontificatus, cui duo jam æmuli in Concilio Conſtantienſi ſuo exemplo præiverant, refragatus eſt; ut *Sigiſmun-*

dus

dus Imperator dirempto Colloquio, rêque infe-ctâ recedere coactus ſit; *Petrus* verò *de Luna*, qui nonniſi litteris commeatus præmunitus ad hunc congreſſum acceſſerat, Paniſcolam ſuam, ſive Oppidum Regni Valentini, ad maris oram rupi impoſitum,& præſidio munitum,cum ſuis in Schiſmate obduratis ac juramento ſibi adactis ſe ſe receperit. Tum *Ferdinandus* Rex Aragoniæ ab obedientia *Petri de Luna*, pervicaciſſimi, atque intolerabilis arrogantiæ hominis, ſe ſe ſubtraxit, conſilio præſertim motus Sancti *Vincentii Ferrerii*,Ordinis Prædicatorum, qui anteà *Petri de Luna*,dicti *Benedicti XIII.* Partes ſecutus, author fuerat Regibus Aragoniæ ei adhærendi, quamdiù verbis eluſoriis jactaret, ſe nihil tam cordi ac curæ habere, quàm ut promoveret, propriâ ſui abdicatione, Eccleſiæ unionem. At, ſtatim ac *Vincentius Ferrerius* obſtinationem ac malas *Petri de Luna* artes perſpectas habere cœpit, *Ferdinando* Regi Aragoniæ perſuaſit, ut ab obedientia *Petri de Luna*, dicti *Benedicti XIII.* ſe ſubduceret,Edictumque publicaret, quo ſuis ſubditis diſtrictè inhiberet, ne ullam cum *Petro de Luna*, quaſi Pontifice, adhæſionem quocumque prętextu haberent.Hanc Regis *Ferdinandi* ab Obedientia *Petri de Luna* ſubtractionem ipſemet *Vincentius Ferrerius* Perpiniani coram Rege infirmo, ejuſque filio primogenito, multâ nobilitate, & ingenti populi multitudine, ſermone habito, legit ac promulgavit. Tanta porrò erat id temporis *Vincentii Ferrerii* ſanctitatis ac eruditionis fama, ut Patres in Concilio Generali Conſtantienſi ad tollendum Schiſma trium de Pontificatu contendentium congregati

gati, ſingulari honore ac cultu, quem nemini hactenus ex ullo Ordine Viro religioſo exhibitum legimus, illum proſecuti fuerint, miſſis Legatis, qui eum rogarent, ut ad Concilium veniret, ſi liceret; idque *Joannes Gerſonius*, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, qui Concilio Conſtantienſi præſens aderat, ſcriptâ ad eum Epiſtolâ, quæ adhùc inter ejus Opera extat, perſuaſerit: aut ſi per ſalutem animarum, cui vocatione inſolitâ jam à multis annis incumbebat, non eſſet illi integrum ad Concilium accedere, ſaltem iis, quæ miſſi Conſultores quærerent, reſpondere, ſuumque ſenſum aperire non graveretur. Hæc Epiſtola *Joannis Gerſonii*, Facultatis Pariſienſis Cancellarii, miſſa è Concilio Conſtantienſi ad *Vincentium Fererrium*, & data die IX. menſis Junii anni MCCCCXVII. legitur pag. 658. Tom. 2. Operum *Joannis Gerſonii* poſtremæ Antuerpienſis Editionis anni MDCCVI. eamque ex MS. Codice Cæleſtinorum Metenſium deſcriptam eruditus P. *Edmundus Martene*, Congregationis *S. Mauri* Monachus, inſeruit Tomo I. *Theſauri novi Anecdotorum*, quem nuperrimè publicâ luce donavit, paginâ 1749. ipſe verò partem hujus Epiſtolæ hîc deſcribam, ut indè magis tibi innoteſcere poſſit ſanctitatis & eruditionis fama, quam *Vincentius Ferrerius*, etiam dùm viveret, ſibi in univerſa Eccleſia comparaverat:

Nominatiſſimo Doctori & Prædicatori zelanti ſalutem animarum Magiſtro Vincentio de Ordine Prædicatorum, Patri meo in Chriſti Charitate dilectiſſimo.

Tanta de Virtutibus tuis, Doctor egregie, fama re-

referente, crebriùs accepi, tanta ſpecialiter in collocutione familiari cum Reverendo Patre Domino Generali tui Ordinis Prædicatorum agnovi, ut mihi videaris rectè figuratus ſecundùm nomen tuum per illud Apocalypſis, quo ſpeculator totius Eccleſiaſtici decurſus Joannes (*Apoc. cap.* 2. *verſ.* 2.) *ait*: Vidi & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiit vincens ut vinceret. *Exiſti quidem ut vinceres, O Vincenti glorioſe, ſed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, apparatu bellico? quali arcu tu tandem ipſe coronatus triumphares? Reſpondet ille, cujus imitator es, Paulus, dicens: Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia cum reliquis ſimilibus qualia melius eſſe noſti. Suppetunt hoc loco plurima cordi meo, quæ libentiùs & forſan utiliùs verbo ore ad os, quàm calamo muto reſerarem tuæ ſapientiæ, niſi quod aliorſum me trahunt occupationes aliæ. Et quia te gravibus aſſiduè laboribus intentum protrahere longa Scriptorum ſerie non viſum eſt ſatis æquum vel modeſtum; hoc unum, quod in votis nedùm meis, ſed quam plurimorum verſatur, aperiam. Reddunt tuæ charitati, tuoque zelo pacis Eccleſiaſticæ teſtimonium hoc inſigne, hoc celeberrimum præconium tùm multi, tùm nominatim præfatus Magiſter ac Dominus Generalis, quòd in inclyto Aragonum Regno nunquam fuiſſent concordata pacis capitula, nunquam ſubſtractio, quæ tam utilitèr & legitimè facta eſt ab illo nimis, proh dolor! erga Matrem Eccleſiam obdurato Petro de Luna, fuiſſet attentata, ſi non auctoritatis tuæ pondus & conſilii robur addidiſſes, cujus facinoris tam egregii nos ipſi Sacro Generali Concilio præſentes, deſideratiſſimæ pacis annis jam fermè quadraginta mi-*

miſerabiliter exulantis fructum, & reditum proximum expectamus. Et o te felicem! ter quaterque beatum, ſi præſentialitèr adeſſe, ſi non creditu ſolo, ſed propriis oculis coram cernere volueris propinquam velut in januis Summi Pontificis electionem; Si videlicet efficaci celeritate, ſepoſitis interim turbis, jucundam tuæ præſentiæ faciem huic eidem Sacro conſpiciendam Concilio attuleris. Fructum, ni fallor, ampliorem ex te tuis monitionibus digniorem afferres, quàm ſi hoc neglecto permanſeris in inceptis. Memineris Beati Pauli ad Galatas (cap.2. verſ.2.) Scribentis: deinde, ait: *poſt annos* XIV. *aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba & Tito, & contuli cum illis Evangelium meum, quod prædico in gentibus, ſeorſum autem his, qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem. Hoc ſatis pro tua re dictum puto. Eſt ſiquidem apud nos altera velut Jeroſolyma, ſcilicèt Apoſtolorum ſucceſſores Reverendiſſimi & Deo amabiles Prælati, ſcilicèt Legis Doctores, cum quibus tuam ipſe prædicationem conferre tam ſalubritèr, quàm humilitèr poteris, ut interim ſileam de alio profectu multiplici ſperato, ſi veneris &c.* Sed revertamur ad *Petrum de Luna*, qui licèt à *Ferdinando* Rege Aragoniæ deſtitutus, animo tamen non concidit, ſed potiùs audacior factus, ſuis familiaribus convocatis graviter proteſtatus eſt, ſe unum eſſe in univerſa Eccleſia legitimum Pontificem, & ut ſuæ dignitatis jura tuеretur, non ſolùm *Ferdinandum* Aragoniæ Regem, qui ab ejus Obedientia ſe ſubtraxerat, excommunicatione perculit, ſed etiam Regno Aragoniæ, omnique aliâ ditione illum abdicavit, ac cunctis prohibuit ei, quaſi Regi, ſubeſſe ac obtempe-

rare

rare, ſub pari, quâ in illum animadverterat, anathematis pœna. Hæc *Petri de Luna* in retinendo Pontificatu contumacia publicis inſtrumentis eâ de re confectis liquidò probata cùm ad Patrum Concilii Conſtantienſis notitiam perveniſſet, ejus cauſam agitare cœperunt à Seſſione vigeſima prima uſque ad Seſſionem trigeſimam octavam, ac tandem Seſſione XXXVII. quæ habita eſt die XXVI. menſis Julii anni MCCCCXVII. & cui de more præfuit *Joannes* Cardinalis Oſtienſis, interfuitque *Sigiſmundus* Imperator, poſt multiplices citationum Libellos, teſtium auditiones, aliaque ritè & juridicè acta, lata eſt in *Petrum de Luna*, dictum in ſua Obedientia *Benedictum XIII.* definitiva depoſitionis ſententia, eumque tanquàm perjurum, fautorem & nutritorem inveterati Schiſmatis, pacis & unionis Eccleſiæ impeditorem, & perturbativum, Schiſmaticum & Hæreticum; Articuli Fidei, *Unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*, violatorem pertinacem, cum ſcandalo Eccleſiæ Dei, incorrigibilem notorium & manifeſtum, ac omni titulo, gradu, honore indignum, à Deo ejectum ac præciſum, omni jure in Pontificatu quomodolibèt illi competente privatum, & ab Eccleſia Catholica tanquàm membrum aridum præciſum, Sacra Conſtantienſis Synodus pronùnciavit, omneſque Chriſtianos ab ejus Obedientia, juramentis, obligationibus ei quomodolibèt præſtitis abſolvit ac liberos eſſe declaravit. His peractis, Patres Concilii Conſtantienſis Seſſione quadrageſimâ, quæ die XXX. menſis Octobris anni MCCCCXVII. Præſide *Joanne* Oſtienſi Epiſcopo Cardinali, habita eſt, decreverunt, ut, nihil obſtante Cardinalium

nalium *Petri de Luna* abſentiâ, ad novi Pontificis electionem procederetur, eaque forma pro hac vice tantùm ſervaretur, ut unà cum Cardinalibus ſex Prælati de ſingulis quinque Nationibus, Italica, Gallica, Anglica, Germanica, & Hiſpanica, in eadem Synodo tunc exiſtentes ad electionem Pontificis admitterentur, & ut quicumque à duabus partibus Cardinalium, ſimulque à duabus aliis partibus Nationum delegatorum foret in Summum Pontificem electus, is verus eſſet atque indubitatus Pontifex, cui omnes Nationes tenerentur obedire. Ad habendam itaque novi Pontificis electionem celebrata eſt die octavâ Novembris Seſſio quadrageſima prima, Præſide (ut in cæteris) *Joanne* Cardinali Oſtienſi, in qua poſt ſolemne Sacrum, aliaſque præmiſſas ſupplicationes, lectamque Conſtitutionem *Clementis Sexti*, quæ incipit, *Licet*, de modo & forma Conclavis, emiſſaque juramenta in ea præſcripta, nominati ſunt ex quinque Nationibus Electores, Cardinalibus iſtâ dumtaxat vice ad eligendum Romanum Pontificem adjungendi, qui omnes, ſeu Cardinales numero viginti, & triginta Electores à quinque Nationibus deſignati, Conclave in Domo Communitatis Urbis Conſtantienſis paratum ſunt ingreſſi, ac tertiâ poſt die, ſeu undecimâ menſis Novembris anni MCCCCXVII. concordibus ſuffragiis in Romanum Pontificem elegerunt *Odonem*, ſeu *Othonem Columna* ex nobiliſſima apud Romanos proſapia oriundum, & S. *Georgii* ad Velum aureum Diaconum Cardinalem, qui in honorem Sancti *Martini*, cujus eâ die Feſtum occurrebat, *Martinus* appellari voluit, hujus quidem nominis

Ter-

Tertius, vulgò tamen *Quintus* appellatus. Solemni ritu in Eccleſia Conſtantienſi die XXI. menſis Novembris ejuſdem anni Pontifex Romanus inauguratus *Martinus Quintus* ſequentibus Concilii Conſtantienſis Seſſionibus, ſeu XLII. XLIII. XLIV. & XLV. præfuit, & in ea poſtrema Seſſione quadrageſima quinta, quæ celebrata eſt die XXII. Aprilis anni MCCCCXVIII. abſolutum eſt Concilium Conſtantienſe, quod annis quatuor & ſex menſibus duraverat. Indulgentiam Plenariam ſemel in Vita, & ſemel in morte his omnibus, qui Concilio interfuerant, conceſſit *Martinus V.* Pontifex Maximus, rogatuſque ut Concilii Conſtantienſis decreta confirmaret, reſpondit ore proprio, poſteà per Concilii Advocatum iterari juſſit: *Quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens Sacrum Generale Concilium Conſtantienſe conciliaritèr teneri, & inviolabilitèr obſervari volebat, & nunquam contravenire quoquo modo, ipſaque ſic conciliaritèr facta approbat & ratificat.* Quam in rem obſervat *Spondanus* in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum MCCCCXVIII. Num.V. *Martinum V.* per hæc verba, *Decreta in materiis Fidei conciliariter in Concilio facta,* innuere voluiſſe, ſe auctoritate Apoſtolica non approbare ea, quæ in ejuſdem Concilii Decretis Seſſionum IV. & V. de auctoritate Concilii ſupra Pontificem, & de poteſtate reformandi Eccleſiam tam in Capite, quàm in membris fuerant ſtatuta. *Quamquam tamen*, inquit, *hæc poſſent ita intelligi, ut duobus caſibus, de quibus tunc agebatur, emineret abſque ulla dubitatione Concilium ſupra tres illos, qui de Pontificatu contendebant: nimirùm quòd incer-*

tum

tum eſſet, quis eorum verus exiſteret Pontifex, & quòd ſinguli eorum ſeſe abdicationi Pontificatus ſubjeciſſent, quotieſcùmque ritè deliberatum eſſet, quis verus exiſteret, ita ut Sedes Apoſtolica vacare cenſeretur, ac proindè ritè Concilium vel unum contendentium confirmandi, vel alium eligendi auctoritatem haberet. Robertus Cardinalis *Bellarminus* Libro 2. *De Conciliorum* auctoritate Cap. 19. docet, Concilium Conſtantienſe Seſſionibus IV. & V. *non abſolutè definiiſſe Concilia Generalia habere à Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices, ſed tantùm in caſu, ideſt, tempore Schiſmatis, quandò neſcitur, quis ſit verus Papa, nam dubius Papa habetur pro non Papa, & proindè habere ſuper illum poteſtatem, non eſt habere poteſtatem in Papam.* Et infrà ſubdit: *Etſi Concilium ſine Papa non poteſt definire nova Dogmata Fidei, poteſt tamen indicare tempore Schiſmatis quis ſit verus Papa, & providere Eccleſiæ de vero Paſtore, quandò is nullus aut dubius eſt, & hoc eſt, quòd rectè fecit Concilium Conſtantienſe.* Idem cum *Bellarmino* aſſerunt Cardinalis *Turrecremata*, *Sanderus*, & *Campegius*, ut videre eſt apud *Odoricum Raynaldum* in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum MCCCCXV. Specialem etiam Diſſertationem de Decretis Seſſionum IV. & V. Concilii Conſtantienſis edidit *Emmanuel Schelſtratius*, in qua quatuor potiſſimùm argumentis probat, Decreta harum Seſſionum dubiæ eſſe auctoritatis, primò, quia Decretum Seſſionis IV. Concilii Conſtantienſis, prout ad nos pervenit, genuinum non eſt. Secundò quia Decreta Seſſionum IV. & V. ſine debita & communi deliberatione ab una tantùm Obedientia, videlicèt *Joannis XXIII.* eâque non inte-

integrâ, edita ſunt, proteſtantibus etiàm contra illa Cardinalibus, & Galliæ Regis Oratoribus. Tertiò, quia Concilium Conſtantienſe Seſſionibus IV. & V. non ſufficientèr univerſam repræſentabat Eccleſiam. Poſtremò, quia nec Patres Conſtantienſes, poſt trium Obedientiarum unionem, nec *Martinus V.* Pontifex Maximus, hæc Seſſionum IV. & V. Decreta unquàm confirmarunt. Hæc ſunt *Emmanuelis Schelſtratii* argumenta, quæ, ne longior ſim, aliis Viris eruditis tractanda ac diſcutienda relinquo, nec plura addam his, quæ de Seſſionibus IV. & V. Concilii Conſtantienſis obitèr dumtaxàt & hiſtoricè retuli.

D. Magnam profectò laudem promerentur Patres Concilii Conſtantienſis, qui infeſtum illud ac diuturnum Schiſma, quo diſcindebatur Eccleſia, tandèm aliquandò extinxerunt, nec dubito, quin pari zelo accenſi ad vindicandam Catholicam Fidem, profligandoſque id temporis Hæreticos ſuam omnem impenderint operam.

M. In aſſerenda Fide Catholica, & in exterminandis Hæreticis, qui pernicioſos errores temerario auſu ſpargebant, emicuit quammaximè Patrum Concilii Conſtantienſis zelus. In primis, Seſſione octava, Patres Concilii Conſtantienſis damnarunt doctrinam ac memoriam impii Hæreſiarchæ *Joannis Wikleffi*, ac præſertim ipſius Articulos quadraginta quinque, quorum alios ut notoriè Hæreticos, alios ut erroneos, quoſdam ut ſcandaloſos & Blaſphemos, quoſdam ut piarum aurium offenſivos, nonnullos, ut temerarios & ſeditioſos proſcripſerunt. Ejuſdem Hæreſiarchæ Li-

bros omnes, Tractatus & Scriptiones igne damnarunt. Damnationem inſuper ducentorum & ſexaginta Articulorum ejuſdem *Wikleffi* ab Univerſitate Oxonienſi factam approbarunt Patres Concilii Conſtantienſis, & illius Hæreſiarchæ oſſa exhumari, & procùl ab Eccleſiæ ſepultura ſecundùm Canonicas & legitimas ſanctiones projici debere juſſerunt. Confixis erroribus *Joannis Wikleffi*, Patres Concilii Conſtantienſis Decretum ediderunt Seſſione XIII. de Communione ſub unica ſpecie à Laicis, iiſque jejunis ſumendâ, adversùs Bohemos Huſſitas, declararuntque hanc Conſuetudinem ſumendi Communionem ſub unica ſpecie ad evitandum pericula & ſcandala legitimè in Eccleſiam fuiſſe introductam, licèt in primitiva Eccleſia Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie Fidelibus porrigeretur, cùm firmiſſimè credendum ſit, *integrum Chriſti Corpus & Sanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri: Undè cùm ejuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & Sanctis Patribus rationabilitèr introducta, & diutiſſimè obſervata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc conſuetudinem aut Legem obſervare, ſit Sacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerentes oppoſitum, tanquàm Hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi.* Præſulibus, etiam ſub pœna Excommunicationis, juſſerunt Patres Concilii Conſtantienſis, ut Presbyteros Communionem ſub utraque ſpecie miniſtrantes, tanquàm Hæreticos punirent, invocato etiam, ſi opus eſſet, brachii Sæcularis auxilio. Ventum eſt poſteà Seſſione XV. ad

Joan-

Joannem Huſſum, Hæreſiarchæ *Joannis Wikleffi* diſcipulum, cujus errores triginta, ac Libros damnarunt Patres Concilii Conſtantienſis, ipſeque tanquàm Hęreticus declaratus,& uti talis ab ordine Sacerdotali dejectus, & Curiæ Sæcularis judicio relictus, cùmque reſipiſcere nollet, ac ſuos ejurare errores, juſto judicio per ignem è vivis ſublatus eſt, ſicut in ſuperiori Colloquio oſtendimus. Triginta *Joannis Huſſi* errores à Patribus Concilii Conſtantienſis damnati, ad iſtos ſequentes revocari poſſunt. Primò, docebat, Eccleſiam conſtare ſolùm Prædeſtinatis, ac ſubindè præſcitos, ſeu reprobos, non eſſe partes, ſeu membra Eccleſiæ. Secundò, negabat, Summum Pontificem eſſe Caput viſibile Eccleſiæ Romanæ. Tertiò, aſſerebat, nullum eſſe Dominum Civilem, nullum eſſe Prælatum, nullum eſſe Epiſcopum, dùm eſt in peccato mortali. Quartò, dictitabat, Hæreticos, ſi corrigi noluerint, Sæculari judicio non eſſe tradendos, & Obedientiam Eccleſiaſticam, eſſe Obedientiam ſecundùm adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ. Quintò, effutiebat, ſingulos Sacerdotes jus & authoritatem prædicandi habere, illoſque à Prædicationis officio, non obſtante Excommunicatione, vel contrario mandato Papæ, abſtinere non debere. Propter hos & ſimiles alios errores, Hæreſiarcha *Lutherus* in Scripto, quod in fine Epiſtolarum *Joannis Huſſi* legitur,ait,*Joannem Huſſum magnis & excellentibus Spiritus Sancti donis ornatum, magnanimum fuiſſe, & fortem Chriſti Martyrem*, eumque *Scriptis,dictiſque ſuis doctrinæ Chriſtianæ conſenſiſſe, & Mortem pro aſſertione veritatis toleraſſe*. Poſteà ſubjungit: *Si pro Hæretico haben-*

dus eſt Joannes Hus , haud facilè quiſquam omnium , quos unquàm Sol vidit , verè Chriſtianus haberi poterit. Sed non animadvertit nefarius Hæreſiarcha *Lutherus*, quòd, dùm magnis præconiis *Joannem Huſſum* celebrat, ſeſe proprio gladio confodit ac jugulat. Conſtat ſiquidem ex his, quæ in ſuperiori Colloquio diximus, *Joannem Huſſum* propugnaſſe uſque ad extremum vitæ ſpiritum multa dogmata, quæ etiamnùm tenet ac docet Eccleſia Romana, videlicèt de ſeptem novæ legis Sacramentis, de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, de incruento Miſſæ Sacrificio &c. Quæ tamen dogmata ſe execrari palàm profitetur *Lutherus*. Quorsùm ergò ille Hæreſiarcha laudat *Joannem Huſſum*, aſſertorem multorum dogmatum, quæ ipſemet *Lutherus* tanquàm nefanda, impia, falſa & ſacrilega improbat, damnat, & deteſtatur in Eccleſia Romana. Certè *Menſura & menſura, pondus & pondus, utrumque abominabile Domino*. Sed miſſo Hæreſiarcha *Luthero*, qui nullibi ſibi conſtat, & calidum ac frigidum ſimul ex eodem ore perflat; alia percenſeamus, quæ Patres Concilii Conſtantienſis ad vindicandam contra Hęreticos Catholicam fidem decreverunt. Seſſione decimâ nonâ Concilii Conſtantienſis in Conſeſſum Patrum introductus *Hieronymus de Praga*, errores *Wickleffi*, & *Joannis Hus* ejuravit, & quidquid hactenus dixiſſet, eorum judicio ſubjecit, ſeque tuendæ Eccleſiæ Catholicæ veritati ſemper daturum operam profeſſus eſt, & Canonum ſeveritati obnoxium fore, ſi contrà ſentiret aut prædicaret. Verùm, in Hæreſim, quam ejuraverat, tanquam ad volutabrum ſus lota, cùm relapſus fuiſſet *Hieronymus*

nymus de Praga, damnatus eſt à Patribus Concilii Conſtantienſis Seſſione vigeſimâ primâ, & ſæculari poteſtati traditus, per ignem & rogum perire juſſus eſt. Mitto alios errores, videlicet *Matthæi Grabonis*, *Nicolai Serurarii*, & *Joannis Parvi*, quos proſcripſerunt Patres Concilii Conſtantienſis, de his quippè erroribus ſat ſuperque egimus in ſuperiori Colloquio.

D. Edideruntne Patres Concilii Conſtantienſis aliquas Leges, ſeu Decreta pro reformatione morum, & inſtauratione Eccleſiaſticæ Diſciplinæ?

M. Quod morum reformationis negotium attinet, maxima fuit in Concilio Conſtantienſi circà illud Cardinalium & Nationum diſſenſio. Nationes quippè Germanica & Anglica, urgente *Sigiſmundo* Imperatore, morum reformationem electioni Pontificis Maximi præmitti volebant; Cardinales verò cum Nationibus Italica, Hiſpanica, & Gallicana, priùs Romani Pontificis electionem fieri debere quàm morum reformationem contendebant, quia *ſi Reformatio fienda eſt de deformatis, quæ major eſt*, inquiebant, *aut eſſe poteſt in corpore deformitas, quàm carere Capite, & acephalum eſſe? illa igitur prior tanquam magis neceſſaria debet eſſe Reformatio, quæ corpus ipſum ad Caput reformet, & informet*. Id legitur in Proteſtatione ab ipſis factâ poſt Seſſionem XXXVIII. quam ex quatuor Codicibus MSS. edidit *Emmanuel Schelſtratius* Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus. Ob illam Cardinalium ac Nationum circà Reformationem morum diſſenſionem, de qua legi poteſt *Gobelinus Perſona* in fine ſui *Coſmodromii*, dilatum eſt iſtud

negotium uſque ad electionem *Martini V.* qui tandèm Seſſione quadrageſimâ tertiâ, ut Patrum Concilii Conſtantienſis Decreto de ſubmovendis multiplicibus abuſibus & reformandis moribus faceret ſatis, publicari juſſit aliqua Statuta de exemptionibus, unionibus & fructibus Beneficiorum; de Simonia, diſpenſationibus, decimis, & aliis oneribus Eccleſiaſticis; de Vita & honeſtate Clericorum, illorumque habitu & tonſurâ; de numero & qualitate Cardinalium; de ſcientia eorum, qui ad Epiſcopalem dignitatem provehuntur; de Reſervationibus Sedis Apoſtolicæ, de Annatis, & de aliis id genus. Cæterùm, ſcribit *Platina* in Vitis Romanorum Pontificum, ſeu in Vita *Martini V.* de componendis moribus nimiâ licentiâ jam labefactatis tam Laicorum, quàm Clericorum mentionem in Concilio Conſtantienſi factam quidem fuiſſe, ſed, cùm jam quartus ageretur Concilii annus, magno omnium Patrum, qui ei intererant, incommodo, placuiſſe *Martino V.* Pontifici Maximo rem tantam in aliud tempus magis idoneum transferre, eò maximè quòd unaquæque Provincia ſuos haberet ſenſus, ſuaſque conſuetudines, quæ tolli ſine perturbatione rerum ſubitò non poſſent. Ut autem de nimia procraſtinatione conquerendi locus eſſe non poſſet, *Martinus V.* Seſſione Concilii Conſtantienſis quadrageſimâ quartâ locum futuri Concilii Generalis, de omnium conſenſu, deſignavit Civitatem Papienſem, ad quam cuncti tempore indicto convenire deberent.

D. Fuitne reverà celebratum Concilium iſtud, quod ad reformationem morum *Martinus V.*

Seſſio

Seſſione quadrageſimâ quartâ Concilii Conſtantienſis indixerat Papiæ congregandum?

M. Elapſo poſt finem Concilii Generalis Conſtantienſis quinquennio, *Martinus V.* anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio miſit Papiam, ſeu Ticinum, Prælatos, qui Concilium inchoarent, videlicèt *Petrum Donatum*, Archiepiſcopum Cretenſem, *Jacobum*, Epiſcopum Spoletanum, *Petrum*, Abbatem *De Roſario* Aquilejenſis Diœceſis, Ordinis *S. Benedictini*, & *Leonardum de Florentia*, Magiſtrum Ordinis FF. Prædicatorum; Sedis Apoſtolicæ Nuntios, quos alii ſecuti ſunt Italiæ Præſules. Huic Concilio Papienſi datum eſt initium menſe Majo anni MCCCCXXIII. Sed, cùm nulli adhùc Epiſcopi Tranſalpini adveniſſent, & prætereà peſtiferâ lue Papienſe Cœlum eſſet infectum, conſultius viſum eſt *Martino V.* Pontifici Maximo mutare locum Concilii, illudque in Urbem Senenſem transferre, undè dictum eſt Concilium Senenſe.

D. Concilium iſtud Senenſe debetne inter Concilia Oecumenica, ſeu Generalia, annumerari?

M. Synodum Senenſem Conciliorum Generalium numero, jure merito accenſeri debere, quatuor, quæ hìc ſubjicio, momenta invictè probare videntur. Primum eſt, quòd *Martinus V.* Pontifex Maximus, in Epiſtola quam anno MCCCCXXIII. ſcripſit ad *Alphonſum* Aragoniæ Regem, Concilium iſtud Senas translatum appellet *Generale* his verbis: *Quia*, inquit in prædicta Epiſtola, *ex juſta cauſa translatio Concilii Generalis de Civitate Papienſi ad Civitatem Senenſem, per ipſum*

Concilium eſt decreta, & approbata per Nos, Excellentiam tuam rogamus, ut operam facias, quòd Prælati de Regnis tuis veniant ad reformandum cum cæteris Statum Eccleſiaſticum & libertatem Eccleſiæ conſervandam. Alterum momentum eſt, quòd ipſamet Synodus Senenſis ſe Oecumenicam inſcripſerit in conceſſione Indulgentiarum iis, qui Hæreticos ceperint,eoſque in poteſtatem Inquiſitorum aut Ordinariorum tradiderint. Sic enim habet: *Sacroſancta Synodus Senenſis in Spiritu Sancto legitimè congregata,univerſalem Eccleſiam repræſentans, ſtatuit &c.* Tertium momentum petitur ex declaratione Concilii Baſileenſis,quod Seſſione II.apertè innuit, ſe *Sacris Conſtantienſi & Senenſi Generalibus Conciliis decernentibus atque Ordinantibus, & Auctoritate Apoſtolica interveniente, fuiſſe, & eſſe debitè legitimèque ac ritè congregatum & initiatum.* Quartum momentum ſuppeditat *Eugenius IV.* Pontifex Maximus, *Martini V.* ſucceſſor, qui in Conſtitutione *Dudum*, promulgatâ Seſſione XVI. Concilii Baſileenſis, Concilium Senenſe, non minùs quàm Conſtantienſe, Oecumenicum appellat: *Dudùm*, inquit, *Sacrum Generale Baſileenſe Concilium, per Generalium Conſtantienſis, & Senenſis Conciliorum Statuta, Ordinationeſque felicis recordationis Martini Papæ V. ac noſtras legitimè inchoatum, &c.* Addo etiam, Concilium Senenſe inter Concilia Oecumenica annumerari debere, cùm pro fide Catholica & unitate Chriſtiana, pro facienda reformatione morum, ac ſancienda Eccleſiæ Diſciplina fuerit à Summo Pontifice *Martino V.* convocatum, quamvis ob temporis brevitatem & exiguum Prælatorum numerum pauca decreverit.

Cùm

D. Cùm Generale Concilium univerſam repræſentet Eccleſiam, certè non video, quâ ratione inter Concilia Oecumenica annumerari poſſit Concilium Senenſe, cui pauci, ut mox inſinuaſti, interfuerunt Epiſcopi.

M. Ex illo exiguo numero Epiſcoporum, qui Concilio Senenſi interfuerunt, argui minimè poteſt, illud non fuiſſe Oecumenicum. Nam ad primam Synodum Conſtantinopolitanam, quæ celebrata eſt anno CCCLXXXI. non omnes ex toto Orbe convenerunt Epiſcopi, ſed ſolùm Orientales, & tamen univerſalis Eccleſiæ accedente conſenſu & approbatione, Oecumenica habita eſt, eamque ut talem ſuſcipit ac veneratur Eccleſia Catholica. Ita pari quoque ratione, licèt ad Concilium Senenſe frequentes ex tota Eccleſia non confluxerint Epiſcopi, quia tamen à *Martino V.* fuit convocatum, & *Eugenii IV.* auctoritate approbatum, atque totius Eccleſiæ conſenſu tanquam Oecumenicum ſuſceptum, jure merito Conciliis Oecumenicis accenſeri debet.

D. Quid in Concilio Senenſi geſtum, quidve definitum fuit?

M. In Concilio Senenſi, cui præfuerunt iidem jam laudati Sedis Apoſtolicæ Nuntii, quos primùm *Martinus V.* ad inchoandum Concilium Papienſe miſerat, damnatio Hæreſum Wicleffiſtarum & Huſſitarum in Concilio Conſtantienſi facta confirmata eſt. Deindè, exauctorationis ſententia in *Petrum de Luna*, olim *Benedictum XIII.* in ſua Obedientia nuncupatum, ab eodem Concilio Conſtantienſi lata, denuò fuit approbata, pœniſque ac cenſuris ſubjecti ſunt hi, qui poſt illius

illius Antipapę obitum in eodem Schiſmate adhùc perſeverabant. Poſtremò, de Græcorum ad unitatem Eccleſiæ Latinæ reductione actum eſt. Rebus quippè Græcorum in dies, ob crudeliſſimum Turcarum Bellum, in deterius vergentibus, miſerat *Manuel Palæologus*, Græcorum Imperator, Legatos *Theodorum*, Epiſcopum Rhodium, & *Nicolaum Eudemonem-Joannem* ad *Martinum V.* Pontificem Maximum ad procurandam Eccleſiæ Græcæ cum Latina unionem. Hos Legatos perbenignè ac ſplendidè excepit Pontifex, miſitque Conſtantinopolim Legatum *Antonium Maſſanum*, Ordinis FF. Minorum Generalem Miniſtrum, qui *Manueli*, Græcorum Imperatori, & *Joſepho*, Patriarchæ Conſtantinopolitano, expoſuit vehementiſſimum deſiderium *Martini V.* & omnium Cardinalium de unione Eccleſiarum Græcæ & Latinæ. Reſpondit Imperator, ſe ardentibus quidem votis exoptare unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ad eam tamen felicitèr promovendam neceſſarium omninò eſſe, ut univerſale cogeretur Concilium ſecundùm ordinem & conſuetudinem Sanctorum ſeptem Conciliorum Generalium, & quod in eo ſuaderet Spiritus Sanctus, id omnes unanimi conſenſu tenerent. De loco verò & modo, ac tempore celebrandi Concilii nullum locum aptiorem videri ipſa civitate Conſtantinopoli, quandò quidem, ob ingruentia bella, & Imperii Græcorum penuriam, non poſſent Græci aliò ire. Quod ſpectat modum celebrandi Concilium, minimè neceſſe fore, ut omnes Patriarchæ & Epiſcopi intereſſent, eorum verò, qui acceſſuri erant, & Concilii expenſis à Pontifice Romano provideri debere.

bere. De tempore autem habendi Concilium, cùm eſſent modò res Græcorum adeò turbatæ, & à Turcis attritæ, ut impoſſibile videretur Patres congregari, ſi quàmprimùm tranquillitas aliqua eluceret, certiorem ſe facturum Pontificem. Ultimò, promiſit Imperator, ſe daturum operam, ut intra annum Conſtantinopoli celebraretur Concilium, dummodò Pontifex ſumptus ad ejus celebrationem neceſſarios ſuppeditare vellet, & apud Latinos Chriſtianos Cenſuris acerrimis ageret, ut Græcis ad extremas redactis anguſtias, quamprimùm ſuppetias ferrent. Hanc Imperatoris Græcorum Reſponſionem cùm *Antonius Maſſanus* (cujus Legationis apud Græcos ſuſceptæ Relatio habetur in Actis Concilii Senenſis) ad *Martinum V.* & ad Synodum Senenſem detuliſſet, decrevit nihilominùs Synodus Senenſis, hoc unionis Eccleſiæ Gręcę cum Latina ineundę negotium non eſſe deferendum, ſed in illud, dùm opportunior ſeſe daret occaſio, pro viribus incumbendum; interim verò, neceſſariam Catholicæ Eccleſiæ reformationem eſſe promovendam. At ne fieret hæc morum reformatio, impedimento fuerunt fœdi conatus *Alphonſi* Aragonum Regis, Schiſma in Concilio Conſtantienſi extinctum, renovare molientis. *Alphonſus* ſiquidem, Aragoniæ Rex, iratus *Martino V.* quòd ei negatum Regis Siciliæ titulum, *Ludovico III.* Andegavenſi conceſſiſſet, cauſam Antipapæ *Petri de Luna*, dicti *Benedicti XIII.* defendendam ſuſcepit, & ut in Concilio Senenſi denuò diſcuteretur, urgebat. Eam ob rem *Martinus V.* Concilium Senenſe die XIX. menſis Februarii an. milleſimi quadringenteſimi vigeſimi quarti abru-

abrupit, & ad proſequendam commodiori loco & tempore reformationem in eo incohatam, civitatem Baſileenſem ad Concilium Oecumenicum ſeptennio poſt celebrandum deſignavit, & re ipsâ poſt expletum à Senenſis Concilii fine ſeptennium *Martinus V.* miſit anno MCCCCXXXI. *Julianium* Cardinalem Diaconum S. Angeli, Legatum à latere, eumque Baſileenſis Concilii Præſidem inſtituit. Sed mortuo *Martino V.* eodem anno MCCCCXXXI. *Eugenius IV.* ei in Sede Apoſtolica ſuffectus, Concilii Baſileenſis indictionem Litteris pridiè Kalendas Junii ejuſdem anni datis ratam habuit, & *Juliani* Cardinalis Legationem, ipſique à *Martino V.* commiſſam Præſidendi Concilio Baſileenſi poteſtatem confirmavit.

D. Audivi nuperrimè à viris eruditis, Synodum Baſileenſem fuiſſe reprobatam ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, quorsùm ergò aſſeris, *Eugenium IV.* ratam habuiſſe indictionem Concilii Baſileenſis, & *Juliani* Cardinalis Legationem, eique à *Martino V.* commiſſam præſidendi Concilio Baſileenſi poteſtatem auctoritate Apoſtolicâ confirmaſſe?

M. Conſtans eſt omnium Sententia, *Eugenium IV.* ratam habuiſſe indictionem Concilii Baſileenſis, & *Juliani* Cardinalis Legationem, ſicut & poteſtatem ei à *Martino V.* datam huic Concilio præſidendi confirmaſſe, ac proindè Concilium Baſileenſe in ſuis primordiis, hoc eſt, in aliquot Seſſionibus (de earum quippè numero non una omnium eſt Sententia) veri ac legitimi Concilii formam habuiſſe, quamdiù videlicet annuente *Eugenio IV.* & ſub præſidio *Juliani* Cardinalis, &

Sedis

Sedis Apoſtolicæ Legati continuatum fuit. At, poſtquàm *Eugenius IV.* Concilium Baſileenſe diſſolvit, illudque Ferrariam tranſtulit, poſt diſceſſum Legati Pontificis, Synodus Baſileenſis ſub præſidio *Ludovici* Cardinalis Arelatenſis, continuata, invitoque Pontifice prorogata, deſiit eſſe vera ac legitima Synodus, quamvis negari haud poſsit, eam convocationem fuiſſe legitimam ac Oecumenicam Synodum, utpotè à *Martino V.* & *Eugenio IV.* Summis Pontificibus indictam, & aliquandiù ſub præſidio *Juliani* Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legati continuatam. Quòd verò Synodus Baſileenſis, poſtquam ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo diſſoluta fuit, & Ferrariam translata, deſierit eſſe vera ac legitima Synodus, immò & Conciliabulum Schiſmaticum evaſerit, multis momentis demonſtrari poteſt, primò, quia *Eugenius IV.* ob publicam neceſsitatem, & evidentem Eccleſiæ utilitatem Concilium Baſileenſe diſsolvit, & Ferrariam tranſtulit. Procuranda quippè erat tum temporis Eccleſiæ Græcæ cum Latina unio, quæ conſummari haud poterat abſq; celebratione alicujus Concilii Oecumenici, cui præſideret Summus Pontifex. Baſilea autem Græcis commoda non erat, nec ipſi ad hanc Urbem ut potè nimiùm diſsitam accedere volebant, ſed ad Urbem aliquam Calabriæ Maritimam, Anconam, aut alteram Italiæ civitatem. Summus etiam Pontifex *Eugenius IV. propter adverſam valetudinem Italiā excedere non poterat*, inquit, *Auguſtinus Patritius* in Hiſtoria Conciliorum Baſileenſis & Florentini cap. 42. Meritò itaque *Eugenius IV.* ob tantum bonum, quod ex ea Eccleſiæ Græcæ cum Latinā unio-

unione oriri poterat, & cujus certa ſpes affulgebat, Concilium Baſileæ inchoatum Ferrariam, & poſteà Florentiam tranſtulit, civitatem ſibi, Græciſque commodam. Eâ autem Concilii translatione ſemel ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo factâ, omni auctoritate excidit Concilium Baſileenſe. Tunc enim Concilium Baſileenſe manſit acephalum, ideſt, ſine capite, cùm Summus Pontifex, ſine quo vera & legitima Concilia Generalia juxta Regulam Eccleſiaſticam celebrari non poſſunt, neque per ſe, neque per Legatos ei præfuerit. Prætereà, poſt Legatorum Pontificis, & multorum Epiſcoporum diſceſsum, adeò pauci in Concilio Baſileenſi remanſerunt Epiſcopi, ut loco Epiſcoporum ſimplices Presbyteri ad vocem etiam deciſivam fuerint admiſsi, ſicut teſtatur *Æneas Sylvius* lib. 1. de Concilio Baſileenſi. Id autem contra formam & morem omnium legitimorum Conciliorum fuiſse actum, nemo eſt, qui non videat. Tertiò, diſsoluto Concilio ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, Concilium Generale celebrabatur Ferrariæ, ac paulò poſt Florentiæ, cui præerat Summus Pontifex *Eugenius IV.* eique aderant Epiſcopi Græci & Latini in magno numero. Cùm igitur unum tantum Generale Concilium uno tempore haberi poſsit, & aliundè conſtet, Concilium Florentinum inter Concilia Generalia numerari, planè conſequitur, Concilium à Patribus Baſileenſibus poſt ejus diſsolutionem continuatum veri ac legitimi Concilii rationem & formam non retinuiſse, ſed potiùs fuiſse vanum & inane Conciliabulum. Quartò, Concilium Baſileenſe, poſt ejus diſsolutionem factam ab *Eugenio*

nio Quarto Pontifice Maximo, induxit Schiſma in Eccleſiam, & *Eugenio IV.* Summo Pontifici legitimè creato, quemque fideles omnes ut verum Pontificem, & Chriſti Domini in terris Vicarium agnoſcebant & colebant, oppoſuit *Felicem V.* Antipapam, qui tamen, veritate tandem aliquandò agnitâ, Pontificatu ſe abdicavit, ſeque *Nicolao V.* ſucceſsori *Eugenii IV.* ſubjecit. Hanc injuſtam *Eugenii IV.* legitimi Pontificis depoſitionem factam in hoc Conciliabulo Baſileenſi, ſicut & *Felicis V.* Antipapæ intruſionem publicâ calamitate actutum caſtigavit Deus. Eo quippè tempore tam ſæva peſtis, teſte *Ænea Sylvio* lib. 2. *de Concilio Baſileenſi*, graſsata eſt Baſileæ, & tam multi Patres vel extincti ſunt, vel indè abire coacti, ut Chriſtus ipſe prò *Eugenio IV.* legitimo in terris Vicario ſuo pugnare videretur. Ex his itaque momentis hactenùs à me adductis liquidò patet, Concilium Baſileenſe, quod convocatione, & antequàm à Summo Pontifice *Eugenio IV.* diſsolveretur, erat Oecumenicum, deſiiſse in Conciliabulum, & fauſtum planè habuiſse exitum. Sic *turpem deſiit in piſcem, mulier formoſa ſupernè*.

D. Ediditne Synodus Baſileenſis, antequàm ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo Ferrariam transferretur, aliqua Decreta Eccleſiæ ſalubria, ſive ad ſtabiliendam adversùs Hæreticos Catholicam fidem, ſive ad reſtaurandam Diſciplinam, & ſanciendam reformationem morum.

M. Synodus Baſileenſis, priuſquàm ab *Eugenio IV.* Ferrariam transferretur, confirmavit Seſſione primâ, ſicut jam obſervavimus in ſuperiori Collo-

Colloquio, damnationem Hæreſum *Joannis Wicleffi*, & *Joannis Hus* factam in Concilio Conſtantienſi. Proſcripſit etiam Seſſione vigeſimâ ſecunda quaſdam erroneas propoſitiones excerptas ex libro *Auguſtini de Roma*,& ad Sanctæ Eccleſiæ Romanæ gremium reduxit Hæreticos Bohemos, qui ad hanc Synodum Baſileenſem Oratores miſerunt, ut quatuor de Religione proponerent capita, in quibus à Romana diſſentiebant Eccleſia. Primum erat de Communione Divinæ Euchariſtiæ, quam ſub utraque ſpecie, panis videlicet & vini, his, qui ſalvi eſſe velint, neceſſariò ſumendam affirmabant. Alterum, de Civili Dominio, quod Clericis Divinâ Lege omninò interdictum dicebant. Tertium, de Prædicatione Verbi Dei, quam liberam, paſſimque permiſſam omnibus autumabant. Poſtremum, de publicis delictis, quæ nullâ ratione toleranda arbitrabantur, etiam majoris mali vitandi gratiâ. Ad hæc quatuor potiſſimùm de Religione Capita, ſeu Articulos, Bohemi hæreſi *Joannis Hus* infecti ſuæ ab Eccleſia Romana diſſenſionis cauſam revocabant. Quamvis enim plurima eſſent, quæ adversùs Catholica fidei veritatem prædicare non dubitarent, hæc tamen coram Concilio quaſi totius Regni Bohemiæ nomine dicta tueri tantummodò ſe poſſe affirmarunt, ut teſtatur *Æneas Sylvius*. Circa quatuor illos propoſitos Articulos, quos Bohemi *Compactata* appellarunt, quique primum Pragæ die ultimâ Novembris anni MCCCCXXXIII. concepti, poſtmodùm Iglaviæ, quod Moraviæ oppidum eſt, an. MCCCCXXXVI. conſummati ac firmati fuerant, hæc, teſte *Joanne Cochlæo* libro Octavo *Hiſtoriæ Huſſi-*

Huſſitarum, pronuntiavit Synodus Baſileenſis. Ad primum Articulum, qui eſt de communione ſumenda ſub utraque ſpecie, *Concilium*, inquit laudatus *Cochlæus*, *Sacerdotibus* Regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ, *communicandi ſub utraque ſpecie populum, eas videlicèt perſonas, quæ in annis diſcretionis reverentèr, & devotè poſtulaverint, facultatem pro earum utilitate & ſalute in Domino largitur hoc ſemper obſervato, quòd Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicant, quòd ipſi debent firmitèr credere, quod non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer, & totus Chriſtus*. Ad ſecundum Articulum, in quo Civile Dominium, Clericis Divinâ Lege omninò interdictum ajebant Bohemi, duo ſtatuit Concilium Baſileenſe, primò, *quòd Clerici non Religioſi, ſeu qui voto ſe ad hoc non obligarunt, licitè poſſunt habere & poſſidere quæcumque bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, ſi eis reliquantur, & alia bona juſtè acquiſita, ex cauſa donationis, vel alterius liciti contractus, vel arte licita*. Secundò, *quòd Eccleſia poteſt licitè habere & poſſidere bona temporalia, mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, caſtra, civitates, & in eis habere privatum & civile dominium*. Ad tertium Articulum, qui eſt de libera Verbi Dei prædicatione, ſic decreverunt Patres Concilii Baſileenſis: *dicimus, quòd ſecundum Scripturæ Sacræ ſententiam, Sanctorumque documenta Doctorum, ſic Catholicè eſt tenendum: Quòd Verbum Dei à Sacerdotibus Domini, & Leviticis*, & *per Superiores, ad quos pertinet, approbatis & miſſis, liberè, non tamen paſſim, ſed ordinatè & fidelitèr præ-*

dicetur; ſalva auctoritate Pontificis, qui eſt praordinator in cunctis, juxta SS. PP. inſtituta. Ad quartum denique Articulum, qui eſt de corrigendis peccatis publicis, ita definierunt Patres Concilii Baſileenſis: *Dicimus, quòd ſecundùm Scripturæ Sacræ ſententiam, Sanctorumque documenta Doctorum, ſic Catholicè eſt tenendum: Quòd omnia peccata mortalia, præſertim publica, quantùm rationabiliter fieri poteſt, ſecundùm Legem Dei, & Sanctorum Patrum Inſtituta, ſunt cohibenda, corripienda, & eliminanda. Poteſtas autem puniendi criminoſos, non ad privatas perſonas, ſed ad eos tantummodò pertinet, qui juriſdictionem habent in eos, fori diſtinctione, juris & juſtitiæ ordine obſervatis*. Hos quatuor Articulos à Patribus Concilii hunc in modum explicatos approbarunt tandem Bohemi, & ad fœdus, quod cum Catholicis pepigerunt, confirmandum, Inſtrumentum publicum ediderunt, quod *Compactata* appellarunt. At, iſtud fœdus alii Huſſitæ in Bohemia, dicti *Taboritæ*, & *Orphani* inire detrectarunt, & Duce *Procopio Raſo*, perditæ audaciæ homine, *Pilznam* oppidum obſederunt, ſed eorum exercitus, cum ſcelerato Duce ferro exterminati ac deleti ſunt à *Mainardo* & Catholico exercitu. Poſt tam celebrem reportatam victoriam, Imperator *Sigiſmundus* à Bohemis in Regem ſuſceptus eſt, & Pragam magno cum apparatu VI. Kalend. Septembris anni MCCCCXXXVI. ingreſſus, ad reſtituendam in hac civitate profligatam penè Catholicam Religionem, juſſit *Philiberto* Epiſcopo Conſtantienſi in Normannia, ejuſque Collegis à Synodo Baſileenſi miſſis, ut abſque cunctatione Eccleſiaſticos introducerent ritus, Sacer-

dotes

dotes inſtituerent, ex Miſſarum Solemnibus vulgaria verba, cantilenaſque expungerent, Sanctorum Imagines revocarent, Aquam benedictam in Sacris Ædibus reponerent, Baptiſmatis fontes ſacrarent, Altaria ornarent, & ſpurcitias omnes procùl eliminarent. Omnium Ordinum Viros Religioſos, & Canonicos, qui ab Huſſitis expulſi fuerant, Pragam revocavit *Sigiſmundus*, & ut Huſſitas, dictos *Taboritas* ſuperioribus cladibus ſuperſtites, faciliùs in gremium Catholicæ Eccleſiæ reduceret, eis conceſſit, ut quinquennio toto ſuis moribus viverent, jura civitatis haberent, Religionis cultum mutare non cogerentur. Sed, cùm nefandos eorum ritus *Sigiſmundus* accepiſſet, noluit quinquennium expectare, ſed eos abſque mora in ordinem redegit, & *Rokiſanam*, præcipuum Huſſitarum Pragenſium Doctorem, verbis tumultuantem, & in Monachos è ſuggeſtu debacchantem, è Praga fugere compulit. Hoc pacto *Sigiſmundus*, votis *Eugenii IV.* Pontificis Maximi,& Decretis Concilii Conſtantienſis obſecundans, Pragæ, & in toto Bohemiæ Regno Catholicam Religionem feliciter reſtituit.Præter hæc Decreta, quæ Concilium Baſileenſe, antequàm ab *Eugenio IV.* diſſolveretur, edidit, ad fidem adverſus Hæreticos Huſſitas vindicandam, vel eos ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reducendos: alia conſtituit pro reformatione morum utilia Decreta, præſertim contra Clericos Simoniacos, Concubinarios, & Eccleſiæ bona dilapidantes &c. quæ hic referre nimis longum eſſet. Obitèr dumtaxat obſervabo, nonnullos eſſe Scriptores, qui inter Decreta Concilii Baſileenſis hoc

præſertim probandum maximè cenſent, quo prædicta Synodus doctrinam de Immaculata Conceptione Dei-paræ Virginis *ab omnibus approbandam fore, tenendam, & amplectendam* definivit ac declaravit. Verùm, non advertunt illi, hocce Decretum fuiſſe conditum à Concilio Baſileenſi Seſſione XXXVI. quandò videlicet jam erat acephalum, utpotè diſſolutum ab *Eugenio IV.* ac proindè iſtud Decretum non fuiſſe ab illo Summo Pontifice confirmatum, nec approbatum unquam à Sede Apoſtolica, quæ ſemper ad ſuam dignitatem & curam jure merito pertinere putavit, Decreta ſua maturare, magis, quàm feſtinare, & illis, quantùm fieri poteſt, pondus addere, non ſolùm ab authoritate, quæ certè ſumma eſt, ſed etiam à Scriptura & Traditione, ad quam veluti ad Regulam, ſuas ſemper definitiones exegit, contundendæ hæreticorum audaciæ, & piorum Fidei promovendæ causâ. Sed hactenùs ſatis dictum ſit de Concilio Baſileenſi, quod licèt recipiendum ſit tanquam verum & legitimum Concilium Generale in his Seſſionibus, quæ ab *Eugenio IV.* Summo Pontifice approbatæ, atque confirmatæ fuerunt, rejiciendum tamen eſt, ut inane & nullius authoritatis Conciliabulum, in his Seſſionibus, quæ ab eodem Summo Pontifice ſunt rejectæ, & reprobatæ. *Concilium Baſileenſe*, inquit optimè *Bellarminus, legitimè fuit inchoatum, ſed illegitimè terminatum*.

D. Cùm *Eugenius* Papa *IV.* poſt diſſolutionem Concilii Baſileenſis, aliam Oecumenicam Synodum Ferrariæ anno MCCCCXXXVIII. habendam indi-

indixerit, neceſſe eſt, ut de ea Synodo Generali Ferrariæ celebratâ, & de his, quæ in ea geſta ſunt, recto ordine diſſeramus.

M. Concilium iſtud Generale Ferrariæ habitum eſt, ad promovendam unionem Græcorum cum Latinis, & ad illud *Joannes Palæologus*, Græcorum Imperator, *Joſephus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cæterorum Orientis Patriarcharum Vicarii, variique Præſules cùm Græci, tùm Latini acceſſerunt. Interim, priuſquàm inchoaretur Concilium, nonnullæ velitationes de Purgatorio, & de Sanctorum beatitudine Græcos inter & Latinos habitæ ſunt, ex quibus compertum fuit, levi diſcrimine utramque Eccleſiam circa ea dogmata diſſidere. Græci quippè ultrò admittebant Purgatorium, ſeu locum tenebroſum & mœroris, in quo Animæ levibus peccatis obnoxiæ ad tempus in mœrore, pœniſque verſentur, divino lumine privatæ, eaſque purgari, ſed à loco illo obſcuro, & afflictione liberari precibus & Sacrificiis Sacerdotum, ac Eleemoſynis. At pœnas illas Purgatorii ignis cruciatu non definiebant Græci, quemadmodùm Latini. Similitèr, Græci Animas Sanctorum jam frui imperfectâ quidem beatitudine, & poſt Reſurrectionem corporum perfectâ potituros felicitate fatebantur. Erant tamen inter eos nonnulli, qui aſſerebant, Sanctorum Animas ante Reſurrectionem corporum in loco verſari ſeparato, ibique lætari de perfectâ, quæ ipſos poſt corporum Reſurrectionem manet, laureolâ, abſolutâque beatitudine, & adoptione Regni Dei. Sed, poſt frequentes de beatitudine Sanctorum habitas Collationes, in

eam tandem Sententiam iverunt cùm Græci, tum Latini, atque declararunt, *Sanctos conſecutos, & non conſecutos eſſe beatitudinem, hoc eſt, Animas quidem, ut Animas, ad perfectam perveniſſe beatitudinem; in Reſurrectione tamen perfectiorem eſſe conſecuturas cum propriis corporibus*. Poſt præmiſſas illas de Purgatorio, & beatitudine Sanctorum Græcos inter & Latinos velitationes, ſolemnes habitæ ſunt Ferrariæ ſexdecim Seſſiones, in quarum primâ *Beſſario* Nicænus Archiepiſcopus, Græcorum tùm doctrinâ, tùm facundiâ facilè Princeps, elegantem ad Patres Orationem habuit. In altera Seſſione *Andreas* Coloſſenſis, ſeu Rhodius Archiepiſcopus, ex Ordine Prædicatorum, non minus eleganter peroravit, & Summi Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ, & Synodi laudes celebravit. In tertia, & in aliis ſequentibus Seſſionibus uſque ad decimam quintam incluſivè, variæ diſputationes Græcos inter & Latinos more dialectico habitæ ſunt de quinque potiſſimùm Capitibus inter utramque Eccleſiam controverſis, videlicèt de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio; de additione ad Symbolum particulæ, *Filioque*; de panis azymi vel fermentati uſu pro materia Sacrificii; de Purgatorio; & de Primatu Romani Pontificis. Pro Græcis diſputarunt in Concilio *Marcus*, Metropolita Epheſinus, *Iſidorus* Ruſſiæ, *Beſſario* Niçæ, Archipræſules; *Xantophalus Siderophas*, Magnus Vaſorum Cuſtos, *Michael Balſamon* magnus Bibliothecarius, & *Georgius Gemiſtus*. Pro Latinis verò diſputationem ſuſceperunt *Julianus Cæſarinus* Sancti Angeli, & *Nicolaus Albergatus* Sanctæ Crucis in Hieru-

ruſalem, Cardinales; *Andreas* Rhodius Archiepiſcopus, ex Ordine Prædicatorum, *Joannes* Epiſcopus Forolivienſis, *Joannes de Monte Nigro*, Ordinis FF. Prædicatorum, & Provincialis Lombardiæ; *Petrus Perquerii*, Ordinis Minorum, & *Joannes de Sancto Thoma*, Ordinis Eremitarum Sancti *Auguſtini*, in Sacra Theologia Doctores. Diù, multùmque Græcos inter & Latinos magnis animis diſputatum eſt, præſertim de adjectâ Symbolo voce *Filioque*, affirmantibus ſcilicèt Græcis, hanc vel unicam vocem fuiſſe Schiſmatis cauſam. Concilii Oecumenici Epheſini, & aliarum ſubſequentium Synodorum Generalium Decreta, quibus *alteram fidem* componi aut proferri, præter eam, quæ Symbolo Nicæno contenta eſt, diſtrictè prohibetur, recitarunt Græci, ex quibus colligebant, Additionem particulæ *Filioque* ad Symbolum fieri non potuiſſe. At Latini hæc Conciliorum Generalium Decreta ſic interpretati ſunt, ut iis ſolummodò vetitum fuerit, alteram fidem, ſeu Formulam conſcribi, quæ contraria, aut minus conſona foret Chriſtianæ doctrinæ Symbolo contentæ, non quæ eam explicatiùs enuntiaret. Porrò, ſubjungebant Latini, hæc particula, *Filioque*, non propriè additamentum eſt, ſed uberior explicatio horum verborum, *qui à Patre procedit*, quod multis exemplis confirmarunt *Andreas* Coloſſenſis, ſeu Rhodius Archiepiſcopus., ex Ordine Prædicatorum, *Joannes* Epiſcopus Forolivienſis, & *Julianus Cæſarinus* Cardinalis. Hanc autem particulæ, *Filioque*, ad Symbolum adjectionem non fuiſſe Schiſmatis cauſam, quemadmodùm falsò pertendebant Græci, ex eo invictè probarunt

runt Latini, quòd antequàm Romanus Pontifex permitteret, ut hæc vox, *Filioque*, Symbolo inſereretur, jam Symbolum cum particula, *Filioque*, in Hiſpaniis, & Galliis publicè caneretur, nec tamen propter illam additionem Græci tum temporis ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt, ſed potiùs cum illa fuerunt amico fœdere juncti. Quin, nono Eccleſiæ Sæculo *Photius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Eccleſiæ Romanæ hoſtis infenſiſſimus, qui adverſùs *Nicolaum I.* & *Hadrianum II.* acriter invectus eſt, nunquàm tamen illos accuſavit ob hanc additionem particulæ, *Filioque*, Symbolo factam. Hæc, & alia id genus urgentiſſima eruditè & copioſè ad explicandum Decretorum Synodorum Generalium genuinum ſenſum dixerunt Latini, nihil tamen confectum eſt, ſed ambæ partes victoriam ſibi arrogarunt. Tandem, poſt tredecim Collationes, Latini obtinuerunt, ut dimiſſis his de additamento vocis, *Filioque*, concertationibus, de ſignificatione vocis, ſeu de ipſomet Dogmate de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre Filioque diſceptaretur, ita tamen ut, ſi opus foret, hoc caput ad novam Criſim, & accuratius examen revocaretur. His peractis, cùm Ferrariæ peſtilentia graſſaretur, de transferendâ Florentiam Synodo Seſſione xv. actum eſt, renitentibus quidem Græcis, qui tædio affecti, & de fauſto Concilii exitu tantùm non deſperantes, de reditu in patriam cogitabant, quos tamen *Joannes Palæologus*, Imperator, ad proſequendum & feliciter abſolvendum diù omnium votis exoptatæ Eccleſiarum unionis negotium confirmavit. Conſentientibus itaque Græcis,

cis, Decretum de Synodi translatione Seſſione xvi. promulgatum eſt Latinè ab Archiepiſcopo Gradenſi; Græcè verò ab Epiſcopo Mitylenenſi, iv. Idus menſis Januarii anni mccccxxxix. Hinc factum eſt, ut iſtud Concilium Florentiam tranſlatum, vulgò dicatur *Florentinum*, quod viginti quinque complectitur Seſſiones, videlicet ſexdecim, quæ Ferrariæ habitæ ſunt, & novem, quæ Florentiæ fuerunt celebratæ.

D. Quæ geſta ſunt in ſexdecim prioribus Seſſionibus, quas, licèt Ferrariæ habitas, complectitur Oecumenicum Concilium Florentinum, ſatis hactenùs expoſuiſti, ſupereſt nunc, ut ea, quæ in aliis novem ſequentibus Seſſionibus Florentiæ celebratis acta ac definita ſunt, breviter expendamus.

M. Translato Florentiam Concilio, *Joannes de Monte Nigro* Provincialis Provinciæ Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, ſummi vir ingenii, de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio Seſſionibus xviii. xix. xx. xxi. xxii. xxiii. & xxiv. diſputationem inſtituit cum *Marco* Metropolita Epheſino, tamque diſerta ad probandam Spiritus Sancti à Patre Filioque proceſſionem adduxit teſtimonia tum Patrum Eccleſiæ Orientalis, *Baſilii*, *Epiphanii*, *Cyrilli Alexandrini*, & aliorum, tùm Patrum Eccleſiæ Occidentalis, ſcilicet SS. *Leonis*, *Gregorii Magni*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Auguſtini* &c. ut *Marcus* Epheſius ad incitas redactus, hoc unum reſponderit, hæc Patrum teſtimonia non genuina, ac ſincera eſſe, ſed corrupta ac interpolata; Quam inanem ac contumelioſam Reſponſionem adeò nervosè retudit *Joannes de Monte* *Nigro*

Nigro, ut nihil planè *Marcus* Epheſius hiſcere ac muſſitare potuerit. Poſt multas hinc indè concertationes, eò tandem ventum eſt, ut *Joannes de Monte Nigro* ejuſmodi declarationem pronuntiaret: *Nos ſequimur Apoſtolicam Sedem, unam novimus cauſam Filii, & Spiritus Sancti, Patrem ...... Idcircò Romana Eccleſia non credit duo principia, vel duas cauſas, ſed unum principium, & unam cauſam. Eos verò qui aſſerunt duo principia & duas cauſas, anathematizamus*. Placuit admodum Græcis hoc *Joannis de Monte Nigro* dictum, atque eorum Imperatore *Joanne Palæologo* ita poſtulante, Scripto affirmavit, hanc eſſe ſuam fidem, *unam eſſe Filii & Spiritus Sancti cauſam, Patrem*. Græci itaque ad ineundam concordiam cum Latinis Schedulam exhibuerunt, in qua dicebant, *Filium emittere Spiritum Sanctum, & ex ſe ſcaturientem effundere: Spiritum Sanctum à Filio emitti, profluere, effundi*. Sed hæc Græcorum Schedula à Latinis admiſſa non fuit, quoniam ipſis minimè compertum erat, quo ſenſu Spiritus Sanctus *effundi, ſcaturire, emitti, & profluere* à Græcis affirmaretur. Clariùs itaquè Græci Doctrinam ſuam expoſuerunt in Formula, quam ſcripſerunt, in qua ſuam, & Latinorum fidem circa Proceſſionem Spiritus Sancti expreſſerunt, quamque *Silveſter Syropulus*, Scriptor Græcus, qui interfuit Concilio Florentino, ejuſque Hiſtoriam deſcripſit, refert Sectione octavâ his verbis: *Quoniam nos Græci antehàc arbitrabamur, Latinos affirmare, Spiritum Sanctum à Patre & à Filio procedere tanquàm à duobus principiis, aut ſpiramentis duobus, & prætereà non affirmare, Patrem eſſe principium & fon-*
tem

tem totius Deitatis, Filii nempè & Spiritus Sancti; propterea nos & ab Additamento,ſeu à vocula,quam Symbolo explicationis cauſa adjiciunt, pariter & ab eorum communione cavimus. Nunc *autem in hanc Sacram & Oecumenicam Synodum congregati, ſingulari Dei gratia, ut ſancta inter nos unio procuretur, poſt multas hac illac ventilatas quæſtiones & diſputationes, productaque in medium quamplurima teſtimonia è Sacris Litteris ſimul & è Sanctis Eccleſiæ Doctoribus:* Nos *quidem Latini profitemur, id quod nos dicimus, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere,non eo ſenſu dicere, quaſi aut Patrem excludamus, quominùs ſit principium & fons totius Deitatis Filii & Spiritus Sancti, aut quaſi credamus illud, Spiritum Sanctum ex Filio procedere, non accepiſſe Filium a Patre: aut quaſi duo principia, aut duas productiones Spiritus Sancti exhibeamus: Sed confitemur, Spiritum Sanctum à Patre & Filio tanquàm ab uno principio, & una ſingulari productione, ab æterno profluxiſſe. Similiter &* Nos *Græci aſſerimus, Spiritum Sanctum à Patre procedere, proprium autem eſſe Filii & ab illo promanare, & ab utroque ſcilicet à Patre per Filium, ſecundùm ſubſtantiam profundi profitebamur, & credebamus. Et nunc in mutuam unionem coaleſcimus, & charitate Divina conjungimur. Quin & hoc ut ſpecimen damus invicem propriæ Fidei & Confeſſionis, & ut nemo ab alterius communione abſtinere in poſterum debeat dijudicamus, ſed rursùm mutuò paciſcimur & unum ſenſum amplectimur, atque in unam Eccleſiam, Dei favente gratia, redintegramur.* Hæc Formula, cujus Author fuit *Georgius Scholarius*, Græcus, & unionis utriuſque Eccleſiæ conciliandæ tum temporis

poris ſtudioſiſſimus, multùm arriſit Patriarchæ, & majori Græcorum parti, atque in primis *Beſſarioni*, & *Iſidoro* Ruthenorum Metropolitæ; diſplicuit tamen nonnullis Græcis, eamque non plenè ſufficere putarunt Latini, qui proindè ſequentia dubia, teſte jam citato *Syropulo*, Græcis propoſuerunt. Primò, ab ipſis quæſierunt, an ab Additamento hujus vocis, *Filioque*, ſeu potiùs ab hac explicatione refugere deberent, cùm iam pro comperto haberent, Latinos principia duo non profiteri? Secundò, An veram eſſe crederent fidem Latinorum, & in eam deſiderarent fœdus pangere? Tertiò, An Spiritum Sanctum à Patre ſolo procedere profiterentur,& non perindè à Filio? Quartò, An dicendo Spiritum Sanctum eſſe proprium Filii, nudam conſubſtantialitatem amborum intelligerent, an eum à Filio æquè ac Patre æternum eſſe trahere? Quintò, An dicendo, Spiritum Sanctum *ab eo ſcaturire*, illud *ab eo*, ad Patrem, an ad Filium referretur? Sextò, Si illud *ab eo* ad Filium referrent, utrùm ſcaturire ab æterno ſecundùm ſubſtantiam & perſonam intelligerent, nec ne? Septimò,Quid verbum *ſcaturire* ſignificaret, an ſubſtantiam divinam, & ſubſiſtentiam perſonalem à Filio trahere? an idem quod *procedere*? vel in aliquo ſenſu differat, & in quonam ſenſu? Octavò,An dicendo Spiritum Sanctum ab utroque procedere, nempè à Patre per Filium, ſubſtantialiter etiam & æternè hoc intelligerent? Nonò,Quid ſibi vellet illud, ſubſtantialiter ab utroque profundi? an habere, & ſumere ſubſtantialiter ab utroquè? an differant, & in quo ſenſu differant *profundi* & *procedere*. Decimò,An abſo-

abſolutè & ſine commentario vera ſit hæc propoſitio, Spiritus Sanctus procedit ac profunditur æternùm à Patre & Filio, ſine hac declaratione, *à Patre per Filium*? Undecimò, An particula illa, *Per*, ſignificaret Filium eſſe Spiritus Sancti cauſam & principium. Duodecimò, An dicendo, *unimur*, Latinorum doctrinam & confeſſionem amplecterentur. Iſthæc à Latinis propoſita dubia Græcis admodùm diſplicuerunt, atque in cauſa fuerunt, cur *Georgius Scholarius*, Græcus, qui hactenùs promovendæ in Concilio Florentino unioni gnavitèr operam poſuerat, pedem retulerit, & antequàm utriuſque Eccleſiæ concordia ſanciretur, Venetias cum *Demetrio Deſpota*, Imperatoris *Joannis Palæologi* fratre, & *Gemiſto Phletone* ſeceſſerit, uti narrat jam laudatus *Syropulus* in Hiſtoria, quam edidit, Concilii Florentini, Sectione IX. cap. XI. Ad placandos animos Græcorum, qui iſtis Latinorum dubiis Patrum voces reprobari cauſabantur, obtinuerunt Latini, ut Occidentalium Doctorum ſententiæ & dicta maturiùs expenderentur, quod ubi præſtitum eſt, Patriarcha, coacto Græcorum cœtu, Latinorum Dogmati de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio hoc ſuffragium in ſcriptis dedit, quod *Syropulus* refert Sectione nona cap. 9. *Hiſtoriæ Concilii Florentini* his verbis: *Quandòquidem dicta audivimus SS. Patrum Eccleſiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis: Quorum hi Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere aſſeverant, illi à Patre per Filium: quanquam idem eſt*, à Filio, *quod*, per Filium, & per Filium, *quod*, ex Filio: *Nos tamen dimiſſa voce hac*, ex Filio, *profitemur Spiritum Sanctum*

Sanctum procedere à Patre per Filium ab æternitate & ſecundùm ſubſtantiam tanquàm ab uno principio & cauſa, per, *illìc cauſam ſignificante in proceſſione Spiritus Sancti.* Huic ſuffragio Græcorum Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui appellabatur *Joſephus*, aſſenſi ſunt alii Præſules Græci, præter quinque, in quibus erat *Marcus* Metropolita Epheſinus. Tùm *Joannes Palæologus*, Græcorum Imperator, Sermonem ad omnes habuit de unione, eâ tamen lege, ut à Latinis Græci non cogerentur particulæ, *Filioque*, additamentum Symbolo apponere. Dùm hæc ad perficiendam utriuſque Eccleſiæ concordiam feliciter in Concilio peragerentur, *Joſephus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſenio confectus Florentiæ mortuus & in Eccleſia FF. Præd. ſepultus eſt, relictâ ſchedulâ, quâ ſignificabat, & *dejerabat*, *ſe omnia ſentire, quæ ſentit & docet Catholica & Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti, Senioris Romæ.* Poſt illius Patriarchæ obitum, omnes Græci, excepto *Marco* Metropolita Epheſino, unioni conſenſerunt, & Eccleſiæ Latinæ dogmatibus, in quibus antehàc diſſidebant, ſubſcripſerunt. Finitis ergò omnibus controverſiis, unio utriuſque Eccleſiæ, Latinæ videlicèt & Græcæ, benè fortunante Deo, die VI. menſis Julii anni MCCCCXXXIX. facta eſt, & poſt ſolemne Sacrum ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, præſentibus Græcis, celebratum, lectum eſt Græcè ac Latinè in publica Seſſione Unionis Decretum, in quo ſequentia Fidei dogmata ab univerſis Chriſtianis credenda ac ſuſcipienda proponuntur. Primò, *quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque*

eſſe

eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternalitèr tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit. Secundò, *Quòd explicatio verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuerit appoſita* : Tertiò, *quòd in azymo ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter conficitur, & quòd Sacerdotes in altero ipſū Domini Corpus conficere debent, unuſquiſq; ſcilicèt juxta Eccleſiæ ſuæ, ſive Orientalis ſivè Occidentalis, conſuetudinem*. Quartò, *quòd ſi verè Pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum Animæ pœnis Purgatoriis poſt mortem purgentur, & ut à pœnis hujuſmodi releventur, eis proſint Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynæ, & alia pietatis officia, quæ à Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta : illorumque Animæ, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam contraxerunt, illæ etiam Animæ, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperiùs dictum eſt, ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipiuntur, & clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, intuentur*. Quintò. *Quòd illorum Animæ, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendunt, pœnis tamen diſparibus puniendæ*. Sextò, *quòd Sancta Apoſtolica Sedes, & Romanus Pontifex in univerſum Orbem teneat Primatum, & ipſe ſucceſſor ſit Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verus Chriſti Vicarius, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum*

norum Pater ac Doctor exiſtat, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plena poteſtas tradita ſit. Tandèm, in Decreto unionis renovatur Patriarcharum Orientis ordo in Canonibus traditus, *ut* videlicèt *Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt Romanum Pontificem, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicèt Privilegiis omnibus & juribus eorum*. Lecto & omnium ſubſcriptionibus munito unionis Decreto, Latini, poſt finitam jam Florentinam Synodum, Græcis varias propoſuere quæſtiones, inter quas iſtæ præcipuum tenent locum. Primò *quarè Epiſcopi non inungunt ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus ſit datum*? Secundò, *quarè non contenti eſtis Domini verbis, Accipite & comedite, ſed poſteà dicitis: & fac quidem panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui, & transmutans ea ſpiritu tuo, Amen, Amen, Amen.* Tertiò, *quarè conjugia dirimitis, dicente Domino: quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*? Quartò, *qua de cauſa non eligitis hìc Patriarcham*? Ad has, & aliàs hujuſmodi Latinorum quæſtiones Græci reſponſa dederunt, quæ quidem in Actis Concilii non referuntur, ea tamen Latinis probata fuiſſe fidem faciunt hæc ejuſdem Concilii Florentini Actorum verba: *Hæc à Latinis objecta Mitylenenſis*, Archipræſul, *canonicè omnia, legitimèque diſſolvit, præterquàm duo, de quibus Papa ſignificavit Imperatori; cur ſcilicèt Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur*?

D. Decretum unionis, quod, ut mox obſervaſti, promulgatum eſt in Concilio Florentino,

no, eſt ne idem ac illud Decretum, quod ſæpiùs citare ſolent Theologi Scholaſtici, & ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo, qui præerat Concilio Florentino, editum eſt *pro Inſtructione Armenorum*?

M. Decretum unionis promulgatum in Concilio Florentino, eſt planè diverſum à Decreto, quod *Eugenius* Papa *IV.* condidit pro inſtructione Armenorum. Decretum quippè unionis fuit publicatum in Concilio Florentino pro utriuſque Eccleſiæ concordia, dum adhuc Imperator Græcorum, & Patriarchæ omnes Orientis, eorumve Legati huic Concilio intererant, ut liquet ex illius Decreti inſcriptione: *Definitio Sanctæ Oecumenicæ Florentinæ Synodi*, illudque ſic incipit: *Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, conſentiente ad infraſcripta cariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne Palæologo Romanorum Imperatore Illuſtri, & loca tenentibus Venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus &c.* At verò, Decretum pro inſtructione Armenorum dumtaxat ab *Eugenio IV.* editum eſt poſt Græcorum à Synodo Florentina diſceſſum, quandò videlicet Apocriſarii Patriarchæ Armeni Florentiam acceſſerunt, unionem cum Eccleſia Romana, fideique rectitudinem quærentes, quos ut inſtrueret *Eugenius* Summus Pontifex, & unio cum ipſis ineunda ſtabilis ac perpetua perſeveraret, Orthodoxæ Fidei veritatem, quam Romana profitetur Eccleſia, compendio tradere voluit hocce Decreto, quod incipit: *Exultate Deo Adiutori noſtro*, & datum eſt decimo Kalendas Decembris

anni MCCCCXXXIX. quatuor poſt Græcorum diſceſſum menſibus.

D. Quænam potiſſimùm Capita complectebatur iſtud Fidei Orthodoxæ Compendium, quod in hocce Decreto pro inſtructione Armenorum tradidit *Eugenius IV.* Pontifex Maximus?

M. In hoc Decreto *Eugenius IV.* Armenis pro Regula tradit primò Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione particulæ, *Filioque*, & cum obligatione illud canendi inter Miſſarum ſolemnia. Secundò, ipſis proponit Concilii Chalcedonenſis definitionem in Synodis Generalibus ſexta & ſeptima renovatam, de duabus in una Chriſti perſona naturis. Tertiò, eis præcipit, ut teneant definitionem de duabus voluntatibus, duabuſque Chriſti Domini operationibus in Concilio ſexto Generali contra Hæreticos Monothelitas promulgatam. Quartò, eis declarat, Synodum Chalcedonenſem,& *S.Leonem*,Summum Pontificem, ſanctè & rectè veritatem de duabus in Chriſto naturis definiiſſe contra *Neſtorii*, & *Eutychetis* Hæreſes, cæteraſque univerſales Synodos, authoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, ab eis ſuſcipi mandat. Armeni ſiquidem errorem *Eutychetis*, duas in Chriſto naturas in unam confundentis,ſectabantut;undè *Eugenius IV.* meritò eis injunxit, ut præter Synodos Nicænam I. Conſtantinopolitanam I. Epheſinam, reciperent quoq; Chalcedonenſem,ac Scripta *S.Leonis Magni*,qui *Neſtorii & Eutychetis* Hæreſes è diametro oppoſitas in Synodica ad *Flavianum* Patriarcham Conſtantinopolitanum Epiſtolâ confixerat. Quintò, eis exponit praxim Eccleſiæ Romanæ

manæ circa ſeptem novæ legis Sacramenta & ad Latinorum uſum eos reducit. Sextò, eis præbet compendioſam Fidei Regulam, ſeu Symbolum, quod vulgò tribuitur S. *Athanaſio*, & his verbis incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe &c.* Septimò, eis præſcribit librorum ſacrorum catalogum, ſeu notat & enumerat libros, qui tanquàm Canonici ſunt in Eccleſia recepti. Octavò, eis injungit, ut formam Conſecrationis Corporis & Sanguinis Chriſti teneant & inviolabilitèr obſervent. Nonò, eis tradit Decretum unionis cum Græcis conſummatæ in Concilio Florentino pridie nonas Julii anni MCCCCXXXIX. quodque incipit: *Lætentur Cæli & Terra &c.* Decimò, eos revocat ad uſum Eccleſiæ Romanæ circà dies, quibus feſtivitates Annunciationis Beatæ *Mariæ* Virginis, Nativitatis B. *Joannis Baptiſtæ*, & conſequentèr Nativitatis & Circumciſionis Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, ac Præſentationis ejuſdem in Templo, ſeu Purificationis Beatæ Virginis, celebrari debeant. Poſtremò, contrà quorumdam quartas nuptias damnantium errorem, declarat Summus Pontifex, quartas nuptias, & ulteriores valere, modò aliquod non obſtet impedimentum. Hæc & cætera Romanæ Eccleſiæ dogmata pronis ac demiſſis animis amplexi ſunt Armeni, ſicque feliciter, & cum ſummo totius Eccleſiæ jubilo confecta fuit illorum cum Latinis unio, quam deindè ſubſecuta eſt reconciliatio Jacobitarum, qui poſt Armenorum digreſſum Florentiam acceſſerunt, anno MCCCCXLI. & ejuratâ Monothelitarum Hæreſi, quâ ab *Heraclii* Imperatoris temporibus erant infecti, in gremium Eccleſiæ Romanæ fuerunt

 recepti.

recepti. Tandèm an.MCCCCXLII. quo *Eugenius IV.* Concilium ex Florentia Romam in Baſilicam Lateranenſem tranſtulit, adventarunt Romam Legati Æthiopum, ſeu Abyſſinorum Regis, deferentes, illius nomine, *Eugenio* Summo Pontifici promptam obedientiam, & cum Eccleſia Romana, cujus in omnibus fidem lubentiſſimè amplectebatur unà cum ſubditis ſibi populis, unionem ſupplicitèr rogantes, quos pleniùs inſtructos ad Romanæ Fidei unionem adſcivit idem Summus Pontifex; *Unde actum eſt*, verba ſunt ejuſdem Pontificis *Eugenii IV.* in ſuo Decreto pro reconciliatione Jacobitarum dato pridie Nonas Februarii anni milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi primi, *ut totus ferè Oriens, qui glorioſum Chriſti nomen adorat, ac non parva Septentrionis portio, poſt longa diſſidia cum Sancta Romana Eccleſia in eodem fidei & charitatis vinculo convenerint, primùm Græci, & hi, qui ſubſunt quatuor Patriarchalibus ſedibus, multas gentes, nationesque, & idiomata continentibus; deindè Armeni multorum populorum gens, hodiè verò* Jacobini, ſeu Jacobitæ, *magni etiam per Ægyptum populi, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ uniti ſunt, &c.* De Æthiopum, Syrorum, Chaldæorum, & Maronitarum unione nullam in hocce Decreto mentionem facit Summus Pontifex, quia Æthiopes anno dumtaxat MCCCCXLII. in Eccleſiæ corcordiam redierunt. Syri verò, inter Tygrim & Euphratem habitantes populi, fidem Romanæ Eccleſiæ amplexi ſunt, & in ejus unionem conſenſerunt anno MCCCCXLIV. Chaldæi, *Neſtorii* erroribus impliciti, & Maronitæ Monothelitarum hæreſi imbuti, poſt abjuratos errores,

ſpeciali unionis Decreto, cum magna *Eugenii IV.* Summi Pontificis voluptate recepti ſunt anno MCCCCXLV.

D. Hæc exoptatiſſima Græcorum, aliorumque Orientis populorum cum Romana Eccleſia unio me ſummâ quidem lætitiâ perfundit, ſed valdè addubito, an fuerit diuturna? Novi quippè Græcorum fidem.

M. Hæc unio Græcorum cum Latinis facta in Concilio Florentino citò abrupta eſt. Artibus ſiquidem ac ſuaſionibus *Marci*, Metropolitæ Epheſini, qui Schiſmati ſemper obſtinato animo adhæſit, factum eſt, ut non modò Byzantinum vulgus, ſed & tres Orientalium Sedium Patriarchæ ſancitæ unioni repugnaverint, dato Synodali Decreto, quo *Metrophanem*, Patriarchæ Conſtantinopolitani *Joſephi*, qui Florentiæ mortem obierat, ſucceſſorem, pacis & icti fœderis obſervantiſſimum, & Florentinos Patres diris devoverunt, atque Imperatorem *Joannem Palæologum* acerbè perſtrinxerunt. Præclara quoque illa ac decora aliorum populorum Orientalium converſionis exordia parem nacta non ſunt felicitatis progreſſum, ſive id contigerit noſtrorum neglectu, ſive immensâ locorum & regionum diſtantiâ, ſivè linguarum imperitiâ, ſive illius gentis levitate ac inconſtantiâ, aut ex alio quocumque defectu. Ut ut ſit, omnes illi Orientales populi, rupto cum Eccleſia Romana inito fœdere, ad priſtinas ſuperſtitiones, hæreſeſque redierunt, contigitque ipſis hæc Evangelii *Matthæi* cap. 13. parabola de ſeminibus jactis in petroſa loca, quæ, quia non habebant radicem, aruerunt. De hoc tam citò diſrupto

fœdere pacis vehementer indoluit *Eugenius IV.* Pontifex Maximus, & ut illud redintegraret, *viros quoſdam Byzantium ad Græcos miſit*, inquit *Laonicus Chalcondylas* lib. 6. *ut cum his in colloquium venirent, qui Synodum*, Florentinam, *& concordiam in Italia factam non admittebant. Nam Marcus Epheſi Epiſcopus, & Scholarius, Græcorum doctiſſimus, nequidem ab initio Latinorum dogmati conſentire voluerunt. Ubi ad colloquium ventum eſt, Romani nihil efficere potuerunt, ac re infecta domum reverſi ſunt*. Quin, & ille *Marcus Epheſius*, ubi vidit plebem Conſtantinopolitanam ſibi plaudentem, quòd non ſubſcripſerat, inveniretque quod deſiderabat, ut magis ipſe, quàm Synodus à plebecula commendaretur, non ſolùm in propoſito conſtitit, verùm etiam Synodum Florentinam multis, putidiſque calumniis proſcindere auſus eſt. In primis, effutiit, Græcos unioni conſenſiſſe multis pollicitationibus illectos, & muneribus à Romano Pontifice & Latinis corruptos. Secundò, aſſerebat, Græcos ad ſubſcribendum unioni coactos fuiſſe ob inopiam prementem, urgentemque famem, quia eis quidquam ſumptuum conditorum non ſuppeditabatur. Denique obiiciebat, teſtimonia Sanctorum Patrum, quibus fulcitur Synodi Florentinæ Decretum pro unione Græcorum, à Latinis de induſtria fuiſſe corrupta atque interpolata. At, hujuſmodi calumnias in Synodum Florentinam à *Marco Epheſio* temerè jactatas, egregiè confutarunt Græci Scriptores, qui Concilio Florentino interfuerunt, videlicèt *Joſephus Methonenſis* in Reſponſione ad *Marci Epheſii* Libellum, *Joannes Pluſiadenus*, in Dialogo de

Synodo

Synodo Florentina, & *Beſſario* in Epiſtola generali, & in Epiſtola ad *Alexium Laſcarim*. Præter futiles illas *Marci Epheſii* adversùs Synodum Florentinam objectiones, à laudatis Scriptoribus Græcis ſolidè confutatas, duo alia ficulnea argumenta proponunt Græculi Schiſmatici, quibus ejuſdem Synodi Florentinæ authoritatem deprimere, eamque Oecumenicam non fuiſſe probare ſe poſſe arbitrantur. Primò quidem dicunt, *Marcum Epheſium* non ſubſcripſiſſe Florentinæ Synodo, & Græcos Antiſtites, qui ei ſubſcripſerunt, ſtatim atque in Græciam reverſi ſunt, facti pœnitentes, palinodiam palàm ceciniſſe, quod argumento eſt, illos liberè non ſubſcripſiſſe. Sed Græculi illi Schiſmatici, cæco furore in Eccleſiam Romanam abrepti, non animadvertunt, quòd ſi ejuſmodi argumentum ad elevandam authoritatem Oecumenicam Concilii Florentini aliquid roboris haberet, probaret etiam Synodos Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, Chalcedonenſem, & alias, verè non fuiſſe Oecumenicas, quia earum Definitionibus *Arius*, *Macedonius*, *Neſtorius*, *Eutyches*, aliique Hæretici in illis damnati ſubſcribere minimè voluerunt. Plures etiam Antiſtites, qui Concilio Nicæno interfuerunt, & Definitioni Fidei, atque *Arii* damnationi in eo ſubſcripſerunt, poſt tamen diſſolutionem Concilii Arianam Hæreſim profeſſi ſunt, ac in pluribus Synodis confirmarunt. Neceſſe itaque eſt, ut Græculi Schiſmatici aut Synodum Nicænam, & alias, quas mox retuli, Oecumenicas eſſe inficientur, aut ſi illas ut verè Oecumenicas admittant (ſicut illas ut tales ſe agnoſcere ultrò profiten-

tentur) oportet, velint nolint, ſi ſibi conſtent, ut fateantur, Synodum Florentinam Concilii Oecumenici auctoritate non excidiſſe, quamvis *Marcus Epheſius* ei ſubſcribere noluerit, & nonnulli Græcorum, qui Definitioni Fidei, ſeu unionis Decreto ſubſcripſerant, ad natale Solum poſtea reverſi, ejuratâ ſubſcriptione, ab unione defecerint, & in Schiſma ſint relapſi, quod ſanè non vis ipſis in Concilio illatæ, ſed eorum levitatis & perfidiæ fuit argumentum. In fumum igitùr evaneſcit hæc prima contra Synodi Florentinæ auctoritatem Græculorum Schiſmaticorum objectio. Ejuſdem furfuris eſt alterum argumentum, quod Græculi Schiſmatici ad labefactandam Synodi Florentinæ authoritatem proponunt. Ajunt quippè, Græcam Eccleſiam in Synodo Conſtantinopoli in Templo S. *Sophiæ* poſt mortem Imperatoris *Joannis Palæologi* anno MCCCCL. congregatam reprobaſſe ac damnaſſe Synodum Florentinam, *Gregorium* Patriarcham Conſtantinopolitanum ei adhærentem exauctoraſſe, atque in ejus locum *Athanaſium* ſuffeciſſe. Verùm, fruſtrà Græculi Schiſmatici obtrudunt hanc Sophianam Synodum, quam planè commentitiam, & à nebulone quodam recentiore malè cõſarcinatam fuiſſe *Leo Allatius* in Addendis ad Caput quartum libri III. *De perpetua Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis Conſenſione* invictis momentis probat, quorum præcipua hìc breviter referemus. Primò, in iſta Sophiana Synodo (uti modò habetur) nulla extat notio temporis, quo fuit celebrata, nulla menſis memoria, nulla Indictionis deſignatio, & ſi quæ occurrunt temporis notæ, adeò ſunt obſcuræ, ut nihil

certi

certi ex his cimmeriis tenebris erui poſſit. Secundò, in hujus Sophianæ Synodi Actis dicitur, Græcorum Imperatorem *Joannem Palæologum* ante obitum ab unione Eccleſiæ Latinæ defeciſſe; quod certè putidum mendacium eſt, cùm *Joannes Palæologus* ad mortem uſque in ea unione perſeveraverit, inſtitueritque Patriarcham Conſtantinopolitanum *Metrophanem Cyzicenum*, unioni addictiſſimum, & poſt ipſum, *Gregorium Protoſyncellum*, virum verè Catholicum, & egregium vindicem Synodi Florentinæ, quo adhùc ſuperſtite, Eccleſiam Conſtantinopolitanam gubernante, & unionem pro virili promovente, è vita exceſſit *Joannes Palæologus* Imperator, quem proinde à Fide Synodi Florentinæ, & ab unione ante ſuum obitum defeciſſe, falsò aſſeritur in hujus commentitiæ Sophianæ Synodi Actis. Tertiò, in ejuſdem Sophianæ Synodi Actis dicitur, *Gregorium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Synodo Florentinæ adhærebat, fuiſſe depoſitum & in ejus locum ſubrogatum *Athanaſium* anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, quo tamen tempore nondùm *Gregorius* præerat Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quippè qui dumtaxat poſt *Metrophanem* renunciatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto. Hujus autem *Athanaſii*, quem in locum depoſiti *Gregorii* ſuffectum fuiſſe mentiuntur illius Synodi Acta, nulla planè apud illius temporis Scriptores habetur memoria. Denique, in Actis hujus Sophianæ Synodi ſæpiùs citantur Scripta Patrum, Doctorumque Latinorum *Tertulliani*, *Cypriani*, *Hilarii*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Auguſtini*,

Leonis

Leonis Papæ, Bedæ, Anſelmi, Bernardi, Petri Lombardi, Gratiani, Thomæ Aquinatis, & *Scoti*, quos tamen Patres & Doctores Latinos non eſſe Græcis ità familiares nemo neſcit, maximè cùm multa horumce Scriptorum Latinorum Opera necdùm in Linguam Græcam verſa ſint. His, & aliis id genus momentis *Leo Allatius*, loco mox à me laudato, probat, hanc Sophianam Synodum, in qua Græculi Schiſmatici dictitant, damnatam ac rejectam fuiſſe Florentinam Synodum, eſſe planè ſuppoſititiam, & à recentiori quodam nebulone ex variis Græcorum Schiſmaticorum, præſertim *Amirutzi, Gemiſti*, & *Gennadii* contra Florentinam Synodum Scriptis concinnatam. Sed demus Græcis hanc Sophianam Synodum fuiſſe reverà celebratam, & in ea damnatam eſſe Synodum Florentinam, quid tum poſtea? Potuitne, quæſo, hæc Synodus Sophiana ex Græcis Schiſmaticis conflata rejicere & damnare Synodum Florentinam, quæ convocatione, congregatione, auctoritate, & univerſalis Eccleſiæ repræſentatione, Generalis & Oecumenica fuit? Potuitne privata hæc Græcorum Synodus Sophiana reprobare Synodum Florentinam ex Epiſcopis Orientis & Occidentis congregatam, cui præfuit Romanus Pontifex *Eugenius IV.* eique adfuerunt Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani Patriarcharum Vicarii, necnon Græci, Latinique Antiſtites magno numero; ad quam omnes Orbis Chriſtiani Provinciarum Præſules, & quotquot de jure, vel conſuetudine ad Concilium Generale venire tenebantur, per Litteras Encyclicas Summi Pontificis fuerunt

con-

convocati? Sanè Concilium Florentinum, cui omnes characteres ac notiones Concilii Generalis adamuſſim conveniunt, à privata Græcorum Schiſmaticorum Synodo Sophiana reprobari potuiſſe, nemo unquam dicet. Nec cauſari etiam poſſunt Græculi Schiſmatici, Synodum Florentinam è numero Conciliorum Generalium eſſe expungendam, eò quòd Gallicani Præſules, prohibente Rege Chriſtianiſſimo *Carolo VII.* ad eam non acceſſerint. Id, inquam, cauſari non poſſunt Græculi Schiſmatici, quia nec ad ſeptimam Synodum Generalem, quæ eſt Nicæna ſecunda, contra Iconoclaſtas celebrata, Gallicanis Præſulibus proficiſci permiſit *Carolus Magnus*, & tamen Græci hanc Synodum Nicænam ſecundam, non obſtante illa Præſulum Gallicanorum abſentiâ, in Conciliorum Oecumenicorum numerum etiamnùm adſcribere non dubitant, non aliâ, ut opinor, permoti ratione, niſi quia Synodus, ad quam Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopi concurrunt, Romano Pontifice per ſe, vel per Legatos præſidente, ſemper Oecumenica habita eſt, neque ut omnes adſint Epiſcopi neceſſe eſt, ſed ſufficit ut vocati fuerint, & eo ſint numero, qui univerſam repræſentet Eccleſiam. In hanc Concilii Generalis notionem conſentiunt omnes Theologi, quos inter unum exquiſiti judicii & eximiæ eruditionis laudabo noſtrum *Melchiorem Canum*, qui libro v. de Locis Theologicis capite III. hæc habet: *Concilia Generalia voco, quæ omnium Chriſtianorum Pontificum convocatione celebrantur. Inter multos autem diſceptatum eſt, an Generalis convocatio ſatis ſit, an etiam neceſſaria ſit Con-*

Congregatio Generalis? Si enim Summus Pontifex Concilium Generale indiceret, non congregarentur tamen niſi ſoli decem ex Italia Pontifices, hujuſmodi, profectò Synodus non eſt cur Generalis videatur. At contrà, ſi neceſſe eſt, Epiſcopos omnes congregari: Primùm, nullum fortè in Eccleſia tale adhuc Concilium fuit, in quod Epiſcopi univerſi convenerint. Deinde peſſimus quiſque Epiſcopus, dùm non ſolùm per negligentiam, ſed per malitiam Synodo adeſſe contempſerit, Generalem non eſſe calumniabitur, & Princeps in Republica quilibet, ſi illi Synodus diſplicuerit, interturbare eam minimo negotio poterit, cauſarique Epiſcopos ſuos, vel morborum, vel tumultuum cauſa Concilio intereſſe non poſſe. Verùm, quoniam omnes hujuſmodi controverſias perſequi non eſt operis inſtituti, huic quæſtioni breviter reſpondemus. Non ſatis eſt quidem ad Concilium Generale, ſi evocatio Generalis eſt, quandò adeò pauci congregantur, ut major meliorque Provinciarum pars relicta eſſe videatur; præſertim ſi cauſa legitima ſit cur Epiſcopi Synodo non adfuerint. At ſi per malitiam hominum peſſimorum una & item altera Provincia deſit, non propterea Concilii Generalis nomen amittit, ſed nec ſi per negligentiam quidem, aut aliam occaſionem quamlibet Epiſcopi aliquot deſint, nominis ſui jacturam Generale Concilium faciet, niſi in dubium vertimus, an Concilia illa quatuor, Nicænum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Chalcedonenſe Generalia ſint? Quamobrem, ut fideles, ita nos hoc loco loquimur, ut Synodum Generalem omnium Epiſcoporum evocatione legitima finiamus, licèt non ſit omnium congregatio. Communi enim fidelium ſenſu agendum eſt, cùm de rebus vocibuſque Eccleſiæ loquimur, idque eodem

modo

modo fecerunt ſapientes. Nec ſatis eſt tamen ad Generale Concilium evocatio Generalis, niſi ſit etiam Generalis congregatio, ſed ad Generalem congregationem omnium Epiſcoporum congregatio non requiritur. Epiſcoporum itaque Eccleſiæ Gallicanæ abſentia non magis obeſſe potuit auctoritati Oecumenicæ Concilii Florentini, quàm Synodi Nicænæ ſecundæ, quam tamen non ſolùm omnes Latini, ſed etiam Græci cùm Orthodoxi, tùm Schiſmatici, Synodorum Generalium numero accenſent. Negare igitur non poſſunt Græci Schiſmatici, Synodum Florentinam verè fuiſſe Oecumenicam, ac ſubindè fateri debent, eam damnari minimè potuiſſe à privata illa Synodo Sophiana, quam dicunt habitam fuiſſe à Græcis, qui poſt Synodum Florentinam ad ingenium & Schiſma redierunt. Sed ſatis hactenus dictum ſit de Generali Synodo Florentina, in qua Græcorum cum Latinis facta eſt unio, quam tamen citò abruperunt Græci Schiſmatici, quorum in Eccleſiam Romanam pertinax contentio, & æternum odium eſt. Sed non eſt, cùr perfidam illam Gentem & Protheo mutabiliorem moremur.

D. Huic accuratæ notitiæ, quam hùc uſque tradidiſti, Conciliorum Generalium, quæ Sæculo XV. fuerunt celebrata, debes in præſentia adnectere brevem deſcriptionem rerum, quæ in Conciliis Nationalibus, ſeu Provincialibus eodem Sæculo habitis geſtæ ſunt, & ab his præſertim Conciliis Nationalibus initium ſumere, quæ ad exterminandam graſſantem Wicleffiſtarum Hæreſim fuerunt coacta.

M. Ad Hæreſiarchæ *Joannis Wicleffi* confi-

gendam

gendam exitialem doctrinam *Guillelmus Courteneȷus*, Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus, Synodum Londini in Conventu FF. Prædicatorum anno MCCCLXXXII. convocavit, cui decem Epiſcopi, & omnium Ordinum Theologi, ac Juris Canonici Doctores adfuerunt, &, poſt maturum ac diuturnum Wicleffianarum viginti quatuor propoſitionum examen, declararunt, earum aliquas eſſe *hæreticas*, aliquas *erroneas & determinationi Eccleſiæ contrarias*. In eadem Synodo habita quæſtio eſt in *Nicolaum Hereford*, *Philippum Rapingdon*, & *Joannem Aiſthon*, Wicleffi Diſcipulos, quorum duo priores vocibus ambiguis præcipua Hæreſeos Capita damnarunt, quibus propterea conceſſæ ſunt induciæ, ut fidem proſcriptis articulis oppoſitam clariùs profiterentur, alioqui damnationis Sententiam excepturi. Tertius verò, excuſſo omni religionis jugo, petulantiùs reſpondit, ac ſtatim hæreſeos convictus atque damnatus eſt. *Wicleffus* coram eadem Synodo ſeſe ſiſtere compulſus eſt à Lancaſtriæ Duce & errores ſuos Scripto ejurare ſub præſcripta Formula, quam Anglicanorum Conciliorum Compilator *Spelmannus* conſultò ſuppreſſit. Fatetur tamen *Guillemus Cave* in Appendice *Hiſtoriæ Literariæ* pag. 35. *Joannem Wicleffum*, ut ſaluti ſuæ conſuleret, errorum ſuorum palinodiam in hac Synodo Londinenſi decantaſſe, eumque mortis terrore adactum, brevem de Sacramento Altaris Synodo obtuliſſe declarationem vernaculo ſermone exaratam, quam ait extare apud *Henricum Knightonem*, natione Anglum, & Monaſterii Leiceſtrenſis Canonicum Regularem, in ſuo *Chronico de Eventibus Angliæ*

libro

libro v.pag. 1647. Hujus Synodi Londinenſis contra *Wicleffum* coactæ Hiſtoriam deſcribunt jam citatus *Henricus Knighton*, *Windefordus*, & *Walſinghamus*. Ejuſdem Synodi Londinenſis Acta, Concluſiones, Interrogationes, & Reſponſiones, & alia hùc pertinentia extant apud *Henricum Spelmannum* in Collectione Conciliorum Britanniæ pag. 629. & ſeq. quibus ſubjunguntur Litteræ *Richardi*, Regis Angliæ, Cantuarienſi Archiepiſcopo, cæteriſque Epiſcopis permittentis, ut eos, qui vel hæreſim prædicarent, vel de illa eſſent ſuſpecti, in carcerem detruderent. Ad extirpandam eamdem *Joannis Wicleffi* Hæreſim *Thomas Arundellius*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Synodum Londinenſem anno MCCCXCVI. congregavit, in qua octodecim Articuli ex *Joannis Wicleffi* Trialogo excerpti, confixi ſunt, quos recenſet *Guillelmus Windefordus* in Tractatu, quem edidit contra *Wicleffi* errores. Extant etiam hi octodecim *Wicleffi* Articuli in hac Synodo damnati Tom. XI. Conciliorum par. 2. pag. 2080. cum prolixo Tractatu, quem juſſu *Thomæ Arundellii*, Cantuarienſis Archiepiſcopi, contra prædictos *Wicleffi* Articulos lucubravit *Guillelmus Woodfordus* Ord. Minorum. Non multò poſt idem Archiepiſcopus Cantuarienſis *Thomas Arundellius* alterum Concilium Oxonii anno MCCCCVIII. celebravit, in quo Decr. Synodale Articulos 13. complectens adversùs Hæreſis Wicleffianæ ſeminatores editum eſt. Et primò quidem, lib. *Joannis Wicleffi*, alioſque legi vetuit iſtud Oxonienſe Concilium, niſi ab Oxonienſi, vel Cantabrigenſi Academiis, aut à duodecim Theologis ab iiſdem deſignatis, prævio & accurato examine, dem-

deindè ab Archiepiſcopo Cantuarienſi fuiſſent approbati. Secundò, neminem ad prædicandum Verbum Dei admitti ſtatuit, niſi priùs facultatem ab Epiſcopo impetrarit, ſuæque miſſionis fidem fecerit legitimis ac indubitatis documentis. Tertiò, quia multi Oxonienſis Academiæ Scholaſtici Wicleffianæ Hæreſeos peſte erant afflati, injunxit Concilium omnibus Collegiorum Cuſtodibus, ut ſingulis menſibus in doctrinam ac mores ſuorum Scholaſticorum inquirerent, & in eos, qui ſuſpicione vel infamiâ hæreſeos laborarent, Cenſuris Eccleſiaſticis, ſi opus eſſet, animadverterent. Denique, cùm Hæretici Wicleffiſtæ novas Scripturæ Sacræ in linguam vernaculam Verſiones cuderent, ſub majoris excommunicationis pœna prohibuit Concilium, ne aliqua Scripturæ Sacræ vulgaris fieret, aut legeretur Verſio, *quouſque per loci Diœceſanum*, ideſt Epiſcopum, *ſeu ſi res exegegerit, per Concilium Provinciale, ipſa translatio fuerit approbata. Qui contra fecerit, ut fautor hæreſis & erroris puniatur.* Ita decernitur Canone 7. hujus Oxonienſis Concilii. Undè obitèr obſervare debes, quòd licèt Scripturæ Sacræ Lectio etiàm in lingua vulgari ſecundùm ſe bona ſit, prudenter tamen Eccleſia, quæ pia Mater eſt, non omnibus promiſcuè poteſtatem permittit legendi Scripturam Sacram in linguam vernaculam translatam, tum quià ſæpiùs experientiâ compertum eſt, Hæreticos, præſertim Waldenſes, & Wicleffiſtas, ſcripturæ Sacræ verſiones in lingua vernacula in vulgus ſparſiſſe, quò faciliùs rudibus & imperitis errores ſuos inſtillare poſſent; tùm quia etiam propter hominum infirmitatem, temeritatem, ignoran-

rantiam, & malitiam, contingeret, multos hiſce vulgaribus Scripturæ Sacræ verſionibus abuti, & grave inde nocumentum accipere, unde utilitatem haurire deberent, cujus graviſſimi mali exemplum cernere eſt in Hæreticis noſtri temporis, apud quos mulieres, quas lanam texere, vel apprehendere fuſum magis expediret, & quidem zonarias, bovillas, piſtrices, ſutrices, & alias è fœce vulgi, Scripturam Sacram, quam ob ſacri Textus profunditatem intelligere haud poſſunt, impunè lectitant, & de libris ſacris opportunè, importunè, & ſemper ineptè garriunt. De ea temeritate & audacia jure optimo conqueritur *S. Hieronymus* in Epiſtola ad *Paulinum* ſacris Bibliis præfixâ, ubi hæc habet: *Tractant fabrilia Fabri, ſola Scripturarum Ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc dilirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant.* Sapientiſſimè itaque Eccleſia pro ratione circumſtantiarum loci, temporis, perſonarum, non omnibus indiſcriminatim permittit Vernacularum Scripturæ ſacræ Verſionum, etiam Catholicarum, lectionem, ſeque in hoc capite habet, ſicut ſollicita quæpiam mater, quę infantulos adhuc teneros & imbelles non ſinit deſecare panem, ne ſe lædant inter deſecandum; ſed ipſamet concidit, immò ſæpè mandit, & manum inſerit in os puſillorum, qui, ob gingivam adhùc inermem, ipſum frangere nequeunt. Sed redeamus ad Concilia Nationalia, in quibus damnata eſt Vvicleffiſtarum Hæreſis. Præter hæc Concilia, quæ hactenùs adduximus, in Anglia contra Hæreſiarcham *Wicleffum* cele-

brata, aliam Synodum anno MCCCCXIII. jam laudatus *Thomas Arundellius*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, habuit Londini contra *Joannem Oldcalſtell*, Virum nobilem & potentem, Vvicleffianæ Sectæ profeſſorem, ac fautorem pertinaciſſimum, qui è Turri Londinenſi, in qua Regiâ juſſione concluſus fuerat, ad hanc Synodum adductus, hæreſeos palàm convictus eſt, cùmque eam nullo pacto ejurare vellet, ceù contumax puniendus ſæculari judicio relictus eſt. Hujus Synodi Acta refert *Walſinghamus* in Hiſtoria Anglicana in *Henrico V.* ad hunc annum MCCCCXIII. Denique, *Joannes XXIII.* Romæ eodem anno MCCCCXIII. Synodum habuit, in qua *Wicleffi* doctrinam confixit, & ab ordinariis locorum, adhibitis Cenſuris Eccleſiaſticis, conquiſitos hujus Hæreſiarchæ libros igne concremari juſſit, eos verò, qui ejuſmodi libros retinerent, legerent, exponerent, docerent, laudarent, tanquàm ſuſpectos de fide puniendos eſſe ſtatuit. Hæc ſunt Concilia Nationalia, quæ Sæc. XV. ad exſcindendam peſtiferam Hæreſim Vvicleffianam fuerunt convocata, quibus authoritatem adjecit Synodus Generalis Conſtantienſis anno MCCCCXV. indicta, quæ, ſicut in ſuperiori Colloquio obſervavimus, quadraginta quinque propoſitiones *Joannis Wicleffi* damnavit, omnes illius libros ac Tractatus ignibus publicè tradi juſſit, ſicut in Concilio Romano ſtatutum fuerat, ipſumq; *Wicleffum*, in hęreſi pertinacem demortuum, diris Chriſtiano ritu devovit, illius damnavit memoriam, & ejus corpus exhumari, proculque ab Eccleſiaſtica ſepultura projici mandavit. Cum Eccleſiaſtica authoritate in exterminium Vvicleffianæ

ſianæ

ſianæ Hæreſeos concurrit Regia poteſtas. *Richardus* ſiquidem hujus nominis *II.* Angliæ Rex, anno MCCCLXXXVIII. ſolemni Edicto libros & Scripta omnia *Joannis Wicleffi*, *Nicolai Herfordii*, & *Joannis Aiſton*, ubicumque in Regno & ditionibus ſuis inveniri poſſent, diligentèr conquiri, & ad Conſilium ſuum deferri juſſit, ignibus tradenda, & illa à quovis ſubditorum ſuorum ſervari, legi, deſcribi, vendi, aut emi, diſtrictè prohibuit, vel proſcriptos *Wicleffi* errores propugnari ſub pœna carceris. Extat hoc Regium Edictum apud *Henricum de Knigton* lib. 5. *de Eventibus Angliæ*. Vvicleffiſtas Edictis ſuis paritèr inſectati ſunt, & in ordinem redegerunt *Henricus IV.* & *Henricus V.* Angliæ Reges, ſicut teſtatur *Nicolaus Harpsfeldius* in Hiſtoria Vvicleffiana capite XVII.

D. Fueruntne aliqua Concilia Sæculo Eccleſiæ decimo quinto celebrata ad abolendum funeſtum illud Schiſma, quo ad electionem uſque *Martini V.* Pontificis Maximi ſciſſa fuit Eccleſia?

M. Pretèr Concilia Generalia Piſanum, & Conſtantienſe, quæ Sæculo XV. ad extinguendum dirum iſtud Schiſma habita ſunt, & de quibus in præſenti noſtro Colloquio ſat copiosè diximus, tria alia celebrata ſunt Concilia, ſi tamen Concilia appellari debeant, & non potiùs Conciliabula, cùm ex his duo fuerint convocata à *Petro de Luna*, qui in ſua Obedientia dicebatur *Benedictus XIII.* tertium verò indictum ſit ab *Angelo Corario*, qui in ſua Obedientia *Gregorius XII.* appellabatur. Primum Concilium, ſeu Conciliabulum Perpinianum, *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus XIII.* Kal. menſis Novemb. anni MCCCCVIII. congregavit, eo potiſ-

ſimùm ſine, ut Cardinalibus, qui, ad tollendum Schiſma, Concilium Generale Piſanum mox celebraturi erant, fraudem faceret, & in ſui gratiam tanquàm Legitimi Pontificis & Chriſti in terris Vicarii, Synodicam declarationem obtineret. Hoc Conciliabulum in Aragonia *Alphonſus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Hiſpalenſis Eccleſiæ adminiſtrator, aperuit eleganti gratiſſimâque concione. Dein, *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus XIII.* ſanctioris ærarii Magalonenſis Præfectum, Eccleſiæ Aſtenſis adminiſtratorem, Patriarcham Antiochenum, & *Franciſcum Ximenium*, Ordinis Minorum, Virum magnâ & multiplici doctrinâ, ac diffusâ Scriptorum copiâ clariſſimum, Hieroſolymitanum Patriarcham creavit, qui ab Auxitano Epiſcopo Cardinali die xx. menſis Novembris fuerunt conſecrati. In ſeptem prioribus hujus Conciliabuli Perpiniani Seſſionibus nihil actum eſt obſervatione dignum. Sed in octava Seſſione cùm *Benedictus XIII.* Patres conſuluiſſet, quid è Republica Chriſtiana eſſe cenſerent, & quam viam ad procurandam Eccleſiaſticam concordiam, abolendumque Schiſma, expeditiorem eſſe judicarent? in contrarias partes Patrum opiniones in deliberando diſtractæ ſunt: quibuſdam aſſerentibus à *Benedicto XIII.* Legatis mandata danda eſſe, ut ejus nomine Pontificiam dignitatem, nullâ interpoſitâ morâ, abrogarent. Aliis verò tempus ducentibus & maximè diſiuncta atque contraria opinantibus. Ea opinionum & ſententiarum, in quas abierunt Patres, diſcrepantia eò rem deduxit, ut è Concilio penè omnes diſceſſerint, & in eo octodecim dumtaxàt permanſerint Prælati,

lati, qui declararunt, *Petrum de Luna*, dictum *Benedictum XIII.* nec Schiſmaticum, nec Hæreticum eſſe, ſed verum Chriſti Vicarium, ipſum tamen monuerunt primò, ut, non obſtantibus quibuſcumque tribulationibus, perſecutionibus & impedimentis, dignaretur proſequi efficaciter negotium unionis Sanctæ Matris Eccleſiæ per viam renunciationis, quam omnibus aliis viis præferre debebat, nullâ tamen aliâ viâ excluſâ. Secundò, ut oblationem, quam fecerat intruſo de renunciatione, in caſu renunciationis, vel mortis dicti intruſi, dignaretur extendere ad caſum dejectionis ejuſdem intruſi, ſi fieret ſecundùm fidem & obedientiam partis ſuæ. Tertiò, ut mitteret certos Nuntios, probos Viros, Deum timentes, ad hoc idoneos, nomine & pro parte Sanctitatis ſuæ ad intruſum, & ſuos Anti-Cardinales cum ipſo Piſis & alibi degentes, necnon ad illos Dominos Cardinales Piſis exiſtentes, & ad alios, qui in hoc ſancto unionis negotio proficere poſſent, cum plena ac libera & ſufficienti poteſtate tractandi, concordandi omnia, & locum idoneum ac ſecurum aſſignandi, in quo *Petrus de Luna*, ſeu *Benedictus XIII.* omnia, quæ concordata & firmata eſſent per illos, efficaciter exequeretur perſonaliter, vel ſi perſonaliter ire nollet, vel infirmitate corporis impeditus non poſſet, per alium, ſeu alios habentes plenariam & liberam poteſtatem ad omnia, quæ ipſe *Benedictus XIII.* facere poſſet, uſque ad renunciationem incluſivè. Quartò, ut mandaret fieri formam procurationis in prædictis caſibus executioni committendæ, pleniori & meliori modo, quo fieri & ordinari poterat. Quintò,

ut, ſi ante obtentam unionem contingeret eum mori, poſſet ad unionem debitè & Canonicè procedi talitèr, quòd poſt ejus obitum propter defectum proviſionis non differretur, ſeu non impediretur unio, ne ſcandala, aut nova Schiſmata orirentur in Eccleſia. Denique, ut in caſu, quo aliqui ſcandala, ſeu Schiſmata ſuſcitare vellent, per debitas Conſtitutiones, ſeu remedia prohiberet ipſe & provideret, ne ad ſimilia perpetranda procederetur, ſub pœnis, & Decretis & prohibitionibus ad hoc neceſſariis & opportunis. Hæc omnia Monita ſcripto mandata *Petro de Luna*, ſeu *Benedicto XIII.* fuerunt exhibita, qui his lubenti animo ſe acquieſcere innuit, & omnes propoſitas conditiones impleturum ſe fidelitèr promiſit, ſed verba dedit, nec adduci unquàm potuit, ut Pontificatui renuntiaret. Acta hujus Conciliabuli Perpiniani deſcribit *Theodoricus à Niemo* libro 3. *Schiſmatis* cap. 36. & 37. Extant etiam Tomo XI. Conciliorum P. *Labbe* part. 2. pag. 2108. & Tomo III. Cardinalis *de Aguirre* De Conciliis Hiſpaniæ pagin. 637. & ſequentibus. Aliud Conciliabulum, ſeu Salmanticenſe, anno MCCCCX. celebravit idem *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus XIII.* in quo concordibus votis tanquàm verus totius Eccleſiæ Pontifex fuit acclamatus. Titulus Synodi in membranis Salmanticenſibus hic eſt: *Liber Synodalis editus per Dominum Fr. Gundiſalvum, Dei gratia Epiſcopum Salmanticenſem, Magiſtrum in Theologia, Ordin. Prædicatorum, ſub A.D.* MCCCCX. *Pontificatus D. Benedicti Papæ XIII. anno* II. *Fuit publicatus eodem anno in Eccleſia Cathedrali Salmantina in Synodo*. In hoc tamen Titulo corrigendum eſt, ut eru-

ditè

ditè obſervat Card. *de Aguirre* Tomo III. Conc. Hiſpaniæ pag. 645. mendum, quod reperitur circa *Petri de Luna*, dicti *Benedicti XIII.* prætenſi Pontificatus annum. Non enim *Petrus de Luna* an. MCCCCX. quo habitum eſt Salmanticenſe Conciliabulum, decurrebat prætenſi ſui Pontificatus annum ſecundum, ſicut legitur in hujus Synodi Titulo, ſed decurrebat annum decimum ſextum. Electio quippè *Petri de Luna*, ſeu *Benedicti XIII.* facta fuit anno MCCCXCIV. ſicut oſtendimus in Colloquio ſecundo. Dùm rebus ſuis ſic conſuleret *Petrus de Luna*, dictus *Benedictus XIII.* ſibi etiam non defuit *Angelus Corarius*, dictus *Gregorius duodecimus*. Hic quippè Concilium, ſeu potiùs Conciliabulum ad Utinum, Urbem Diœceſis Aquilejenſis, in Feſto Pentecoſtes anni MCCCCX. congregavit, in quo verus Eccleſiæ Paſtor, & unicus Chriſti in terris Vicarius fuit declaratus. Verùm, his Conciliabulis nec *Petrus de Luna*, ſeu *Benedictus XIII.* nec *Angelus Corarius* dictus *Gregorius XII.* res ſuas promovere potuerunt, ſed poſt electionem *Alexandri V.* Pontificis Maximi factam in Generali Concilio Piſano anno MCCCCIX. habiti ſunt ab Eccleſia tanquam pſeudo-Pontifices, eorumque depoſitio confirmata fuit in Concilio Generali Conſtantienſi coacto anno MCCCCXV. in quo, ut ſuperiùs diximus, trium Summo Pontificatui inhiantium *Benedicti XIII.*, *Gregorii XII.* & *Joannis XXIII.* Schiſma extinctum fuit, & electus *Martinus V.* quem, ceu legitimum Pontificem Romanum, & verum ac unicum in terris Chriſti Vicarium, univerſa agnovit, coluitque Eccleſia.

D. Supereſt, ut ſub finem hujuſce noſtri Colloquii in medium producas Leges, ſeu præcipuas Conciliorum Nationalium Sanctiones, quibus Sæculo decimo quinto firmata eſt Eccleſiæ Diſciplina.

M. Aliquot Concilia Nationalia variis in locis pro reformatione morum, & reſtauranda Eccleſiæ Diſciplina Sæculo decimo quinto habita ſunt, quæ juxta ordinem Chronologicum hìc indicare abundè ſufficiet. In primis, anno circitèr milleſimo quadringenteſimo vigeſimo *Eberhardus*, Archiepiſcopus Saltzburgenſis, Sedis Apoſtolicæ Legatus, Provinciale Concilium in ſua Metropoli celebravit, in quo XXXIV. condita ſunt Decreta, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ apprimè utilia, quorum ultimum prohibet inhoneſtum habitum mulierum, caudas, monſtroſa capitis ornamenta, mandatque ſub Excommunicationis Sententia univerſis & ſingulis Laicis, ut uxores ſuas, & filias veſtium, ac mundi muliebris luxum, immodeſtiam, ſuperfluitatem reſecare, aut moderari cogant, ipſiſque mulieribus, ſub eadem pœna præcipit, ut in hoc maritis ſuis morem gerant; Epiſcopis verò & Parochis, ut rebelles ac pervicaces hac in re mulieres arceant à Communione: Sæcularibus tandem Poteſtatibus, ut ad executionem hujus ſaluberrimi Statuti pœnales etiam Leges ferant, alioquin eâdem Cenſurâ percellantur. Paulò poſt celebrationem hujuſce Saltzburgenſis Concilii, *Theodoricus* Colonienſis Archiepiſcopus Synodum Provincialem anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio convocavit, in qua undecim publicata ſunt Decreta contra Clericos

Con-

Concubinarios, contra Eccleſiaſticæ libertatis hoſtes, eorumque fautores, contra Canonicos, reliquoſve Clericos in Eccleſia vel Cœmeterio deambulantes, quibus præcipitur ſub pœna privationis fructuum ad octo dies, ne ſtando vel ſedendo confabulentur, dùm divina peraguntur Officia. Decernit etiam eadem Synodus Colonienſis, ut pulſentur campanæ omnibus ſextis feriis circà meridiem, quò Fideles memoriam Paſſionis Chriſti majori cum devotione recolant, ſingulis verò diebus circà Solis ortum, in memoriam Compaſſionis glorioſæ Virginis *Mariæ*, & certas preces ad hujuſmodi campanæ pulſum recitantibus Indulgentias XL. dierum concedit. Demùm, Feſtum *Compaſſionis* Beatæ Virginis *Mariæ* celebrari ſtatuit. Ad ſanciendam itidèm Eccleſiæ Diſciplinam *Joannes de Nanton*, Archiepiſcopus Senonenſis, Provinciæ ſuæ Concilium Pariſiis celebravit anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono, in quo quadraginta conſtituta ſunt Decreta, quorum alia reformationem divini Officii ſpectant, alia mores Prælatorum, Abbatum, Abbatiſſarum, Monachorum Ordinis Sancti *Benedicti*, & Canonicorum Regularium Sancti *Auguſtini*, alia ad Clericorum vitæ honeſtatem, & Sæcularium correctionem ordinantur. Eodem anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono habitum eſt in Catalonia Concilium Dertuſanum apud Urbem, quæ nunc *Tortoſa* dicitur, Præſide *Petro de Fuxo*, Cardinali, & *Martini V.* Pontificis Maximi Legato, in quo primùm extinctæ ſunt infauſti Schiſmatis reliquiæ per abdicationem *Ægidii de Munione*, qui *Clementis VIII.* nomine, poſt

Pe-

Petrum de Luna, dictum *Benedictum XIII.* Pontificatum invadere præſumpſerat. *Alphonſus* Aragonum Rex in gratiam *Martini V.* admiſſus eſt, ejuſdemque Pontificis obedientiam profeſſi ſunt Epiſcopi Hiſpani, qui ab anno MCCCLXXVIII. hoc eſt, ab electione *Clementis VII.* tempore Schiſmatis Avenione ſedentis, uſque ad annum MCCCCXXIX. pernicioſo Schiſmate fuerant ab Eccleſia diviſi. Sublato illo Schiſmate, Epiſcopi Hiſpani in hoc Concilio Dertuſano congregati, Eccleſiaſticam Diſciplinam, Schiſmatis tempore fœdè prolapſam, viginti Decretis inſtaurarunt. Primum eſt de Vita & honeſtate Clericorum, eiſque modeſtiam in veſtibus ſervandam imperat. Secundum & tertium coercent Clericos, & Religioſos Militarium Ordinum Equites concubinarios. Quartum ſtatuit, ut Clerici Beneficiati, vel in Sacris Ordinibus conſtituti propria habeant Breviaria. Quintum prohibet, nè indigni & illiterati ad Sacros Ordines promoveantur. Sextum, ſtatuit modum inſtruendi populum circà fidem neceſſaria. Septimum vetat, ne in domibus privatis, vel capellis adminiſtrentur Sacramenta, aut Miſſæ pro nuptiis vel ſepulturis adminiſtrentur. Octavum cavet, ne ſine auctoritate Ordinarii, & abſque dote ſufficienti Beneficium Eccleſiaſticum inſtituatur. Nonum præcipit, ut Neophyti per Cenſuram Eccleſiaſticam diſtrictè compellantur infantes ſuos infra octo dies à nativitate deferre ad Baptiſmum. Decimum ſancit, ut Vicarii, & Principales Officiales Epiſcoporum Sacris Ordinibus ſint initiati. Undecimum eſt contra illos, qui litteras Regiæ familiaritatis, ideſt, ut in Regis familiam admit-

tantur, per ſubreptionem impetrant. Duodecimum eſt adversùs illos, qui Clericos ad Sæculare judicium trahere moliuntur oppreſſionis prætextu. Decimum tertium excommunicatione illos ferit, qui animos Principum, aut Dominorum temporalium accendunt contra Eccleſiam & Eccleſiaſticam libertatem. Decimum quartum Prælatos Regulares admonet, ut ſubditorum vitia atque exceſſus diligenter corrigant. Decimum quintum denuntiat excommunicatos judices delegatos metas ſui Officii excedentes. Decimum ſextum excommunicat Quæſtores, qui abſque litteris Diœceſani Epiſcopi quæſturam, aut prædicationis officium exercent. Decimum ſeptimum providet adversùs exceſſus Clericorum, aut Religioſorum, ut ſine litteris Ordinariorum ad excipiendas Confeſſiones non admittantur. Decimum octavum prohibet, ne Eccleſiarum Prælati bona *decedentium Religioſorum,* quibus *ſecundùm ſtatuta, vel laudabiles conſuetudines* permiſſum eſt *de bonis ſibi à Deo collatis diſponere*, ullatenùs occupent. Decimum nonum innovat Decretum Lateranenſis Concilii IV. circa Medicos, quibus præcipitur ut non viſitent infirmum ultrà tertiam vicem, qui in illa infirmitate non fuerit confeſſus. Vigeſimum denique, Clementinam *De Judæis, & Saracenis,* jubet inviolabilitèr obſervari. Hæc viginti iſtius Concilii Dertuſani Decreta, ſeu Capitula, nec non illius Acta, quibus *Ægidii de Muniqne* Antipapæ, dicti *Clementis VIII.* Bulla ceſſionis, & octo Litteræ *Alphonſi* Aragonum Regis Litteræ datæ pro aſſerendis immunitatibus, privilegiis & libertatibus Eccleſiæ ſubnectuntur, inſeruit, ac per-

perdoctis Notis illuſtravit Cardinalis *de Aguirre* Tom.3. *de Conciliis Hiſpaniæ* à pag. 648. uſque ad pag. 670.

D. Hæc ſunt igitur omnia Concilia Nationalia, quæ ad reformandos mores, & reſarciendam Eccleſiaſticam Diſciplinam Sæculo decimo quinto fuerunt celebrata.

M. Prætèr hæc Concilia Nationalia, quæ hactenùs percenſui, quædam alia in rem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ habita ſunt, à quibus impræſentiarum me breviter expediam. *Rodulphus Rouſſelius* Rothomagenſis Archiepiſcopus, Concilium anno MCCCCXLV. in ſua Metropoli indixit, in quo ad rectæ fidei propugnaculum, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ munimen, Canones XL. editi ſunt contra magicos Libellos, Dæmonum invocatores, Ariolos, incantatores, & eos, qui cum ipſis conſuetudinem habent, aut ad illos recurrunt; contra ſuperſtitiones recens invectas aut uſurpatas; contra Clericos concubinarios, contra Sacerdotes, qui pro Miſſis celebrandis turpes aliquas pactiones faciunt. Præcipit etiam idem Concilium Rothomagenſe, ut Beneficia Eccleſiaſtica perſonis idoneis & benemeritis tam ex parte patronorum Eccleſiaſticorum, & Laicorum, quàm collatorum, & ordinatorum, liberaliter & abſque ulla illicita pactione conferantur, & ad illa præſententur. Item jubet, ut hi, qui ad Sacros Ordines ſunt promovendi, Epiſcopo Diœceſano, aut ab eo deputandis examinatoribus ſe præſentent, & ab illis benè & maturè examinentur, nec ad Sacros Ordines recipiantur, niſi reperiantur ætatis & qualitatum aliarum, quas Sacri definiunt Canones. Deniquè, præ-

præcipit iſtud Concilium Rothomagenſe omnibus Clericis, ut in ſuis Beneficiis, juxta eorum fundationes, habitibus decentibus reſideant, ut nullas mulieres, niſi de illis ſint, in quibus naturæ fœdus nihil permittit ſæui criminis ſuſpicari, ſecum retineant, & ut Eccleſiarum Parochialium Rectores Dominicis ſaltem diebus & aliis ſolemnibus Parochianos ſuos in fide & moribus inſtruant. Turonenſis Provinciæ Concilium *Joannes* Archiepiſcopus Turonenſis unà cum ſuis Suffraganeis habuit Andegavi anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo, & in eo ad reformandos Cleri populique mores ſeptemdecim editi ſunt Canones, de temporibus Ordinationum; De Vita, & honeſtate Clericorum; De Clericis non reſidentibus; De ſilentio in Choro; De Ludis illicitis & prohibitis; De Concubinariis, qui poſt canonicam monitionem à Communione arceri debent; De Matrimoniis clandeſtinis; De ſecundis nuptiis; De Reliquiis Sanctorum, quas causâ quæſtus circumferri non debere decernitur &c. Compendium ſeptemdecim Concilii Andegavenſis Canonum protulit *Poſſevinus* Tomo II. *Apparatus Sacri*, ſed integri, ex doctiſſimi *Jacobi Sirmondi* apographo deſcripti, habentur Tomo XII. Conciliorum Editionis Labbeanæ pag. 1352. Provinciæ Remenſis Concilium *Joannes Juvenalis De Urſinis* Metropolita Remenſis anno MCCCCLV. in Urbe Sueſſionenſi convocavit, in quo abuſus, qui, bellis id temporis flagrantibus, in Eccleſiam irrepſerant, ſublati ſunt; Cultui divino ſuus reſtitutus decor; aliaque ſalubritèr conſtituta circà Eccleſiaſticam immunitatem, Clericorum vitæ honeſtatem,

ſtatem, & reformationem Monaſteriorum tàm Religioſorum, quàm Monialium. Aliud Concilium in Galliis eodem Sæculo decimo quinto in cauſa Diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformandæ celebratum eſt, Senonenſe videlicet, quod à *Triſtando de Salazar* Archiepiſcopo, ejuſque ſuffraganeis anno MCCCCLXXXV. habitum eſt & in eo Conſtitutiones alterius, quod præceſſerat, Concilii Senonenſis coacti anno MCCCCLXII. cui præfuerat *Ludovicus de Melidano* Archiepiſcopus Senonenſis, fuerunt renovatæ, hiſque acceſſere nova hujus poſterioris Synodi Senonenſis quatuor Decretorum capita, quibus reformata eſt Eccleſiæ Diſciplina. Primum ſpectat devotam Officii divini celebrationem. Alterum, multa circà Virorum Eccleſiaſticorum reformationem ſtatuit de Epiſcoporum converſatione & moribus; de Ordinum celebratione; de Viſitationibus, & Collationibus Beneficiorum; de Concubinariis; de veſtium honeſtate & modeſtia; de Clericorum honeſta converſatione & prohibitione à tabernis, ab ebrietate, negotiationibus, mercimoniis, á ſæcularium negotiis & procurationibus, ab aleis, taxillis, & aliis ludis cum violentis corporis exercitiis conjunctis; de jurisdictionis Eccleſiaſticæ Adminiſtris reformandis, & de emendatione Quæſtorum, qui per diverſas plagas & regiones, quas peragrabant, non ſolùm prædicationis officium ſine ulla canonica approbatione quandòque uſurpabant; ſed etiam ſæpè numero falſas litteras & Bullas circumferebant, ut credulorum & ſimplicium emungerent marſupia, & ab illis titulo eleemoſynarum pecunias extorquerent. Tertium Decretorum

tor um caput ſpectat Virorum Religioſorum reformationem, & inter alia prohibet, ne aliquid ex pacto recipiatur pro ingreſſu Religionis. Quartum caput verſatur circa Laicorum, & omnium Fidelium reformationem, multaque decernit de Feſtis piè celebrandis, de puniendis blaſphemis, de ſolvendis Decimis, de Matrimoniis palàm in Eccleſia contrahendis, de libertate, & immunitate Eccleſiæ adversùs Laicos propugnandâ, & de promulgatione atque obſervantia Decretalium ad Sanctimonialium ſtatum pertinentium. His quatuor Conciliis Provincialibus, quæ pro Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reformatione Sæculo xv. in Galliis habita ſunt, duo alia Concilia adjungere placet, quæ eodem Sæculo ad reſtaurandam paritèr collapſam Eccleſiæ Diſciplinam in Hiſpania fuerunt celebrata. Primum, eſt Concilium Matritenſe, quod à *Roderico de Borgia* Cardinali & Sedis Apoſtolicæ Legato anno MCCCCLXXIII. convocatum eſt, occaſione pudendæ inſcitiæ, quæ ſub *Henrico IV.* Hiſpaniarum Rege, ſicut jam ex *Mariana* obſervavimus in primo Colloquio, Sacerdotes Hiſpaniæ adeò invaſerat, ut pauci Latinè ſcirent, & omnes ventri, gulæ, ſuiſque propriis commodis inſervirent. Ad tollendum prædictum illud inſcitiæ malum, Epiſcopi in hoc Concilio Matritenſi congregati impetrarunt à Pontifice Romano, ut in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus bini Canonicatus inſtituerentur, ſuffragiis Epiſcopi, & Collegii, quorum alter Theologo, alter jureconſulto obveniret. Hujus impetrati Pontificii diplomatis præcipuam partem inſeruit *Mariana* Cap. XVIII. Libri XXIII. *De Rebus Hiſpan.*

Me-

Meminit iſtius Concilii Matritenſis Cardinalis *de Aguirre* Tomo III. *Conc. Hiſpaniæ* pag. 671. Alterum Concilium ad corrigendos Cleri populique mores in Hiſpania eodem anno MCCCCLXXIII. in Oppido *Aranda*, Diœceſis Toletanæ, indèque dictum Concilium Arandenſe, Præſide *Alphonſo Carrillo* Archipræſule Toletano, celebratum eſt, & in eo pro reſarcienda Eccleſiæ Diſciplinâ viginti novem publicata ſunt Decreta, quorum primum ſtatuit, ut Archiepiſcopi Synodos Provinciales in biennio, & Epiſcopi Synodalia ſingulis annis Concilia celebrent. Secundum, decernit ut Rectores Eccleſiarum præcipua Chriſtianæ Doctrinæ Capita habeant in ſcriptis, eaque populo tradant. Tertium, prohibet ne ad Sacros Ordines promoveantur hi, qui latinè loqui neſciunt. Quartum, præcipit Epiſcopis, ut non admittant Clericos aliarum Diœceſum abſque litteris commendatitiis. Quintum, ſancit, ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi veſte lineâ ſuperiori, vulgariter *Roqueto* nuncupatâ, in publico ſemper utantur, ipſiſque prohibet veſtes ſericas qualeſcumque, necnon ſotulares, ſeu calceos albos. Sextum, vetat Clericis, ne induantur veſtibus ſericis, rubeis, vel viridibus, nec ſotulares, ſeu calceos albos, deferant. Septimum, jubet ut obſerventur dies Dominici & Feſtivi. Octavum, Clericis lugubres veſtes prohibet. Nonum, Clericos Concubinarios pœnis canonicis coercendos ac plectendos decernit. Decimum, Parochialium Eccleſiarum regimini eos præfici vetat, qui latinè loqui neſciunt, idemque de Canonicatibus & Dignitatibus Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum decernit.

nit. Undecimò, ludus taxillorum Clericis inhibetur ſub gravi mulctâ pecuniariâ piis uſibus applicandâ. Duodecimum, præcipit Epiſcopis ut ter,& Presbyteris ut quater ſaltèm in anno Miſſam celebrent. Decimum tertium, ſtatuit ut nulli prædicent ſine licentia Prælatorum, & ut Quæſtores legant dumtaxàt litteras, quas ipſis conceſſerint Epiſcopi Diœceſani, nihilque aliud proponant. Decimum quartum, pœnas decernit in Clericos minores, qui Clericalem habitum, & tonſuram non deferunt. Decimum quintum, diſtrictè præcipit Clericis in Sacris Ordinibus conſtitutis, aut beneficiatis, ne cum dominis Sæcularibus, cujuſcumque gradus, ſtatus, ordinis, ſeu conditionis exiſtant,exceptis Rege, & Regiis perſonis, vitam militarem, ad auxilia armorum præſtanda, ducere audeant diſſolutam, ſeu ab eis accipiant terras, ſtipendia & ſalaria,vel pecunias quaſcumque, ut armis per ſe, vel per alios deſerviant. Decimum ſextum, vetat nuptias, choreas, & convivia his temporibus fieri, quæ à jure prohibentur, ſub pœna Excommunicationis. Decimum ſeptimum, Sponſalia clandeſtina, & ſine quinque teſtium præſentia contrahentes excommunicatione ferit, & Clericos, qui clandeſtinis hujuſmodi deſponſationibus interfuerint, aut ſic deſponſatos Benedictione nuptiali donaverint, ad tres menſes ab Officio,& Beneficio ſuſpendit. Decimum octavum, declarat eos eſſe ipſo facto excommunicatos, qui poſſeſſiones Beneficiorum vacantium occupant, vendunt, vel emunt, aut de ipſis illicitè paciſcuntur. Decimum nonum, ludos theatrales, larvas, ſpectacula, carmina

turpia, ſermones illicitos, & quaſcumque repræſentationes inhoneſtas fieri in Eccleſiis prohibet. Vigeſimum mandat, ut hi, qui moriuntur in ſingulari certamine, ſive, ut ajunt, in duello, etiamſi ante obitum receperint pœnitentiæ Sacramentum, priventur Eccleſiaſticâ ſepulturâ,& divina Officia pro eis non dicantur, nec recipiantur Oblationes. Vigeſimum primum, à Primitiarum,Decimarum, & aliorum Eccleſiaſticorum reddituum fruitione impedientes, aut in his negotium Viris Eccleſiaſticis faceſſentes, excommunicatione plectit. Vigeſimum ſecundum, Raptores Eccleſiaſticâ ſepulturâ privandos eſſe ſtatuit, nec pro eis divina Officia eſſe recitanda, aut oblationes admittendas. Vigeſimum tertium jubet, ut hi, qui in una Diœceſi excommunicatione ſunt perculſi, evitentur in aliis. Vigeſimum quartum, Eccleſiaſticæ libertati conſulit, & civitatem, aut villam, ex qua Clerici per vim fuerint expulſi, ſubjicit Interdicto. Vigeſimum quintum, in Ordinationibus aliquid ante vel poſt exigi vel recipi vetat, etiam pro ſigillo aut cerâ. Vigeſimum ſextum, pœnas contra Beneficiatos decretas, ad Parochos, & Dignitates quaſcumque etiam poſt Epiſcopalem majores extendi declarat. Vigeſimum ſeptimum, Epiſcopis univerſis Toletanæ Provinciæ facultatem concedit abſolvendi in ſuisDiœceſibus àCenſuris in hac Arandenſi Synodo latis. Vigeſimum octavum, hæc Decreta infrà duos menſes in Synodis Diœceſanis, aut certè in Eccleſiis Cathedralibus promulgari præcipit. Vigeſimum nonum, teſtes Synodales in qualibet Diœceſi per Prælatos inſtitui decernit, quorum eſſet officium

inqui-

inquirere diligenter, quæ corrigenda & reformanda viderent, eaque poſteà in ſequenti Concilio nuntiarent. Hæc viginti novem Concilii Arandenſis ſaluberrima Decreta, ſeu Capitula, ſummatìm perſtrinxiſſe ſufficiat, quæ ſi integra lectitare aveas, legeſis Cardinalem *de Aguirre* Tomo III. *Conciliorum Hiſpaniæ*, ubi à pag. 673. uſque ad pag. 682. prædicta Decreta, ſeu Capitula, moribus reformandis aptiſſima, accuratè deſcripſit. Nonnulla Concilia Nationalia Sæculo Eccleſiæ decimo quinto in negotio reformationis Diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Anglia celebrata memorat *Henricus Spelmannus* Tomo II. *Conciliorum Britanniæ*. Verùm, cùm ejuſmodi Concilia in iiſdem penè argumentis verſentur, eademque decernant Eccleſiaſticæ Diſciplinæ capita, quæ in aliis jam à me laudatis Conciliis Nationalibus ſancita ſunt, conſultius eſſe duxi, ne te intempeſtivâ prolixitate, & frequenti repetitione defatigarem, ea ſilentio prætermittere, & præſenti Colloquio noſtro de Conciliis tam Oecumenicis, quàm Nationalibus Sæculo Eccleſiæ decimo quinto habitis finem imponere. Tu interim ea para, meditare, & quotidianâ ruminatione cogita, quæ hactenus diximus de Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi decimi quinti, ne te imparatum offendam in proximo Colloquio, quod poſtridiè habituri ſumus de Viris illuſtribus, qui eodem Sæculo in Eccleſia floruerunt.

D. Laudabilem ſanè, & univerſæ rei Litterariæ utiliſſimam operam illos impendere ſemper arbitratus ſum, qui inter varia illa, quæ hodiè habentur, litterarum adjumenta, doctrinæque

elegantioris ſubſidia, Virorum illuſtrium libros recenſere, & genuinos à ſpuriis, juxta accuratioris Criterii regulas, ſecernere aggrediuntur. In tanta quippè multitudine librorum, quos ſingulis Eccleſiæ Sæculis lucubrarunt viri illuſtres, niſi juvenes, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi, Ducem aliquem habuerint, qui in quavis Lingua, arte ſeu ſcientiâ illuſtres Scriptores ſingulis ætatibus floruere, eorum ſcribendi rationem, tum & genuinos illorum libros ipſis indicaverit, ad ſolidam perfectamque eruditionem aditum nanciſci nunquàm poterunt, hærebuntque ad aquas, neſcii qua ex parte vadum tentare poſſint. Ut igitur ipſe ex omnibus ſcopulis, ſeu difficultatibus, quæ paſſim in ſtudio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ occurrunt, feliciter emergere valeam, te ducem lubentiſſimè ſequar, & ad ea, quæ in proximo Colloquio de Viris Illuſtribus, qui Sæculum decimum quintum doctrinâ & pietate illuſtrarunt, deque eruditis eorum Operibus dicturus es, aures erigam, & animum, quàm diligentiſſimè potero, intendam.

COLLOQIUM V.

De viris illuſtribus, qui Sæculo XV. tam in Oriente, quàm in Occidente, doctrina, vitæque ſanctimonia floruerunt.

Magister. PRæter veteres benè multos Scriptores, qui virorum Illuſtrium, & librorum, quos ediderunt, diſtinctam accuratamque notitiam tradiderunt, complures moderni viri eruditi, majori apparatu doctrinæque ſubſidiis inſtructi, præſertim *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, *Bellarminus*, *Miræus*, *Labbeus*, *Geſnerus*, *Simlerus*, *Perkinſius*, *Scultetus*, *Teiſſerus*, *Voſſius*, *Oudinus*, *Dupinus*, *Guillelmus Cave*, & *Thomas Pope Blount*, idem inſtitutum ſuſceperunt, ac iſtum latiſſimè patentem Scriptorum Eccleſiaſticorum, in quo ſeſe exercere poſſent, ſtudiis ac induſtriæ ſuæ campum elegerunt. De illuſtribus etiam Scriptoribus, qui regularem vitam profeſſi ſunt, pleniùs diſſerunt *Joannes Mabillonius* de Scriptoribus Ordinis *S. Benedicti* in Sæculis Benedictinis, *Wadinghus* in libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum*, *Antonius Senenſis*, & *Altamura* in *Bibliotheca* Scriptorum Ordinis FF. Prædicatorum, & *Jacobus Echardus* ejuſdem Ordinis, qui novam Bibliothecam illuſtrium Virorum Ordinis Prædicatorum multò auctiorem confecit, & tum antiquis, tum recentioribus Scriptoribus inſtructam, ac duobus voluminibus comprehenſam nunc prælo Pariſiis mandat. Hoc præclarum Opus necdùm

ad manus meas pervenit, ſed, ut accepi à Viris eruditis, eâ ſolertiâ, tamque diligenti Criterio concinnatum eſt, ut iniquiſſimus harum rerum exiſtimator fuerit, qui illud non omni plauſu proſequendum putet, optetque ut eo quamprimùm ditetur Reſpublica Litteraria. Tot itaque Scriptorum, qui in percenſendis ac ſecernendis Virorum illuſtrium Operibus laudabilem operam poſuerunt, veſtigiis ipſe inſiſtens, de Viris illuſtribus, qui Sæculo XV. floruerunt, in hocce Colloquio ſermonem inſtituam, de omnibus tamen univerſim non diſſeram, hoc quippè nimis prolixum foret, ſed de iis tantùm, qui apud eruditos maximi æſtimantur, & in ſummo honore habentur.

D. Sæpius experientiâ comprobavi, ea, quæ ſtudioſè perlegeram, oblivione deleri, aut invicem confundi, tum quia memoria mea, rerum, quas recondidit, multitudine onerata, facilè patitur ut multa in dies per oblivionem dilabantur & evaneſcant; tùm quia etiam, res, quæ prolixiori ſtylo pertractantur, & in perſpicuum ordinem non ſunt diſtributæ, diu citrà confuſionem aliquam labili memoriæ inhærere non poſſunt, niſi brevioris ac clarioris methodi beneficio altiùs infigantur, vel quæ dudùm memoriâ exciderunt, reparentur, atque in reminiſcentiam facilè revocentur. Hoc commodiſſimum memoriæ ſubſidium omni procul dubio aſſequar, ſi in præſenti noſtro Colloquio perſpicuitatem cum brevitate conjungas, omneſque illuſtres Scriptores, qui Sæculum Eccleſiæ decimum quintum eruditione ſuâ nobilitarunt, in decem Claſſes diſtribuas, ita ut in

in prima reponas celebriores Orientis Scriptores; in altera Gallos;in tertia Italos;in quarta Hiſpanos; in quinta Anglos ; in ſexta Germanos ; in ſeptima Monachos;in octava Scriptores ex Ord. FF. Præd. in nona inſignes Theologos, qui alios Mendicantium Religioſorum Ordines illuſtrarunt ; in poſtrema peritiores Juriſconſultos. In hunc ordinem diſpoſiti Eccleſiaſtici Sæculi XV. Scriptores memoriam meam nec multitudine librorum, quos ediderunt, onerare, nec aliquâ confuſione poterunt perturbare.

M. Tuæ utilitati, ut conſulam, hunc in diſponendis illuſtribus Sæculi XV. Scriptoribus præſcriptum ordinem ſequar, & incipiam à Scriptoribus Græcis, quorum agmen ducet *Simeon*, qui ex Monacho Archiepiſcopus Theſſalonicenſis factus, claruit ineunte Sæculo decimo quinto, & Eccleſiæ Latinæ fuit acerrimus inſectator. Inter multa Opera, quæ edidit hic *Simeon*, eminet *Commentarius*, quem lucubravit, *de Div. Templo, de ejus Miniſtris, de ſacris eorum veſtibus, de Sacroſancta Myſtagogia, ſive Miſſa, ad pios quoſdam Cretenſes*. Hunc *Simeonis* Commentarium latinè vertit, & unà cum textu Græco Pariſiis anno MDCXLVII. vulgavit in ſuo Rituali Græcorum doctiſſimus noſter *Jacobus Goar*. Scripſit etiam idem *Simeon* alterum Opus, ſeu *Dialogum Eccleſiaſticum adversùs omnes Hæreſes, de ſola Domini noſtri Jeſu Chriſti fide, ſacris Sacrificiis, & Myſteriis omnibus Eccleſiæ, ex S. Scripturis & Patribus collectum*, qui Græcè MS. habetur in Bibliothecis Vaticana & Cæſarea, eumq; *Leo Allatius* in *Diatriba De Simeonibus* appellat *pium & doctum, dignumq; qui aliquandò lucem videat*.

Inſigne hujus Dialogi fragmentum *de pœnitentia* excerpſit, & Græco-Latinum edidit eruditus P. *Joannes Morinus* in Appendice adjectâ ad calcem libri ſui *de Pœnitentia*. Extant adhùc ejuſdem *Simeonis* alia Opera MSS. in Bibliotheca Vaticana, quorum ſequentes Titulos exhibet *Leo Allatius*, videlicet *Reſponſiones* LXXXV. *ad interrogata Gabrielis Metropolitæ Pentapolitani. Liber de Sacerdotio ad Monachum quemdam. Expoſitio compendioſa Symboli orthodoxæ & inculpatæ noſtræ fidei Chriſtianorum. Expoſitio neceſſaria ſententiarum Sacri Symboli, unde collectæ ſunt, & adversùs quos dictatæ. Capita* XII. *quæ ſolam Chriſtianorum fidem ſeu Articulos omnes Fidei continent, & quòd Symbolum Apoſtolicum eos contineat, deque Virtutibus comprehenſivis. Libellus de iis, circa quæ Latini innovant.* Floruerunt in Eccleſia Orientali eodem circiter tempore, hoc eſt, ſub initium Sæculi XV. Scriptores Græci, *Joſephus Bryennius, Demetrius Chryſoloras, Macarius*, & *Eſajas*, quorum primus, ſeu *Joſephus Bryennius*, patriâ Conſtantinopolitanus, & vitæ inſtituto Monachus, multa adversùs Latinos ſcripſit Opera, præſertim adversùs eorum dogma de Proceſſione Spiritus Sancti octodecim Orationes compoſuit, quæ manuſcriptæ in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, quarumve titulos, argumenta, initia & loca, in quibus habitæ ſunt, ordine recenſet *Leo Allatius* lib. 2. *de Conſenſu Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis* parag. 14. Duas ejuſdem *Joſephi Bryennii* Orationes *de futuro judicio*, & *de ſempiterna Beatitudine* citat idem *Leo Allatius*. Eidem *Joſepho Bryennio* tribuuntur *Dialogi de Proceſſione Spiritus Sancti; Diſputatio de Ortodoxa*

Eccle-

Eccleſia : atque alia *Diſputatio de Fide*, quæ ut teſtatur *Guillelmus Cave*, habetur MS. in Bibliotheca Ambroſiana. Alter Scriptor Græcus, quem mox laudavi, *Demetrius Chryſoloras*, ſummus fuit Philoſophus & Aſtronomus, atque *Manueli Palæologo*, Græcorum Imperatori, apprimè charus. Scripſit adversùs Latinos *Orationem Synopticam*, excerptam ex Operibus *Nili* Theſſalonicenſis: *Dialogum, quòd fas non ſit Orthodoxis alios Orthodoxos de re aliqua accuſare*: *Dialogum contra Orationem, quam ſcripſit Demetrius Cydonius adversùs Nilum Cabaſilam Theſſalonicenſem*. Latinos acerrimo odio proſecutus eſt *Macarius*, cujus extat Opus ineditum *contra pravas Latinorum Opiniones*, & ad ejuſdem Operis calcem impugnat ille Scriptor Græcus *Barlaamum*, *Acindynum*, eorumque Aſſeclas. Hoc *Macarii* Opus, quod centum viginti capitibus conſtat, memorat atque perſtringit *Leo Allatius* lib. 2. *de Conſenſu Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis* cap.18. parag. 15. In Latinos propenſiſſimus, eorumque amicus fuit *Eſaias*, patriâ Cyprius, qui librum, quem *Nicolaus Sclengia*, Scriptor Græcus, de Proceſſione Spiritus Sancti adversùs Latinos ediderat, datis ad illum Litteris, ſtrenuè oppugnavit, ineptiarum, & impietatis ipſum redarguit, atque *Spiritum Sanctum* à Patre, Filioque procedere multis ſolidiſſimis evincit argumentis. His eruditis Scriptoribus Græcis jure merito addi debent *Georgius Phranza*, & *Macarius Macres*. Primus, patriâ fuit Byzantinus, ex illuſtri proſapia oriundus, bello variis ad Principes Legationibus, atque Litteris clarus, Monaſticam tandem vitam amplexus, ſcripſit *Hiſtoriam Rerum*

Byzantinarum ab anno MCCLX. uſque ad annum MCCCCLXXV. libris quatuor comprehenſam, quam latinè vertit, & amputatis crebris digreſſionibus in tres libros contraxit, ac publicavit *Jacobus Pontanus* Ingolſtadii anno MDCIX. Alter Scriptor Græcus, ſeu *Macarius Macres*, fuit Montis Atho Hieromonachus, *Georgii Phranzæ* amicus, & Latinorum hoſtis infenſiſſimus, à *Joanne Palæologo*, Græcorum Imperatore, unà cum *Marco Jagro*, ad *Martinum V.* Pontificem Maximum Legatus miſſus eſt, in qua Legatione è vivis exceſſit. Scripſit contra Latinos Opus de Proceſſione Spiritus Sancti.

D. Inter peritos Græcos, qui pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina ad Concilium Generale Florentinum acceſſerunt, alii fuerunt, qui, uti in ſuperiori Colloquio obſervaſti, Latinorum Dogmata approbarunt, ac perdoctis ſuis Scriptis egregiè vindicarunt; alii verò, qui in Schiſmate pertinaces, Latinorum Dogmata ſemper oppugnarunt, & contra unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina in hoc Concilio Oecumenico factam calamum acuerunt. Optarem igitur, ut primùm eos hic percenſeres eruditos Græcos, qui in Concilio Florentino Eccleſiæ Latinæ Dogmata ultrò amplexi ſunt, eaque ſuis Scriptis propugnarunt; deindè illos proferres Græcos, qui obſtinatis animis Schiſmati adhærentes, Concilii Florentini Decreta, & Eccleſiæ Latinæ Dogmata ſuis Scriptis exagitarunt.

M. Inter Græcos, qui unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino maximè promoverunt, præter *Joſephum*, Patriarcham

Conſtantinopolitanum, qui, ſicut in ſuperioribus Colloquiis oſtendimus, Latinis impensè favit, & paulò antequàm Florentiæ migraret è vita omnes Concilii Florentini definitiones confirmavit; quinque alii peritiſſimi celebrantur Scriptores Græci, qui pro Eccleſiæ Græcæ cum Latina unione, & Latinorum Dogmatum defenſione eruditas lucubrationes ediderunt, videlicèt *Beſſarion*, *Iſidorus Ruthenus*, *Gregorius Mammas*, *Andreas Rhodius*, & *Joſephus Methonenſis*, de quibus hìc pauca dicemus. Inprimis, *Beſſarion*, patriâ Trapezuntinus, ex Monacho S. *Baſilii* Nicænus Archiepiſcopus, ad perficiendam unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina omnes ſuas curas in Concilio Florentino contulit, quo abſoluto, Cardinalitiam dignitatem, & Epiſcopatum Sabinenſem, & poſtea Tuſculanum adeptus, multis Legationibus, Germanicâ, Venetâ & Gallicanâ præclarè functus eſt. Sed dùm è Gallicana Legatione reverteretur, obiit Ravennæ die XVIII. Novembris anni MCCCCLXXII. Scripſit quædam Opera Philoſophica, ſed potiſſimùm in defenſionem Dogmatum Eccleſiæ Latinæ edidit Tractatum *De Sacramento Euchariſtiæ, & de verbis, quibus Chriſti Corpus efficitur*: librum *de Spiritu Sancto* adversùs *Marcum Epheſium*: quaſdam *Epiſtolas*, & *Orationes*. Concilio Florentino interfuit etiam *Iſidorus*, patriâ Theſſalonicenſis, dictus *Ruthenus*, eò quòd Ruthenorum Archiepiſcopus eſſet. In Latinorum partes manibus pedibuſque tranſivit, ut liquet ex ejus Diſputationibus de Proceſſione Spiritus Sancti, quæ in Actis Concilii Florentini leguntur. Scripſit *Epiſtolam Lugubrem de capta à Turcis Conſtantinopoli*, & *Ora-*

tiones

tiones in Nativitatem, *Præſentationem*, *Annunciationem*, *&* *Aſſumptionem Dei-paræ Virginis*, quas *Matthæus Caryophilus* latinitate donavit. In præmium virtutis, doctrinæ, ac operæ, quam pro utriuſque Eccleſiæ unione in Concilio Florentino navaverat, Cardinalis primùm, deindè Epiſcopus Sabinenſis creatus eſt, atque in Fide Latinæ Eccleſiæ jugiter perſeverans, obiit Romæ die XXVII. Aprilis anni MCCCCLXIII. *Gregorius Mammas*, Imperatori *Joanni Palæologo* à Confeſſionibus, & Protoſyncellus, ac poſteà Patriarcha Conſtantinopolitanus, Partes Latinorum, quibus in Concilio Florentino apertè patrocinatus fuerat, ſtrenuè tuitus eſt in *Apologia*, quam adornavit, *pro Synodo Florentina* adversùs *Marci Epheſii* Epiſtolam Encyclicam, & in *Oratione*, *ſeu Epiſtola ad Alexium Comnenum Imperatorem Trapezuntinum de Proceſſione Spiritus Sancti*, in qua commonſtrat, hac ad Symbolum additione, *Filioque*, nihil planè fuiſſe innovatum. Extat hæc Oratio ſeu Epiſtola *Gregorii* ad *Alexium Comnenum* Imperatorem apud *Leonem Allatium* Tom. I. *Græciæ Orthodoxæ*. Latinorum Dogmata pari animi fortitudine & eruditione propugnavit *Andreas*, natione Græcus, & Rhodi Archiepiſcopus, qui ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo ad Concilium Baſileenſe Legatus, Epiſcopos, ut *Eugenio* Papæ morem gererent, ac nullum in Eccleſia Schiſma excitarent, prolixà oratione habitâ, inducere conatus eſt, ac deinde contra *Marcum Epheſium* de Proceſſione Spiritus Sancti tàm in Concilio Ferrarienſi, quàm in Florentino diſputavit. Extat illius Oratio in Synodo Baſileenſi habita apud noſtrum *Bzovium* in

Annal.

Annal.Eccleſ. ad ann.MCCCCXXXII. ejuſque *Aſſertiones in Concilio Ferrarienſi adversùs Græcos propoſitæ* ibidem ad annum MCCCCXXXVIII. Sed de hoc Scriptore Græco, Ordinis Prædicatorum, iterùm redibit ſermo, dum Scriptores hujus Ordinis referemus. Poſtremus Scriptor Græcus, qui Concilio Florentino interfuit,& Latinorum Dogmata conſtanter defendit,eſt *Joſephus* Methonenſis Epiſcopus,qui librum edidit, in quo diluit omnes calumnias *Marci Epheſii* contra Synodum Florentinam, & Catholicum Dogma de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre,Filioque,omni argumentorum genere tutatur. Extat hic liber Græcè & Latinè poſt Acta Concilii Florentini. Lubentèr aſſentior *Leoni Allatio*, qui in libro 3. *de Conſenſu Eccleſ. Occid. & Orient.* cap. 3. probat, hunc *Joſephum*, Methonenſem Epiſcopum, eumdem eſſe cum *Joanne* cognomento *Pluſiadeno*, eò quòd liber Apologeticus *Joſephi*, Methonenſis Epiſcopi, pro Synodo Florentina adversùs *Marcum Epheſium* in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ *Joannis Pluſiadeni* nomen in fronte gerat. At mihi non probantur ejusdem *Leonis Allatii* conjecturæ, quibus perſuadere conatur, *Georgium Scholarium*, Græcum, qui interfuit Concilio Florentino, & ad promovendam unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina totus incubuit, eſſe omninò diverſum à *Georgio Scholario* Patriarcha Conſtantinopolitano,qui Romanæ Eccleſiæ perduellis ſacram utriuſque Eccleſiæ unionem multis editis libris acerrimè & pertinaciſſimè poſt Concilium Florentinum oppugnavit. In hanc, inquam, *Leonis Allatii* ſententiam deſcendere non poſſum, quia, ut oſtendi ſub finem

nem noſtri ſecundi Colloquii, *Georgius Scholarius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, idem eſt cum *Georgio Scholario*, qui interfuit Concilio Florentino, & ad perficiendum utriuſque Eccleſiæ unionis negotium curam omnem aliquandiù adhibuit, ſed à priori propoſito Græcâ levitate poſteà reſiliens, ab eodem Concilio animo Schiſmatico receſſit, & ad natale Solum reverſus, atque, poſt captam à Turcis Conſtantinopolim, Patriarcha ejuſdem urbis creatus, in Synodum Florentinam aperto marte vexillum erexit, Latinorum Dogmata Scriptis impugnavit, & Schiſma poſtliminiò revocare, latèque propagare totis viribus ſtuduit.

D. Quinam ſunt illi Scriptores Græci, qui in Concilio Florentino unionem utriuſque Eccleſiæ approbare detrectarunt, & Latinorum Dogmata Scriptis impugnarunt?

M. Græcorum, qui unioni utriuſque Eccleſiæ in Concilio Florentino factæ aſſentiri renuerunt, facilè omnium Princeps & Anteſignanus fuit *Marcus Eugenicus*, Metropolita Epheſius, qui hoſtis Latinorum juratiſſimus immenſo fervore, & immoderato animi ardore in Concilio Florentino diſputans, in Latinos acerrimè invectus eſt, nec unquam hujus Concilii Decretis ſubſcribere voluit, ſed in Schiſmate pertinax, Conſtantinopolim poſt Concilium ſolutum reverſus, Epiſtolas, Tractatus, & varia Opuſcula contra Latinorum Dogmata ſcripſit, quorum quædam edita ſunt, quædam verò adhuc manuſcripta aſſervantur in Bibliotheca Vaticana, & in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. Huic *Marco Eugenico* in Latinis oppugnandis opem ſubſidiariam in Concilio Florentino

rentino tulit *Joannes Eugenicus*, ejus frater germanus, qui ſcripſit *Antirrheticum adversùs Synodum Florentinam*, cujus Fragmenta quædam Græco Latina exhibet *Leo Allatius* in libro *de Purgatorio*. His duobus Scriptoribus Græcis, capitalibus Eccleſiæ Latinæ hoſtibus, duos alios ejuſdem farinæ & nationis homines adjungam, *Sylveſtrum Syropulum*, & *Georgium Gemiſtum Plethonem*, quorum primus ad Concilia Ferrarienſe & Florentinum cum *Joſepho* Patriarcha Conſtantinopolitano profectus, unioni utriuſque Eccleſiæ pro viribus interceſſit, ei tamen poſteà ſubſcripſit, ſed fictè & ſimulatè. Domum quippè reverſus, ſcripſit *Hiſtoriam Concilii Florentini*, mendaciis & injuriis contra Latinos ſcatentem, quam hæreticus Anglus, *Robertus Creygthonus*, peſſimâ Fide à ſe Latinè translatam protraxit in lucem, & cum Notis edidit Græc. Lat. *Hagæ Comitis* anno MDCLX. Alter Scriptor Græcus, ſeu *Georgius Gemiſtus Pletho*, nobiliſſimus quidem Philoſophus fuit, ſed in Concilio Florentino acerrimum ſeſe prodidit Latinorum adverſarium, & in Græciam redux multa contra illos ſcripſit Opuſcula, in quibus Græcorum dogmata philoſophicis rationibus probare ſatagit. Extant adhùc multa inedita ejuſdem *Georgii Gemiſti Plethonis* Opera, quæ præcipuè ſunt Hiſtorica, Rhetorica, & Philoſophica, de quibus legeſis *Leonem Allatium* in *Diatriba de Georgiis, & eorum Scriptis*.

D. Hi ſunt igitur omnes Scriptores Græci, qui Sæculo XV. in Eccleſia Orientali floruerunt?

M. Præter illos Scriptores Græcos, quos hactenùs laudavi, alii nonnulli aliquâ eruditionis laude

laude eodem Sæculo XV. claruerunt, quos hìc indigitare abundè ſufficiet. *Georgius Trapezuntinus* in Italiam ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo accitus, Græcæ Linguæ, Artiumque liberalium ſcientiam ſummâ cum laude docuit, & pro defenſione Eccleſiæ Latinæ Dogmatum ſcripſit librum *de Proceſſione Spiritus Sancti contra Græcos*: alterum etiam *de Proceſſione Spiritus Sancti, de una Sancta & Catholica Eccleſia, & de Primatu Eccleſiæ Romanæ*, quos *Leo Allatius* publicavit Tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* pag. 469. Scripſit etiam idem *Georgius Trapezuntinus* Epiſtolam ad *Joannem Palæologum* Græcorum Imperatorem, quâ eum adhortatur, ut ſpretis Patrum Concilii Baſileenſis promiſſis, ad Concilium Florentinum ab *Eugenio IV.* indictum accedat. Alia denique edidit Opera, præſertim *Expoſitionem* in illud S. *Joannis* Evangeliſtæ: *Si eum volo manere &c.* ubi probat, S. *Joannem* necdum obiiſſe: *Martyrium S. Andreæ Chienſis*, qui anno MCCCCLXV. à Turcis ob conſtantem Chriſtianæ Fidei confeſſionem trucidatus eſt: & varias Græcorum Patrum Operum è Græco in Latinum ſermonem Translationes, de quibus Legi poteſt ſæpè citatus *Leo Allatius* in *Diatriba de Georgiis, & eorum Scriptis* pag. 395. *Joannes Argyropulus*, patriâ Byzantinus, poſt captam à Turcis anno MCCCCLIII. Conſtantinopolim, in Italiam venit, & apud *Coſmum Medicæum*, Florentiæ Principem, ob raram, quâ præditus erat, eruditionem, maximo in honore fuit. Romam poſtea conceſſit, ubi Ariſtotelis Philoſophiam, & Græcas Litteras docuit, plures edidit Verſiones Latinas, & alia Opera, inter quæ potiſſimùm commendatur li-

ber,

ber, quem compoſuit contra Græcos, *De Proceſſione Spiritus Sancti, & de Concilii Florentini Decreto*, quem vulgavit *Leo Allatius* Tomo I. *Græciæ Orthodoxæ* pag. 400. *Matthæus Camariota*, Philoſophus & Rhetor eximius, edidit *Commentarios in Epiſtolas Syneſii: Tractatum de Lumine Thabor*, in quo Barlaamitas impugnat; & *Epiſtolam de capta à Turcis Conſtantinopoli*. Alii Sæculi XV. Scriptores Græci de Hiſtoria ſcripſerunt, inter quos eminent *Ducas*; *Georgius Codinus Curopalates*, *Laonicus Calcondylas*, & *Nicolaus Secundinus*. Primus ſcilicet *Ducas*, ex Imperatorum Græcorum *Ducarum* proſapiâ oriundus, ſcripſit *Hiſtoriam Byzantinam* de Rebus in Imperio Conſtantinopolitano geſtis ab *Andronici Palæologi junioris Imperatoris morte uſque ad captam à Turcis Lesbum Inſulam*, hoc eſt, ab anno MCCCXLI. uſque ad annum MCCCCLXII. Prodiit hæc Hiſtoria Græco-Latina Pariſiis anno MDCXLIX. *Georgius Codinus Curopalates* multa, quæ ad Hiſtoriam Byzantinam, ſeu Imperatorum Græcorum, & Urbis Conſtantinopolitanæ formam, ſigna, ſtatuas, ædificia, & alia ſpectatu digna attinent, elucubravit Opera, quæ Pariſiis excuſa ſunt anno MDCLV. *Laonicus Chalcondylas*, patriâ Athenienſis, ſcripſit *Hiſtoriam de origine & Rebus geſtis Turcarum* libris decem comprehenſam, ab *Ottomano*, filio *Orthogulis*, uſque ad adultum *Mahometis II.* Regnum, ſeu ab anno Chriſti MCCC. uſque ad annum MCCCCLXIII. Hæc Hiſtoria fuit variis in locis typis mandata, ſed præcipuè Pariſiis ann. MDL. & MDCL. Poſtremò, *Nicolaus Secundinus* compendioſam Turcarum concinnavit Hiſtoriam, quæ Lovanii prodiit in

lucem anno MDLV. Hi ſunt omnes Scriptores Græci, qui in Eccleſia Orientali Sæculo decimo quinto uſque ad captam à Turcis Conſtantinopolim, ideſt, uſque ad annum MCCCCLIII. floruerunt. Græci ſiquidem, poſt captam à Turcis Conſtantinopolim, in ſumma rerum omnium ignoratione verſari cœperunt, eò quòd hi, qui inter illos erant doctiores, à Turcis patriâ pulſi in Europam venerunt, ubi à Romanis Pontificibus, & Italiæ Principibus liberaliſſimè & ſummâ humanitate excepti litteras humaniores & Græcas cum ſummo omnium applauſu docuerunt, atque ex eorum Scholis prodierunt Viri, ingenio, eruditione & eloquentiâ præſtantiſſimi, qui quidquid ſcientiæ, doctrinæ, aut facundiæ habebant, his Græcis ultrò acceptum referebant, qui primi Conſtantinopolitanam captivitatem evaſerant, ſicque, ita vel permittente, vel volente Deo, factum eſt, ut, captâ à Turcis Conſtantinopoli, Græci hàc illàc diſperſi totam Europam tot viris eruditis repleverint, ut jure optimo de illo primo in Europa litterarum progreſſu dicere poſſim: ô *quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate &c.* Sap. cap. 4. v. 1.

D. Ex noſtris in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Colloquiis probè novi, Galliam Viris doctiſſimis ſemper abundaſſe, & ad eam, velut ad ampliſſimam Scholam, & apertum eruditionis tùm ſacræ, tùm prophanæ lyceum, homines ex Orbe toto confluxiſſe, undè in omnes terrarum tractus, quaſi plenis portis, Chriſtianorum heroum agmina funderentur. Præſtat igitur, ut, poſtquam de Scriptoribus Græcis ſatis hactenùs diſſeruimus, nunc

nunc de Latinis dicturi, ab illis Viris illuſtribus exordium ducamus, qui in Gallia Sæc. XV. eruditionis & pietatis famâ præclarum ſibi nomen comparārunt.

M. De Gallis Scriptoribus, qui Sæc. XV. Monaſticam, aut Regularem Vitam profeſſi ſunt, vel periti juriſconſulti fuerunt, nullam hîc mentionem faciam, quia de illis commodiùs diſſeram in aliis claſſibus, in quas hujus Sæc. Viros illuſtres majoris claritatis ergò, diſtribuimus. Eos itaque nunc laudabo dumtaxàt celebriores Scriptores Gallos, qui nec ad Monachorum, nec Regularium ex Ordinib. Mendicantium, nec Juriſconſultorum Claſſes revocari poſſunt. Et primò quidem loco inter egregios Galliæ Scriptores reponam *Petrum de Alliaco*, Virum fide, prudentiâ, probitate, vigilantiâ, doctrinâ & moribus ſpectatiſſimum. Hic ex parentibus ignobilibus quidem, ſed probis & liberalibus, Compendii ad Iſaram natus, magnum ſibi, ſuæque familiæ decus conciliavit. Doctor fuit Sacræ Facultatis Pariſienſis, ac Collegii Navarrici ſupremus Moderator, tum poſteà Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis Cancellarius, S. Cappellæ Pariſienſis Theſaurarius, *Carolo VI.* ab Eleemoſynis Miniſter Ordinarius, ac denique Epiſcopus Anicienſis primùm; dein, Cameracenſis Archiepiſcopus, & Cardinalis Tituli S. *Chryſogoni* creatus à *Joanne XXIII.* Pontifice Maximo, anno MCCCCXI. Concilio Generali Piſano interfuit, & extinguendo Schiſmati egregiam navavit operam. Concilii Conſtantienſis magna pars fuit, & in eo damnationem hæreſum, Schiſmatis extirpationem, *Martini V.* Pontificis Maximi electionem

pro viribus promovit. Præter Commentarios in IV. libros Sententiarum, præclara alia edidit Opera, quorum quædam typis edita ſunt, quædam verò adhùc inedita aſſervantur MSS. Pariſiis in Bibliotheca Collegii Navarrici, ut videre eſt apud *Joannem Launojum*, Fac. Pariſienſis Doctorem, in *Hiſtoria Collegii Navarrici*, ubi omnia *Petri de Alliaco* Opera tàm edita, quàm inedita accuratè recenſet. Obiit *Petrus de Alliaco* anno MCCCCXXV. & in Eccleſia Cameracenſi ſepultus eſt. Duos præſertim inſignes reliquit ſuperſtites Diſcipulos, *Joannem* videlicet *Gerſonium*, & *Nicolaum Clemangium*, quorum primus (dictus etiam J*oannes Charlierus*) natus eſt Gerſonii, qui agri Remenſis pagus eſt, ex quo *Gerſonius* fuit cognominatus. Lauream Doctoralem in Academia Pariſienſi ſummo cum honore adeptus, poſteà ejuſdem Academiæ, & Eccleſiæ Pariſienſis celeberrimus Cancellarius fuit. In Conciliis Piſano & Conſtantienſi ad extinguendum diuturnum Schiſma, quo dilacerabatur Eccleſia, omnem curam, induſtriam & laborem contulit, tandem è Concilio Conſtantienſi reverſus, & fugiens perſecutionem *Joannis*, Ducis Burgundiæ, cujus nefandum parricidium *Ludovico* Duci Aurelianenſi illatum in Concilio Conſtantienſi damnari curaverat, ſpontè in exilium ſeceſſit, & Lugdunum ſeſe contulit, ubi reliquum vitæ tempus libris conſcribendis, orationi, concionibus, & catechizandis parvulis in Eccleſia S. *Pauli* conſecravit, cùmq; mortem ſibi imminere perſentiſceret, adductis parvulis ſuis diſcipulis in Eccleſiam juſſit, ut pro ſe quotidie orarent, & orando exclamarent: *Deus meus, Creator meus, miſe-*

miſerere pauperrimi famuli tui Joannis Gerſonii. Obiit *Gerſonius* Lugduni die XII. menſis Julii anni MCCCCXXXIX. Ejus Opera, quæ variis in locis ſæpiùs edita ſunt, ſingularem ipſius pietatem & eximiam eruditionem commendant. *Nicolaus Clemangius*, alter *Petri de Alliaco* Diſcipulus, in vico Clemange Provinciæ Catalaunenſis natus eſt, & duodecimo ætatis anno Pariſios miſſus, præclaros in Theologia progreſſus fecit, & in Academia Pariſienſi Laureâ Doctorali donatus fuit. Nec ſolùm Theologiæ, ſed elegantiæ & Poeſeos ſtudio maximè incubuit. Hinc comparatâ ſibi per Epiſtolas elegantiſſimo ſtylo exaratas famâ, à *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* cujus Obedientiæ Gallia, tempore Schiſmatis, adhærebat, in Curiam Avenionenſem evocatus eſt,& à Secretis ſibi adeſſe juſſus. Paulò poſt,Eccleſiæ Lingonenſis Theſaurarius factus,ab aula receſſit, & otium ac tuguriolum ſuum Curiæ *Benedicti XIII.*honoribus præpoſuit. Rigidus fuit Principum malorum cenſor & objurgator, omniumque hominum mores ſolutos paſſim in ſuis libris acri calamo flagellat. Exceſſit è vivis Pariſiis in Collegio Navarrico. Ejus Opera omnia in unum collecta *Joannes Martinus Lydius* edi curavit Lugduni Batavorum anno MDCXIII. Utiliſſimum, quem edidit *Nicolaus Clemangius*,librum *De Studio Theologiæ*, *Lucas Dacherius* publicavit Tomo VII. *Spicilegii*. Extant adhùc in privatis Galliæ Bibliothecis quædam *Clemangii* Opuſcula manuſcripta ſicut teſtatur *Joannes Launojus*, Doctor Pariſienſis in *Hiſtoria Collegii Navarrici* part.2. pag. 578.

D. Siſte tantiſpèr, precor, & antequàm

ulteriùs progrediamur, ſcire à te velim, nùm verum ſit, quod nuperrimè audivi à Viris eruditis, videlicèt *Joannem Gerſonium*, Academiæ Pariſienſis Cancellarium, eſſe Authorem Opuſculi *De Imitatione Chriſti* quatuor in libros diſtincti, cujus dignitatem, Sententiarum pondus, & igneas, quibus, totum quantum eſt, emicat, pietatis ſcintillas nullus eſt, qui non admiretur, vel inter legendum non experiatur.

M. Fuerunt, fateor, nonnulli Viri eruditi, qui ex quibuſdam MSS. Codicibus Opuſculi *De Imitatione Chriſti*, quibus præfigitur nomen *Joannis Gerſonii* Facultatis Pariſienſis Cancellarii, ſibi, aliiſque perſuaſerunt, hoc utiliſſimum Opuſculum *Joanni Gerſonio* eſſe tribuendum. Verùm, ne his Viris eruditis aſſentiar, hæc obſtant momenta. Primò, quia Author hujus Opuſculi *De Imitatione Chriſti* apertè innuit libro 3. cap. 10. num. 2. & cap. 58. num. 4. ſe fuiſſe Monachum. Certiſſimè autem conſtat, *Joannem Gerſonium* nunquàm vitam Monaſticam fuiſſe profeſſum. Secundò, nullibi inter Opera *Joannis Gerſonii*, nec in Catalogo, quem ipſius frater texuit, recenſetur iſtud Opuſculum *De Imitatione Chriſti*. Tertiò, ſtylus Operum *Joannis Gerſonii*, eſt planè diverſus à ſtylo Opuſculi *De Imitatione Chriſti*. Denique, nunquàm *Gerſonius* ullibi citat hunc librum *De Imitatione Chriſti*, quamvis Religioſos Cœleſtinos in Epiſtola, quam ad eorum Provincialem ſcripſit, ad legenda S. *Bernardi*, & aliorum Opera Aſcetica vehementer adhortetur, & in Epiſtola ad Anachoretam Montis Valeriani multos pios libros ei proponat legendos, ſed de libro Imitationis Chriſti,

ne

ne ullum quidem verbum. Quod quidem argumento eſt, *Gerſonium* ne minimam quidem hujus libri notitiam habuiſſe; ac ſubindè ejus Auctorem cenſeri haud poſſe. Quod verò ſpectat quoſdam MSS. Codices libri de *Imitatione Chriſti*, quibus adſcribitur *Joannis Gerſonii* nomen; non immeritò ſuſpicantur Viri eruditi, nomen *Joannis Gerſonii* in his MSS. Codicibus fuiſſe à quibuſdam appoſitum locò *Ioannis Gerſen*, Benedictini, quem, utpotè obſcurum Scriptorem, cùm parùm noſſent, nominis affinitate decepti, pro *Ioanne Gerſen* repoſuerunt *Ioannem Gerſonium* ſibi notiorem, eique iſtud Opuſculum *De Imitatione Chriſti* adjudicarunt. Quis autem ſit verus Author hujuſce libri *De Imitatione Chriſti*? lis adhùc ſub judice eſt, ut oſtendemus in proximo Colloquio.

D. Redeamus, ſi placet, ad Scriptores Gallos, qui doctrinâ ſuâ Sæculum XV. illuſtrarunt?

M. Inter Gallos Sæculi decimi quinti haud immeritò annumerari debent *Robertus Gaguinus*, & *Philippus Cominæus*, qui, etſi natione Belgæ fuerint, in Gallia tamen floruerunt, & Rerum Gallicarum Annales ſcripſerunt. Primus, ſeu *Robertus Gaguinus*, Juris Canonici Doctor, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum Generalis Miniſter; Vir fuit eruditus & eloquens, nec modò in probatis Authoribus verſatus, ſed etiam Diſciplinarum ſcitu maximè dignarum abſolutiſſimâ notitiâ exornatus. Hujus teſtes ſunt tres illius libri *de Arte Poëtica*: Liber *de Immaculata Conceptione Dei-paræ Virginis contra F. Vincentium de Caſtro Novo*: Liber *de miſera hominis conditione*: *Multæ Orationes*, & *Epigrammata*,

quæ præſtantis ipſius ingenii argumenta produnt, ſed præcipuè *Rerum Gallicarum Annales*, quos libris XI. ab ann. Chriſti 300. uſque ad ann. 1500. conſcripſit, & in his de palma cum celeberrimis Veterum Scriptis certat. Multas in Italia, Germania, ac Britannia pro *Carolo VIII.* & *Ludovico XII.* Galliæ Regibus Legationes obiit *Robertus Gaguinus*, fuitque in primis charus *Ludovico XII.* à quo ingenti pecuniæ vi ad emendos veterum Scriptorum libros donatus eſt, & Regiæ Bibliothecæ Præfectus. Obiit Lutetiæ die XXII. menſis Julii anni MDII. Ejus *Hiſtoriam*, ſeu *Rerum Gallicarum Annales*, octodecim annis ſupplevit *Hubertus Vellejus* Juriſconſultus Aquenſis. *Roberto Gaguino* coævus fuit *Philippus Cominæus*, ex illuſtri apud Belgas familia natus. Vir lectionis variæ, ſtudii indefeſſi, obſervatione acutus, judicio ſolers, prudentiâ copioſus, qui *Ludovici XI.* Galliarum Regis, & *Caroli VIII.* ejus filii res bello geſtas deſcribere aggreſſus, Hiſtoriam quatuor & triginta annorum gallicè ſcripſit, magnâ quidem ſtyli ſimplicitate, ſed, quod in rerum Scriptore ſummũ eſt, ſingulari apud omnes fidei ac veritatis opinione inſignem, quam adeò accuratè pertexuit, tam perſpicuum ordinem, tantamq; concinnitatem in ea obſervavit, & tam ingenioſè pluribus Politicę Sententiis illam reſperſit, ut ab omnibus eruditis cum admiratione fuerit excepta, & communibus ſuffragiis ejus Authori tributum ſit elogium *Principis Hiſtoricorum coætaneorum*. Præclaris laudibus *Philippum Cominæum* jure merito celebrant Scriptores, quos inter *Juſtus Lipſius* in Notis ad primum librum Politicorum, illum cum *Polybio*, & cum quovis veterum

Hiſto-

Hiſtoricorum conferre non dubitat. *Ronſardus* verò, inſignis Poeta, eum *Tito Livio* æquiparat in *Poemate*, quod in ejus laudem ſcripſit. Hæc *Philippi Cominæi* Hiſtoria ſæpius Linguâ Gallicâ, quâ ab Autore ſcripta fuit, edita eſt in Galliis, Latinè autem primùm à Joanne *Sleidano*, inſigni Hiſtorico Belga, ſed fideliùs poſteà à *Gaſpare Barthio*, nobili Saxone, latinitate donata eſt, & excuſa *Francofurti* anno MDCXXIX. quæ Editio cæteris aliis præponi debet, præterquàm Gallicis, quæ longè utiliùs legentur. Migravit è vita *Philippus Cominæus* Argentoni, Pictonum Oppido, quod uxoriæ dotis nomine poſſidebat, anno Chriſti MDIX. & Pariſiis apud Auguſtinianos ad Sequanam ſepultus eſt. His Scriptoribus, qui Sæculo XV. in Galliis floruerunt, alios benè multos illuſtres Academicos, & præſtantiſſimos Sacræ Facultatis Pariſienſis Theologos addere poſſem, quorum prolixum ſatis Catalogum texit *Egaſſius Bulæus* ad calcem Tomi V. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*; ſed, ne longior ſim, tres dumtaxat hìc proferam Theologos, qui cæteris aliis Scriptoribus eruditionis palmam præripuiſſe videntur. Primus eſt *Joannes Brevis Coxa*, Gallicè *Courte-Cuiſſe*, qui in agro Cenomanorum natus, poſteà in Regio Navarræ Collegio Pariſiis Theologiam didicit, & lauream doctoralem in Facultate Pariſienſi conſecutus, magno auditorum applauſu in eodem Collegio docuit, atque pro abolendo Schiſmate, quod tum temporis Eccleſiam miſerum in modum vexabat, multùm allaboravit, teſte *Monſtrelleto* in *Hiſtoria Caroli VI.* Galliarum Regis, cap. 133. ubi hæc habet: *circà hoc ipſum tempus, Pariſienſis Academia,*

demia, cùm pertinaci duorum Pontificum diſſidio dilacerari doleret Romanam Eccleſiam, neutrum agnoſcendum eſſe Regi perſuaſit. Pro hac ſententia, cùm alii, tum Brevis Coxa in primis accerrimè pugnavit. Deſtitutus à Francis Benedictus (ſeu Petrus de Luna) *Regnum Eccleſiaſtico Interdicto ſuppoſuit.* Epiſcopus Pariſienſis omnium ſuffragiis electus *Joannes Brevis Coxa*, munia tamen Epiſcopalia Pariſiis exercere haud potuit, eò quòd *Henrico IV.* Angliȩ Regi, qui, ſicut in primo Colloquio oſtendimus, tunc Lutetiæ dominabatur, gratus non eſſet. Quapropter, ad Epiſcopatum Gebennenſem translatus eſt, ac paulò poſt obiit. Multa ſcripſit Opera, quæ adhùc Pariſiis extant MSS. partim in Bibliotheca Cœnobii S. *Victoris*, partim in Bibliotheca Regia, partim denique in Bibliotheca Majoris Eccleſiæ Pariſienſis, quorum Catalogum legeſis apud *Joannem Launojum* Fac. Pariſienſis Theologum in *Hiſtoria Regii Navarræ Gymnaſii* part. 3. lib. 1. cap. 3. pag. 462. & ſequentibus, & apud *Caſimirum Oudinum* in *Supplemento Scriptorum Eccleſiaſticorum* pag. 681. & ſeq. Alter inſignis Theologus Facultatis Pariſienſis, fuit *Gerardus Machetus*, qui in Collegio itidem Pariſienſi Navarrico Theologiæ operam dedit, & anno MCCCCXII. inter Doctores Theologos Fac. Pariſienſis adſcriptus eſt. *Carolo VI.* Galliarum Regi cariſſimus fuit, & ab ejus Aula vix unquam receſſit. Factus tandem Epiſcopus Caſtrenſis anno MCCCCXLIV. Obiit die XVII. Julii an. MCCCCXLVIII. Eum præditum fuiſſe moribus modeſtis; gravibus, & à Sæculi vitiis abhorrentibus, teſtatur vir antiquȩ probitatis *Nicolaus Clemangius* in Epiſtolis

116. &

116. & 119. Eum etiam valuiſſe facilitate conſcribendarum Epiſtolarum probat Codex MS. *complurium illius Epiſtolarum*, immò pluſquàm *quadringentarum*, quas ad diverſos ſcripſit, qui Codex aſſervatur in Bibliotheca S. *Martini* Turonenſis. Conſule *Joannem Launojum*, qui harum plurimarum Epiſtolarum Synopſim exhibet in *Hiſtoria Regii Navarræ Gymnaſii* part. 3. pag. 534. & ſequentibus. De eodem *Gerardo Macheto* agunt FF. Sammarthani in *Gallia Chriſtiana* Tomo 2. pag. 500. in *Epiſcopis Caſtrenſibus*, & *Caſimirus Oudinus* in *Supplemento Scriptorum Eccleſiaſticorum*. Denique à *Gerardo Macheto* ſejungi non debet *Ægidius Carlerius* Cameraco oriundus, qui etiam in Regio Navarræ Collegio magna cum laude Theologiam docuit, & Magiſterium in Facultate Pariſienſi adeptus, Cameracenſis Eccleſiæ Decanus creatus eſt. Ad eum extant plures *Gerardi Macheti* Caſtrenſis Epiſcopi Litteræ, in quibus nunc *vir abundantis ſapientiæ, & exemplaris virtutis, Sacræ Theologiæ Profeſſor*, nunc *profundæ Sapientiæ & canonicæ virtutis vir, ſanctiſſimorum eloquiorum Profeſſor clariſſimus* vocatur. Interfuit *Ægidius Carlerius* Concilio Baſileenſi, in quo, ſuſceptâ Legatione Pragam ad revocandos in communionem Eccleſiæ Hæreticos Huſſitas, laudabilitèr ſe geſſit. Multa lucubravit Opera, ſed pauca in lucem prodierunt. Ejus MSS. Operum, quæ habentur in Manuſcripto Codice papyraceo Bibliothecæ Collegii Navarrici, Catalogum exhibet *Joannes Launojus* in Hiſtoria Regii Navarræ Gymnaſii part. 3. lib. 2. cap. 4. pag. 580. & ſequentibus, quæ typis fuit excuſa Pariſiis anno MDCLXXVII. apud Viduam *Edmun-*

Edmundi Martini, Viâ Jacobæâ ſub Sole aureo.

D. Protulitne Italia Sæculo XV. complures eruditos Scriptores, qui Eccleſiam atque Rempublicam Litterariam ſuis lucubrationibus illuſtrarint?

M. Italia Sæcul. XV. clariſſimorum Scriptorum feraciſſima fuit, deditque inſignes Grammaticos, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, Theologos, & Jurisconſultos. Hìc tamen de Jurisconſultis, necnon de Monachis & Regularibus, qui eodem Sæculo in Italia claruerunt, nihil inſeram, utpotè de illis commodiùs in ſequentibus claſſibus, in quas illos ordinavimus, dicturus. Inter celebres Italiæ Sæculi XV. Grammaticos locum tenent *Laurentius Valla*, *Franciſcus Philelphus*, *Nicolaus Perotus*, *Nicolaus Leonicenus*, *Hermolaus Barbarus*, *Julius Pomponius Lætus*, Joannes *Jovianus Pontanus*, *Marcus Antonius Sabellicus*, & *Angelus Politianus*, de quibus hìc pauca dicemus. *Laurentius Valla*, Patricius Romanus, & Canonicus S. *Joannis Laterani*, fuit Grammaticus & Orator facundiſſimus, Græcæ & Latinæ Linguæ peritiſſimus, ſed acris ac ſupra modum mordacis ingenii, qui nec Grammaticis, nec Theologis ſui Sæculi pepercit, eoſque acuto calamo & acerbiore ſtylo perſtingere non dubitavit. Eâ Cenſoriâ libertate innumeros ſibi conciliavit inimicos, à quibus ad Inquiſitionis Tribunal delatus, in carcerem truſus eſt, ac pro hæretico damnatus. *Alphonſi* Aragoniæ Regis precibus ignis pœnam quidem evaſit, erroribus tamen publicè ejuratis, in clauſtro FF. Prædicatorum virgis privatim Neapoli cæſus eſt. Præter ſex libros, quos edidit *Elegan-*

tiarum Linguæ Latinæ, alia ſcripſit non ſpernendæ Lectionis Opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis cum laude tranſmiſit. Obiit Romæ Kalendis Auguſti anni MCCCCLXV. & in Baſilica Lateranenſi ſepultus. *Franciſcus Philelphus*, patriâ Anconitanus, Latinas Græcaſque Literas docuit Bononiæ, Romæ, Florentiæ, Patavii, & Mantuæ. Plurima ſcripſit & ſtrictâ & ſolutâ oratione, multa etiam tranſtulit è Græco in Latinum ſermonem. Obiit Bononiæ anno MCCCCLXXXI. *Nicolaus Perotus*, natus Saxoferrati in Umbria, Græcas Latinaſque litteras, quas perdiù docuit, apprimè callebat. *Polybium*, graviſſimum Hiſtoriarum Scriptorem, Latinitate donavit, ediditque etiam *Commentarios Linguæ Latinæ*, qui excuſi ſunt Baſileæ anno MDLI. Ad Archiepiſcopatum Sipuntinum provectus è vivis exceſſit ſeneſcente Sæculo XV. *Nicolaus Laonicenus* natus Vicentiæ in Italia anno MCCCCXXVIII. Vir fuit Græcè & Latinè doctiſſimus, & eximius Medicus, qui primus Græca *Galeni* Volumina Latinè interpretatus eſt, & commentariis illuſtravit. Scripſit etiam Notas in *Dioſcoridem*, & Opuſculum, in quo omnibus ægris ſalutem & vitam reſtitui poſſe docet. Varias inſuper Epiſtolas, & librum *De Plinii & aliorum Medicorum erroribus*, pervenit ad annum ætatis ſuæ nonageſimum ſextum, & omnibus membrorum ac ſenſuum officiis integer obiit Ferrariæ anno MDXXIV. *Hermolaus Barbarus* ex illuſtri *Barbarorum* apud Venetos ortus familiâ, bonis Diſciplinis & Artibus ingenuis perpolitus, ac præter ingenii amænitatem, quæ plurima in eo erat, Litteris Latinis Græciſque doctiſſimus fuit. Romam

ab

ab *Alexandro VI.* Pontifice Maximo Litteris invitatus venit,& ab illo Patriarcha Aquilejenſis creatus eſt, ſed non multò poſt contagio peſtis Romæ ſæviente, è vita ſublatus eſt, ſepultuſque ad portam *Flaminiam*, quæ vulgò dicitur *Porta Populi*, anno MCCCCXCIV. Variæ ejus Epiſtolæ, Orationes, Prælectiones, Præfationes, aliaque Opuſcula variis temporibus atque locis in lucem prodierunt. *Julius Pomponius Lætus*,aliàs *Petrus Calaber* dictus, vir fuit antiquitatis & Linguæ Latinæ puritatis ſtudioſiſſimus, ſed Linguæ Græcæ planè ignarus. Romæ maximo auditorum concurſu docuit, & ſeptuagenarius obiit ſub *Alexandro VI.* Pontifice Maximo. Inter Opera, quæ edidit, præcipuè recenſentur *Compendium Hiſtoriæ Romanæ*: libellus *de Antiquitatibus Urbis Romæ*: liber *de Magiſtratibus Romanis*: liber *de Arte Grammatica*, & *Epiſtolæ variæ*. Inter Primores Sæculi XV. Italiæ Hiſtoricos, Poetas & Oratores habitus quoque eſt *Joannes Jovianus Pontanus*, Cereto, Umbriæ Oppido, oriundus, & ad omne eloquentiæ genus natus. Erat quidem auſtero ſupercilio,& toto oris habitu ſubagreſtis, ſed ſtylo & ſermone perpolitus Lectorem rapit placido quodam orationis lapſu, atque verborum dulce quiddam reſonantium amæno tinnitu demulcet aures, & in rebus etiam ſeriis multo cum ſale jocatur. Obiit Neapoli ſub initium decimi ſexti Sæculi, ejuſque Poemata, & varia Opuſcula prodierunt Venetiis ex *Aldi* officina anno MDXIX. & Baſileæ anno MDLV. *Marcus Antonius Coccius Sabellicus*, Fabri Ferrarii filius, Romæ,Venetiiſque humaniores litteras profeſſus, inter Litteratos inclytum nomen eſt adeptus. A Senatu Veneto

neto juſſus, ut Reipublicæ res geſtas litteris mandaret, viginti tres libros *De Rebus geſtis Venetorum* ad Urbe condita ad annum circiter MCCCCLXXXVII. edidit, obiitque ſeptuagenarius turpi morbo confectus anno MDXI. Ejus *Orationes XII. Epiſtolarum Libri XII, Varia Poemata*, aliaque Opera Hiſtoriam, aut Grammaticam ſpectantia excuſa ſunt tùm Pariſiis, tùm Venetiis. *Angelus*, dictus *Politianus*, à *Monte Politiano*, Hetruriæ oppido, loco natali ſuo, fuit Canonicus Florentinus, Græcæ Latinæque Linguæ peritiſſimus. Grammaticus, Orator, & Poeta inſignis, Græcas Litteras docuit Florentiæ magno Auditorum confluxu. Feſtinante Fato, & cum maximo Muſarum dolore ereptus eſt, cùm vix quadrageſimum quartum ætatis ſuæ annum attigiſſet, anno MCCCCXCIV. Ejus Opera, elegantiſſimo ſtylo ſcripta, variis in locis & temporibus publicâ luce fuerunt donata. Hi ſunt celebriores Grammatici, Poetæ, & Oratores, qui Sæculo XV. nomen ſibi in Italia fecerunt. Inter Hiſtoricos Scriptores, qui eodem Sæculo Italiam illuſtrarunt, primus ordine cenſetur *Theodoricus Niemus*, Clericus Lucenſis, & Litterarum Apoſtolicarum Abbreviator, qui Hiſtoriam annorum XXXVII. deſcripſit libris quatuor, quorum tres priores ſunt *De Schiſmate Univerſali*, quartus verò inſcribitur: *Nemus Unionis*. Cautè tamen legendus eſt ille Hiſtoricus, eo potiſſimùm nomine quòd Pontifices tempore Schiſmatis Romæ, vel Avenione ſedentes paſſim diſcerpit, atque acerrimè inſectatur, quamvis tamen ſeſe hæreſeon ac Schiſmatis hoſtem infenſiſſimum prodat. Obiit Conſtantiæ tempore Concilii anno MCCCCXVI. *Joannes Franciſcus*

Pog-

Poggius, *Brandolinus*, vel *Bracciolinus* cognominatus, Florentinus, Hiſtoriam Florentinam ſcripſit, & Litterarum Apoſtolicarum ſub *Eugenio IV.* & *Nicolao V.* Scriptor diſertiſſimus fuit. Obiit anno MCCCCLIX. ætatis ſuæ LXXX. In eodem Hiſtoriæ Florentinæ argumento verſatus eſt *Leonardus Brunus*, Aretinus, ab *Aretio* Tuſciæ Oppido, ubi natus eſt, cognominatus. Scripſit quippè libros XII. *Hiſtoriæ Florentinorum*, & alia Opera ad Hiſtoriam, & Grammaticam ſpectantia, & varias Epiſtolas; cùmque eſſet Græcæ & Latinæ peritiſſimus, multa ex Græcis in Latinum ſermonem tranſtulit. Hiſtoriam itidem Florentinam eodem Sæculo XV. concinnavit *Bartholomæus Scala*, Florentinus, eamque libris XX. complexus eſt ab origine Urbis uſque ad annum MCCCCL. Sed morte præventus, quinque tantùm libris extremam manum impoſuit, obiitque anno MCCCCXVII. In deſcribenda Mediolanenſi Hiſtoria excelluerunt Sæculo XV. duo Itali Scriptores, *Bernardinus Corius*, Mediolanenſis, & *Joannes Simoneta*, Calaber. Primus ſcripſit *Chronica Rerum Mediolanenſium*. Alter compoſuit libros XXXI. *de Rebus Geſtis Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Ducis*. Denique, quatuor egregii Scriptores Itali de Hiſtoria Sæculo XV. optimè meriti ſunt, videlicet *Blondus Flavius*, *Æneas Sylvius*, *Platina*, & *Jacobus Mensbona*, de quibus pauca hìc attingere ac delibare ſufficiet. *Blondus Flavius*, Forolivienſis, *Eugenio IV.* aliiſque Pontificibus Romanis à Secretis & Epiſtolis, ſcripſit *Romæ Triumphalis* libros X. *Pio II.* Pontifici Maximo dicatos: *Romæ inſtauratæ* libros tres *Eugenio IV.* inſcriptos: *Italiæ illuſtratæ* libros octo: *Hiſtoriarum Decades*

tres

tres ab anno Chriſti cccc. ad annum MCCCCXL. Obiit Romæ pridie Nonas Junii anni MCCCCLVIII. & in *Ara Cæli*, ante introitum Templi ſepultus cum Epitaphio, quod ei quinque ipſius filii poſuerunt. *Æneas Sylvius*, poſteà ad Summum Pontificatum provectus, *Pius II.* dictus, natione Thuſcus fuit, Patriâ Senenſis. Vir undecumque doctiſſimus, Orator, Poeta, Hiſtoricus, Philoſophus, & Theologus inſignis, litteris, eloquentiâ, ingenii dexteritate & prudentiâ nulli ſecundus multa ſcripſit Opera, quæ variis temporibus atque locis excuſa ſunt, ipſius tamen *Hiſtoria Auſtriaca*, quæ ad annum uſque MCCCCLVIII. pertingit, hactenùs inedita ſervatur in Bibliotheca Vindobonenſi, undè ejus editionem pollicetur *Petrus Lambecius* in Catalogo propriorum Operum pagin. 58. *Platina*, quem alii *Bartholomæum*, alii *Baptiſtam* appellant, patriâ Cremonenſis, vel, ut alii volunt, Veronenſis, humili loco, & obſcuris natus eſt parentibus, ſed cùm ingenio ſubtilis eſſet & vehemens, eloquio diſertus & mulcens, animo conſtans & validus (ſicut teſtatur *Tritbemius* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum) à viris doctis ſui Sæculi ſummo in honore habitus eſt. Variam fortunam, dùm viveret, expertus eſt. Nam à *Paulo II.* Pontifice Maximo bonis omnibus ſpoliatus in carcerem truſus eſt, indè poſteà à *Sixto IV.* liberatus, Vaticanæ Bibliothecæ præfectus fuit, obiitque Romæ peſte ſublatus anno MCCCCLXXXI. Inter multa, quæ edidit, Opera, præcipuè commendatur Opus, quod ſcripſit, *De Vitis Romanorum Pontificum* uſque ad *Paulum II.*, & *Sixto IV.* nuncupavit. Quod Opus *Onuphrius*

Panvinus, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, poſteà recenſuit, doctiſſimis Notis illuſtravit, eique adiecit Vitas *Sixti IV.* & ſequentium Pontificum uſque ad Sanctum *Pium V.* cui ſuam Platinæ Operis Continuationem obtulit ac conſecravit. Conſultò inter Hiſtoricos Italiæ Scriptores non percenſui *Matthæum Palmerium*, Florentinum, qui præter libros IV. *De Vita Civili*, & alterum *De Bello Piſano*, *Chronicon Proſperi*, quod deſinit in anno CCCCXLIV. mille additis annis perduxit uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum nonum. Hic enim Scriptor cùm in Arianæ Hæreſis ſuſpicionem incidiſſet, & palinodiam decantare nollet, temeritatem capite luit, & flammis exuſtus eſt, teſte *Trithemio* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, & ex eo *Genebrardus*. Quapropter, inter illuſtres Sæc. XV. Italiæ Scriptores locum occupare haud debet. Nonnulli peritorum Sæc. XV. Italiæ Grammaticorum claſſi accenſent *Theodorum Gazam*, ſed hic Scriptor potiori jure in Græcorum Auctorum claſſe reponendus eſt, quia patriâ Theſſalonicenſis fuit, & ſolùm in Italiam venit, quando *Amurathes* Turcarum Imperator omnem victricibus armis Græciam devaſtaret. Latinas Litteras in Italia didicit, in quarum cognitione tantùm profecit, ut ſummâ felicitate & omnium admiratione Latina Græcè, & Græca Latinè verteret, nec planè dignoſci poſſet, an exactiùs & certiùs ab eo Latina Græcè, an ipſa Græca Latinè verterentur. Opera plurima eruditione plena reliquit, obiitque Romæ, quò ex Græcia venerat, anno Chriſti MCCCCLXXVIII. *Friderico III.* Romanorum Imperium

rium gubernante, & *Sixto IV.* Summum Pontificatum tenente. Claſſem eruditorum Sæculi XV. Italiæ Scriptorum claudent tres eximii Viri, *Marſilius Ficinus*, *Joannes Picus Mirandulanus*, & *Franciſcus à Ruvere*, quorum primus, vir fuit, teſte *Bellarmino* in libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis, *peritus non vulgariter tùm Sacræ Theologiæ, tùm etiam Platonicæ Philoſophiæ*. Græcæ, & Latinæ Linguæ cultor ſtudioſiſſimus fuit. Multos Scriptores Græcos, ipſumque *Platonem* Latinos fecit, & complura ſcripſit Opuſcula, quæ à viris doctis cum ſingulari oblectatione leguntur, & quibus ipſe excellentis ingenii ſui venam poſteris oſtendit. Obiit in patria anno MCCCCXCIX. quo tempore *Ludovicus XII.* Galliarum Rex, Alpes cum potenti exercitu ſupergreſſus, bellum atque terrorem in Italiam inferebat. Alter Scriptor, ſeu *Joannes Picus* dictus *Mirandulanus*, eò quòd Mirandulæ Dominus, & *Concordiæ* Comes eſſet, ac Princeps, in omnium artium, ſcientiarum, & linguarum varietate fuit uſque ad miraculum excultus. Exactè tenebat Linguas Græcam, Latinam, Hebræam, Chaldaicam, & Arabicam, ſuique ſæculi ingeniorum *Phænix* à viris eruditis nuncupatur. Juvenili ardore impulſus Romam venit, ubi Concluſiones nongentas in omni ſcientiarum genere diſputandas annos natus dumtaxat XXIV. propoſuit. Verùm, *Innocentius VIII.* Libellum complectentem hujuſmodi nongentas Concluſiones *Joannis Pici Mirandulani* damnavit anno MCCCCLXXXVII. & ſub pœna Excommunicationis legere prohibuit, eò quòd in his Propoſitionibus Dialecticis, Phyſicis, Methaphyſicis, Moralibus,

Theologicis, Magicis, Cabaliſticis, nonnullæ *ſuſpectæ & hæreſim ſapientes* viſæ eſſent Epiſcopis, & aliis Sacræ Theologiæ, & juris utriuſque Profeſſoribus, quibus illarum examen demandaverat Pontifex. Nullam indè tamen labem contraxit *Joannes Picus Mirandulanus*, quia prædictas Concluſiones gratiâ tantùm Scholaſticæ Diſputationis, ac ſub Apoſtolicæ Sedis correctione diſputandas publicaverat, & tales demùm ſe eas habiturum profeſſus fuerat, quales per Summum Pontificem judicarentur: jurejurando promittens, ſe cuicumque Declarationi, quam ipſum *Innocentium VIII.* Pontificem Maximum ſuper hoc facere contingeret, lubentiſſimè aſſenſurum. Hinc *Joannes Picus Mirandulanus*, miſſo Philoſophiæ ſtudio, caſtiori Theologiæ totus incubuit, Chriſtianæ Religionis veritatem adversùs Judæos & Mahumetanos tutandam ſuſcepit, præſertim verò impiam ac ineptam Aſtrologorum gentem aggreſſus funditùs debellavit. Deo, & Sacris Litteris jugitèr vacans *Joannes Picus Mirandulanus*, decreverat, relicto ſæculo, in Ordine FF. Prædicatorum totum ſe Deo conſecrare, ſicut teſtatur ejus ex fratre Nepos *Joannes Franciſcus Picus Mirandulanus*, qui illius Vitam edidit, Patruo ſuo doctrinâ non impar, & ipſe egregiis lucubrationibus non minùs, quàm nobilitate illuſtris. Obiit *Joannes Picus Mirandulanus* annos natus XXXII. Florentiæ, XV. Kalendas Decembris anni MCCCCXCIV. quo die *Carolus VIII.* Galliarum Rex, eamdem Urbem ingreſſus eſt. In habitu FF. Prædicatorum, quem ſuſcepturum pridèm voverat vir ille, non minùs pietate, quàm doctrinâ conſpicuus, ſepultus eſt in Eccleſia Sancti

Marci

Marci. De *Franciſco à Ruvere*, natione Italo, Patriâ Savonenſi, Ordinis FF. Minorum, qui poſteà ad Summum Pontificatum provectus, *Sixtus IV.* fuit appellatus, plura jam diximus in Colloquio II. agendo de Romanis Pontificibus. Quapropter, hìc referre ſufficiet Opera ab eo edita, dùm adhùc Cardinalis eſſet. Scripſit Tractatum *De Sanguine Chriſti*: alium Tractatum *De potentia Dei* contra errorem cujuſdam Carmelitæ Bononienſis, affirmantis, Deum ſuâ omnipotentiâ damnatum hominem ſalvare non poſſe. Uterque Tractatus prodiit Romæ anno MCCCCLXXI. Alios inſuper duos Tractatus, quorum unus eſt *De futuris contingentibus*, alter *De Conceptione Beatiſſimæ Virginis*, memorat *Lucas Wadinghus* in libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum*, eoſque in Bibliothecis Italiæ adhùc MSS. aſſervari ait. *Aggreſſus eſt* etiam idem *Sixtus IV.* dum adhuc Cardinalis eſſet. *Opus admodùm neceſſarium; oſtendere enim anniſus eſt rationibus quidem, & non vulgaribus, Thomam Aquinatem, & Scotum in Sententiis convenire, licèt verbis differre viderentur, ad tollendas diſcordias, & altercationes, quæ ob hanc rem inter utrumque Ordinem quotidiè naſcebantur: tantæ enim integritatis habebatur & doctrinæ, ut huic uni ex cætu Cardinalium ad fidem pertinentia potiſſimùm committerentur*. Verba ſunt *Platinæ* in Vita manuſcriptâ ejuſdem Summi Pontificis *Sixti IV.* Sed de celebrioribus Italiæ Sæculi XV. Scriptoribus ſatis hactenùs dictum ſit.

D. Clariſſimos Scriptores, qui ob ſingularem eruditionem Sæculo XV. nomen ſuum in Hiſpania poſteris commendarunt, in quarta Claſſe collocaſti, de illis itaque juxtà præſcriptum ordinem

dinem hìc breviter diſſerendum nobis eſt.

M. De Scriptoribus, qui Monaſticæ, aut Regulari vitæ addicti Sæculo XV. Hiſpaniam doctrinâ illuſtrarunt, in ſequentibus Claſſibus, in quas illos diſtribuimus, opportuniùs dicturi, quatuor dumtaxàt celebres hìc proferam Hiſpaniæ Scriptores, qui in Claſſibus proximè ſequentibus locum habere haud poſſunt. Hi porrò ſunt *Paulus à Sancta Maria*, *Hieronymus à Sancta Fide*, *Alphonſus Toſtatus*, & *Jacobus Perezius*, quorum Opera toti Orbi notiſſima paucis verbis indicabo. Et primò quidem, *Paulus à Sancta Maria*, natione Hiſpanus, Sectâ Judæus, nobilitate, opibus & doctrinæ laude, in ea Gentè facilè Princeps, ad Chriſtianam Fidem lectione Operum Sancti *Thomæ Aquinatis* converſus eſt. Carthaginenſis primùm Epiſcopus creatus, deinde ad Burgenſem translatus fuit, unde illi *Burgenſis* cognomen adhæſit. Hiſpaniæ Regibus chariſſimus fuit, & ſcrinio Regio Præfectus, multa prudentiæ, induſtriæ, fideique ſuę in hoc obeundo munere egregia ſpecimina dedit. Sacras Litteras, in quibus verſatiſſimus erat, illuſtravit tum *Additionibus notabilibus ad Poſtillas Nicolai de Lyra*, tùm *Scrutinio ſcripturarum* duos in Libros diviſo. Obiit die XXIX. Auguſti anni MCCCCXXXV. ac tres reliquit filios, quos in Judaiſmo procreaverat, videlicèt *Alphonſum*, qui Patri in Epiſcopatu Burgenſi ſucceſſit, & Author eſt *Anacephaleoſis Regum Hiſpaniæ*; *Gonſalvum*, qui fuit Epiſcopus Placentinus, & *Alvarum Garſiam*, qui familiam propagavit, & de rebus à *Joanne II.* Caſtellæ Rege geſtis Commentarios ſcripſit. *Hieronymus à Sancta Fide*,

de, natione itidem Hiſpanus, & ex Judæo Chriſtianus, nec non *Petri de Luna*, ſeu *Benedicti XIII.* Medicus, edidit librum *de refellendis Judæorum erroribus*, in quo eorum perfidiam non modò ex Propheticis Oraculis, ſed ex Rabbinorum ſententiis refellit. Alium etiam compoſuit librum ad profligandos *Talmudis* Judaici errores. Uterque liber habetur in Bibliotheca Patrum Colonienſi Tomo XIV. & Lugdunenſi Tomo XXVI. *Alphonſus Toſtatus*, Doctor Salmanticenſis, & Abulenſis Epiſcopus, Vir fuit ſtupendæ memoriæ, incredibilis diligentiæ, inexhauſti laboris, ac rari planè judicii, qui non modo intima Theologiæ adita penetrarat, ſed in omni genere Diſciplinarum, Philoſophiæ, Mathematicæ, Geographiæ, Hiſtoriæ, ac Juris utriuſque notitiâ erat exercitatiſſimus, præcipuè verò in Sacris Scripturis tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti, ad quas dilucidandas grandia viginti quatuor Volumina edidit, præter varia Opuſcula, quæ Tomo XXV. ſunt comprehenſa. Fertur etiam, pluſquàm quadringentos illius libros, dum ex Hiſpaniis in Italiam prælo deſtinati adveherentur, naufragio interiiſſe. Aliquas *Alphonſi Toſtati* propoſitiones *Eugenius IV.* damnavit, eaſque noſter *Joannes* Cardinalis *de Turrecremata* edito libro impugnavit, quas tamen idem *Toſtatus* Commentario, cui *Defenſorio* nomen fecit, vindicavit, & *Eugenio IV.* Pontifici Maximo porrexit Schedulam, quâ ſe Eccleſiæ & Sanctitatis ipſius judicio lubenti demiſſoque animo ſubjiciebat. Obiit, non minùs pietate, ac Religionis zelo, quàm doctrinâ inſignis, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, Chriſti verò milleſimo quadringente-

ſimo quinquageſimo quarto, & ſepultus eſt in Eccleſia Abulenſi, iſto Elogio ab Hiſpanis donatus:

Hic ſtupor eſt Mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

Denique, *Jacobus Perezius*, Valentiâ oriundus, ex Ordine Eremitarum Sancti *Auguſtini*, ad Criſtopolitanum,ſeu Chryſopolitanum Epiſcopatum aſſumptus, & *Roderici Borgiæ* Cardinalis Valentini Suffraganeus,edidit Commentarios in Pſalmos & Cantica Salomonis, necnon Libellum contra Judæos de Chriſto generis humani Redemptore. Migravit è Vita anno MCCCCXCI.

D. Cùm retinuerit adhùc Sæculo XV. Eccleſia Anglicana antiquam fidem, verum Dei cultum, Patrum Dogmata, Summorum Pontificum & Conciliorum Decreta, facilè adducor ut credam, complures eo Sæculo floruiſſe in Anglia Scriptores, qui moribus inculpati, & doctrinâ exornati magnam laudem & nominis gloriam bonis artibus compararunt.

M. Joannes *Pitſeus* in Libro *de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus*, *Ætate decima quinta*, & *Joannes Baleus* in Libro *Illuſtrium Scriptorum Majoris Britanniæ* Centuriis VIII.& IX. benè multos recenſent Scriptores Anglos, qui Sæculo XV. literis & pietate floruerunt, quique fermè omnes Vitam Monaſticam, aut Regularem Diſciplinam in Ordinibus Religioſorum Mendicantium, potiſſimùm in Ordine Carmelitarum, profeſſi ſunt. Nos verò de Scriptoribus Anglis, qui Sæculo XV. vitæ Monaſticæ, aut Regulari Diſciplinæ fuerunt addicti, in ſequentibus Claſſibus dicturi,illos dumtaxat Scriptores Anglos hic referemus, qui ad ſe-

ſequentes claſſes ablegari haud poſſunt, quos inter primo loco hi reponi debent, qui graſſantem in Anglia Wicleſſianam Hæreſim eruditis libris confutarunt. *Thomas Arundellius*, ex illuſtriſſima Comitum Proſapia apud Anglos oriundus, ad natalitium familiæ ſplendorem virtutes eximias & ſingularem adjunxit doctrinam. Factus eſt primùm Epiſcopus Elienſis, deindè Archiepiſcopus Eboracenſis, tum Angliæ Cancellarius, & tandem Archiepiſcopus Cantuarienſis. In fide Catholica propugnanda, & in Vvicleſſiana profliganda hæreſi multùm laboravit. *Commentarios* edidit in Librum Sapientiæ, & *Explicationem Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, obiitque anno MCCCCXV. *Richardus Graſdalus*, natione Anglus,& Doctor Academiæ Oxonienſis Vvicleſſianam Hæreſim acriter etiam oppugnavit,quippè qui,teſte *Thoma Waldenſi* in ſuo zizaniorum faſciculo, unus fuit ex duodecim Doctoribus, qui ſub *Thoma Arundellio*, Cantuarienſi Archiepiſcopo, *Joannis Wicleſſi* errores condemnarunt. Multa de Hiſtoria, & de aliis argumentis partim verſu, partim ſolutâ oratione ſcripſit, ut videre eſt apud laudatos *Pitſeum*, & *Baleum*, qui etiam teſtantur, eum fuiſſe virum pietate & doctrinâ celebrem, Poetam non ſpernendum, elegantem Oratorem, Philoſophum acutum, Hiſtoricum inſignem, & Theologum ſolidè doctum. *Richardus Snetisbamus*, natione Anglus, Sacræ Theologiæ Doctor, & Profeſſor Oxonienſis, ejuſdemque Academiæ Cancellarius, electus paritèr fuit cum aliis undecim Doctoribus ad examinandam Hæreſiarchæ *Joannis Wicleſſi* doctrinam, & ad ſuam Cenſuram de ea ferendam, librum

brumque ſcripſit contra quoſdam *Wicleffi* articulos, & diverſa alia Opera, quorum Catalogum texunt *Baleus* & *Pitſeus*, aſſeruntque, eum fuiſſe virum pietate, vitæ integritate, morum candore, caſtitate, temperantiâ, modeſtiâ præditum, & charitate in proximos, magnoque divinæ gloriæ zelo ferventiſſimum. His Scriptoribus Anglis, qui Sæculo XV. in *Vvicleffi errores* calamum acuerunt, accenſeri itidèm debent *Guillelmus Berton*, Oxonienſis Cancellarius, *Rodolphus Strode* ex Martonenſi Oxonii Collegio; *Joannes Svaffanius*, & *Stephanus Patringtonius*, Menevenſes Epiſcopi, *Robertus Vvaldebie* Eboracenſis Archiepiſcopus, *Robertus Alingtonius* Oxonienſis Academiæ Cancellarius, *Joannes Luccus*, Doctor Oxonienſis, qui ſub *Thoma Arundellio* Archiepiſcopo Cantuarienſi Cenſor deſignatus eſt Operum *Joannis Vvikleffi*, & ex his erroneos articulos collegit ducentos ſexaginta, quos Concilio Londinenſi damnandos propoſuit; pluresque alii Angli Scriptores, quos longum eſſet hic percenſere, & de quorum Operibus, doctrinâ & pietate latè diſſerunt *Baleus*, & *Pitſeus*. Regnante in Anglia Sæculo XV. *Henrico VII.* floruiſſe litteras in Anglia, & à diverſis multa Collegia iis addiſcendis erecta eſſe in Civitatibus & Academiis Oxonii & Cantabrigiæ, ſcribit *Polydorus* ad finem libri XXVI. *Hiſtoriæ Anglicanæ*, & inter illos, qui eo Sæculo magnum in Anglia litteris incrementum dederunt, maximè commendat *Joannem Coletum*, patriâ Londinenſem, & Decanum Eccleſiæ *S. Pauli* ejuſdem Civitatis, qui, ut ait, mentis virtute & vitæ integritate ornatus, apud ſuos Anglos alter penè Apoſtolus *Paulus* habitus eſt.

Ma-

Magnificam Londini ad Cœmeterium Paulinum Scholam erexit, in qua Civitatis inſtruerentur pueri, & ex ſuis facultatibus in annos ſingulos honorarium, ſeu ſtipendium conſtituit, quò Ludimagiſtri bonis litteris juventutem erudientes omni deinceps tempore gratuitò docerent. Vixit *Joannes Coletus* uſque ad annum MDXIX. quo multis virtutibus Chriſtianis clarus obiit, ac non pauca à ſe ſcripta reliquit Opera, quæ recenſent *Baleus*, natione Anglus, qui librum edidit *de Scriptoribus Britannicis* in novem Centurias digeſtum, & *Joannes Pitſeus*, natione itidem Anglus, qui *illuſtrium Angliæ Scriptorum* Catalogum per ſingulas ætates diſtributum contexuit. Hos itaque duos Authores Anglos, qui eo de argumento datâ operâ & copioſiſſimè diſſerunt, potiſſimùm conſulere debes, ſi plura ſcire aveas de Viris illuſtribus, qui Sæculo XV. doctrinâ & pietate Angliam nobilitarunt, variiſque editis Operibus eruditionis laude claruerunt.

D. Juxtà Ordinem, quem, in referendis Sæculi XV. Scriptoribus Eccleſiaſticis, in limine hujus Colloquii præfixiſti, ad illos Scriptores nunc recto tramite pergere debemus, qui eodem Sæculo in Germania celebriores fuerunt, quorum res geſtas maximè memorabiles, præſertim ad Eccleſiæ, & Reipublicæ litterariæ ſtatum pertinentes, necnon Opera ab ipſis edita notare, & hiſtoricâ narratione perſtringere juvat.

M. Præter benèmultos celebres Scriptores Germanos, qui Sæculo XV. Monaſticam vitam, vel Regularem Diſciplinam in Ordinibus Religioſo-

rum

rum Mendicantium Profeſſi, Eccleſiam doctrinâ & Sanctimoniâ illuſtrarunt; quoſque in ſequentibus Claſſibus, in quas illos ordinavimus, mox laudaturi ſumus; ſuppetunt alii Germaniæ Scriptores, qui eodem Sæculo nec vitæ Monaſticæ, nec Diſciplinæ Regulari addicti, litteras impensè coluerunt, & perdoctis ſuis lucubrationibus præclarum apud Viros eruditos nomen ſibi compararunt, de quibus breviter in præſentia, juxta ordinem Chronologicum, diſſeremus. Circà annum MCCCCXX. *Theodoricus Engelhuſius*, natione Germanus, Eccleſiæ Hildesheimenſis Canonicus, claruit, & ſcripſit *Chronicon Chronicorum*, ſeu Chronicon Univerſale rerum in Eccleſia & Republica geſtarum ab Orbe condito ad annum MCCCCXX. Primus hoc Chronicon è tenebris eruit ac publici juris fecit *Joachimus Joannes Maderus* Helmſtadii anno MDCLXXI. Alter Scriptor, dictus *Meſſretus*, Eccleſiæ Miſnenſis Presbyter; floruit in Germania circa annum MCCCCXLIII. & ſcripſit *Hortulum Reginæ*, ſeu Sermones de Sanctis, & Dominicales per totum annum in partes Æſtivalem & Hyemalem diſtributos, qui prodierunt Norimbergæ anno MCCCCLXXXVII. & Baſileæ anno MCCCCLXXXVIII. Huic Scriptori coævus fuit *Petrus De Pilichdor*, natione itidem Germanus, qui librum ſcripſit contra *Sectam Waldenſium*, quem cum *Reinerii* Ord. Prædic. Opere ejuſdem argumenti *Gretſerus* edidit Ingolſtadii ann. MDCXIII. Verùm, illos Germaniæ Scriptores doctrinâ longè ſuperavit *Nicolaus de Cuſa*, in vico Cuſæ ad Moſellam in Diœceſi Trevirenſi natus. Hic quippè in Concilio Baſileenſi eximiæ doctrinæ ſpecimen dedit,

dit, à quo poſteà ſecedens, & *Eugenio IV.* Pontifici Maximo adhærens, ejus authoritatem contra Antiſtites Baſileenſes, qui ei parêre detrectabant, acerrimè tuitus eſt. Inter Eccleſiæ Romanæ Cardinales à *Nicolao V.* ſucceſſore *Eugenii IV.* anno MCCCCXLVIII. adſcriptus, deindè Brixienſis Epiſcopus creatus, maximis Sedis Apoſtolicæ Legationibus in Germania, Gallia, & Anglia præclarè defunctus eſt. Vir fuit ob ſummam eruditionem ferè pro miraculo habitus, in divinis Scripturis, in ſæcularibus litteris, & in omni diſciplinarum genere diligentiſſimè verſatus, Theologorum ſuo tempore facilè Princeps, Philoſophus, Rhetor, & Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, & eloquio diſertus, trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ egregiè peritus, vitâ & converſatione integerrimus, pietatem cum omnigena eruditione conjunxit, multaque præclara ſcripſit Opera, quæ ſæpiùs typis excuſa tribus Tomis ſunt comprehenſa, in Editione Baſileenſi anni MDLXIV. Obiit Tuderti in Umbria, anno MCCCCLXIV. ejuſque corpus Romam translatum ſepulturæ mandatum eſt in Eccleſia ejus titulari S.*Petri in Vinculis*, ut ipſe Teſtamento caverat, pro ſua ſingulari erga glorioſum illum Apoſtolum religione. Hunc *Nicolaum Cuſanum* inter Scriptores Dominicanos recenſet noſter *Ambroſius de Altamura* in *Bibliotheca Dominicana* Centuriâ tertiâ ad ann. MCCCCLXIV. Verùm, ut candidè fatear, nulla ſuppetunt probatæ fidei monumenta, ex quibus evinci poſſit, hunc *Nicolaum de cuſa* Familiæ Dominicanæ fuiſſe alumnum. Ne quis autem exiſtimet, me quidquam gloriæ Familię Dominicanæ indè decerpere voluiſ-

voluiſſe, libentèr hìc uſurpabo verba doctiſſimi Patris *Mabillonii*, Congregationis S. *Mauri* Benedictini, qui in Præfatione ad Sæculum ſecundum Benedictinum reſpondens iis, qui contra eum querebantur, quòd plures Scriptores Monachos, quos illi Ordini Benedictino vindicandos eſſe cenſebant, ad extraneorum Claſſem ablegaſſet, hæc numero VII. habet: *Quid attinet ementitos & affictitios Ordini Benedictino* (dicam ipſe Dominicano) *affingere honores? Næ illi ignavam & otioſam familiæ ſuæ expendunt operam, qui ejus decora immodicis efferunt elogiis: nec tantùm perficere in ejus injuriam poſſent injuſti contemptores, aut vituperatores, quantùm laudatores nimii, & præcipites, qui dùm laudibus ſine delectu ſtudent, & vera falſis immiſcent; etiam veritatem in diſcrimen adducunt, contingitque illis, ut nec vera dicentibus credatur*. Haud vulgarem laudem apud Viros eruditos Sæculi decimi quinti ſibi conciliavit *Joannes Nauclerus*, natione Germanus, Profeſſor, & Rector Academiæ Tubingenſis, qui ſcripſit *Univerſale Chronicon* comprehendens res memorabiles Sæculorum omnium ac gentium, ab Orbe condito uſque ad annum MD. Prodiit primùm Tubingæ anno MDXV. deindè Coloniæ cum *Surii* Appendice ab anno MDI. uſque ad annum MDLXIV. ſæpiùs fuit excuſum. Inter celebres Sæculi XV. Germaniæ Scriptores *Ioannem Reuchlinum*, dictum *Capnionem*, natione Germanum, reponunt nonnulli, quos inter *Deſiderius Eraſmus* pluribus eum commendat in ea, quam ſuis Colloquiis inſeruit, *Apotheoſi Joannis Reuchlini Capnionis*: Verùm ipſe, licèt ultrò fatear, *Joannem Reuchlinum* accuratiſſimâ lingua-

rum

rum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & Chaldaicæ ſcientiâ fuiſſe apprimè excultum, eumque in Germania Hebraicarum & Græcarum Litterarum, Latinarumque elegantiarum ſtudium maximè promoviſſe; illum tamen inter illuſtres Germaniæ Scriptores non recenſebo, tùm quia omnes promiſcuè Monachos, & Religioſos Ordinum Mendicantium, edito *Obſcurorum Virorum Epiſtolarum* volumine, deridendos propinavit, indèque eorum animos graviter pupugit; tum quia etiam Hebraicæ Cabalæ Myſteriis initiatus, totum ſeſe his nugis & inſomniis devovit. Quò factum eſt, ut *Jacobus Hogoſtratus*, Dominicanus, eum apertè Cabalam profitentem acerrimè impugnaverit. Quod ægrè ferens Joannes *Reuchlinus*, Dominicanos acritèr inſectatus eſt, & ut illis infamiæ notam inurere poſſet, fabulam finxit de quatuor Dominicanis ob ficta miracula apud Bernates ad ignem damnatis, quam *Deſiderius Eraſmus*, ei amiciſſimus, & ſtatus Religioſi oſor, propalare auſus eſt in ſuis Colloquiis Familiaribus, videlicet in *Colloquio de Exequiis Seraphicis*. Sed hanc malè conſarcinatam fabulam, quam nonnulli Hiſtorici ex *Joanne Reuchlino*, & *Deſiderio Eraſmo* exſcripſerunt, invictis momentis confutavit *Joannes Caſalas*, Scriptor elegans, Ordinis Prædicatorum, in libro Apologetico, cui Titulus eſt: *Candor Lilii*, pag. 420. & ſeq. Sed miſſo Joanne *Reuchlino*, quem *Theodorus Beza* in libro ſuarum Iconum Calviniſtis Principibus accenſuit, veniamus nunc ad illuſtres Viros, quos in ſeptima Claſſe repoſuimus, ſeu ad Clariſſimos illos Scriptores, qui Sæculo decimo quinto Monaſticam Vitam profeſſi, do-

ctrinâ

ctrinâ & pietate in Eccleſia præfulſerunt.

D. Obſecro te, ut in iſta Claſſe delectum aliquem habeas, ac illos dumtaxàt percenſeas Monachos, qui Sæculo decimo quinto celebriores & Sæculorum memoriâ digni habentur, prætеritis aliis, qui vel minus noti ſunt, vel nullius nominis. Hos quippè omnes ſi hìc in medium proferre velles, longiùs, quàm par ſit, noſtrum protraheretur Colloquium.

M. Primùm in hac Claſſe, juxtà Ordinem Chronologicum, conſtituam *Gobelinum Perſonam* natione Germanum, in antiqua Saxonia, quæ nunc *Weſtphalia* dicitur, natum. Floruit circa annum MCCCCXVIII. Paderbornenſis Eccleſiæ primùm Decanus, poſteà mundo nuncium remittens, cucullam induit; & ſexagenario major abiit è vivis. Scripſit *Chronicon* ab Orbe condito uſque ad annum Chriſti MCCCCXVIII. quod vulgò *Coſmodromium* appellatur, prodiitque cum Notis & Appendice *Henrici Meibonii* Francofurti an. 1599. Edidit etiam vitam S. *Meinulphi* Paderbornenſis Diaconi & Confeſſoris, quem ex fonte ſacro ſuſcepit *Carolus Magnus* Imperator. Confundi autem non debet hic *Gobelinus Perſona* cum *Joanne Gobelino* Vicario Bonnenſi, qui *Pio II.* Pontifici Maximo ab Epiſtolis fuit, & cujus ſub nomine prodierunt *Commentarii Rerum Memorabilium, quæ ejuſdem Pii temporibus contigerunt*. In conſcribendis Chronicis & Hiſtoriis, *Gobelino Perſona* haùd inferiores fuerunt quatuor Sæculi decimi quinti Monachi; videlicet *Thomas Walſinghamus, Joannes Trithemius, Ambroſius Camaldulenſis, & Wernerus Relewink de Laer*, quorum primus, ſeu *Thomas Walſinghamus*, natio-

natione fuit Anglus, patriâ Norfolcienſis, Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio S. *Albani*. Duas de Rebus Anglicis ſcripſit Hiſtorias, breviorem unam, quæ initium ſumit ab an.MCCLXXIII. in quo *Matthæi Pariſii* Hiſtoria Anglicana deſinit, uſque ad annum MCCCCXXII. Altera Hiſtoria, quæ prolixior eſt, cuique titulus eſt: *Hypodigma Neuſtriæ*, incipit ab irruptione Normannorum in Angliam, ſeu ab anno MLXVI. & producitur uſque ad ann. MCCCCXVII. Præter iſthæc, ſcripſit *Walſinghamus Auctarium Polycronici Ranulphi Higdeni*, quod, teſte *Baleo* Centuriâ VII. cap. 88. *De illuſtribus Britanniæ Scriptoribus*, habet rariſſimas Hiſtorias, & à nullo alio ſcriptas. Denique, *Walſinghamus* Hiſtoriam *Henrici V.* Angliæ Regis, cujus temporibus vixit, litteris conſignaſſe dicitur.

Ioannes Tritbemius, priùs Abbas Spanheimenſis, poſt Abbas Wirciburgenſis, natione Germanus, natus eſt anno MCCCCLXII. in pago Trittenheim ad Moſellam. In Academiis Trevirenſi, & Heidelbergenſi humanioribus Litteris excultus, Ordini S. *Benedicti* annos natus viginti duos in Cœnobio S. *Martini* Spanheimenſi nomen dedit, tantamque ſibi apud ſodales rarâ eruditione, & pietate eximiâ auctoritatem conciliavit, ut juvenis adhuc communi Monachorum ſuffragio Abbas fuerit electus. Totum deinceps animum ad litteras proſequendas cùm appuliſſet, intima reconditioris eruditionis penetralia reſeravit, evaſitque eruditus Philoſophus, Mathematicus, Poeta, Hiſtoricus, & Theologus adeò inſignis, ut inter ſui Sæculi Scriptores doctrinâ claros, paucos habuerit æquales, incertum an ullum ſuperiorem.

Scripſit *Chronicon Monaſterii Hirſaugienſis* in Diœ-
ceſi Spirenſi: *Chronicon Monaſterii Spanheimenſis*,
in Diœceſi Moguntina: *Chronicon Monaſterii S. Ja-
cobi Majoris* in ſuburbio Herbipolitano: Librum
De illuſtribus Germaniæ Viris: Librum *De illuſtribus
Viris Ordinis S. Benedicti*: Librum *De laudibus Or-
dinis Fratrum Carmelitarum*: Catalogum *Scriptorum
Eccleſiaſticorum*, in quo Scriptorum DCCCCLXX. cir-
citer vitas accuratè deſcripſit, elogia contexuit,
& Opera ab eis edita enumeravit. *Trithemii* Ope-
ra Hiſtorica Francofurti anno MDCI. edi curavit
Marquardus Freherus, ejus verò Opera aſcetica
Ioannes Buſæus Societatis Jeſu Theologus edidit
Moguntiæ anno MDCIV. De *Ioannis Trithemii* Ope-
ribus plura legeſis apud *Voſſium* lib. 3. *De Hiſtoricis
Latinis* cap. 10. & apud *Labbeum* in Diſſertatione.
Hiſtorica *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Hoc unum
dumtaxàt hìc obitèr obſervabo, Opus, quod *Ioan-
nes Trithemius* edidit de *Steganographia*, ſeu de
Arte occultis caracteribus ſcribendi, à pluribus
fuiſſe Magiæ inſimulatum; ſed perperàm; ut vide-
re eſt apud *Spondanum* ad annum MCCCCXCIX. Nu-
mer. IX. & X. ubi *Ioannem Trithemium*, de Eccle-
ſia, de Ordine ſuo, ac re Litteraria optimè meri-
tum ab omni adeò nefandi criminis culpâ immu-
nem fuiſſe oſtendit, nihilque toto eo Opere eſſe
quod magicam artem oleat. Obiit *Ioannes Trithe-
mius* anno MDXVI. Italiam Sæculo XV. plurimùm
illuſtravit *Ambroſius Camaldulenſis*, Porticu Fla-
miniæ Oppido; non procùl Florentiâ oriundus,
Ordinis Camaldulenſium Abbas Generalis. Lin-
guam Græcam apprimè callebat, ejuſque operâ
Eugenius IV. Pontifex Maximus ad promovendam
unio-

unionem Græcorum cum Latinis in Conciliis Ferrarienſi & Florentino feliciter uſus eſt, præter varia Opuſcula Scriptorum Græcorum, quæ Latio donavit *Ambroſius Camaldulenſis*, alia non contemnenda ingenii ſui monumenta proprio marte compoſuit, inter quæ numerantur *Chronicon Montis Caſini*, & duo libri Rerum à ſe geſtarum, cùm Generalem Ordinis ſui Præfecturam obiret. Extant etiam libri ejus Epiſtolarum XVI. MSS. in Bibliotheca S. *Marci* Florentina. Obiit Conſtantiæ anno MCCCCXC. & à *Poggio*, *Paulo Iovio*, *Raphaele Volaterrano*, & *Iacobo Philippo Bergomate* celebratur. Circa finem Sæculi XV. claruit *Wernerus Relewink de Laer*, natione Weſtphalus, Ordinis Carthuſianorum Monachus in Cęnobio Sanctæ *Barbaræ* Colonienſi, qui, præter varia Opera, edidit *Faſciculum Temporum*, omnium Antiquorum Chronica complectentem, & per ſex Ætates digeſtum, ab Orbe condito ad ſua uſque tempora, hoc eſt, uſque ad annum MCCCCLXXX. Huic *Werneri* Faſciculo temporum, ſeu Chronico Appendicem adjecit *Joannes Linturius* Hoffienſis in Voitlandia Paſtor; & continuavit ad annum uſque MDXIV. De hoc Carthuſiano Scriptore plura legeſis apud *Arnoldum Boſtium* libro *De Viris Illuſtribus Carthuſianis* cap. ultimo, & *Ioannem Trithemium* tam in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum*, quàm in libro *De Viris Illuſtribus Germaniæ*. Clariſſimis hiſce Monachis, quos hactenùs laudavimus, quique Sæculo decimo quinto de Hiſtoria ſcripſerunt, haùd immeritò addi debent duo alii Ordinis Ciſtercienſis Monachi, *Ioannes Brando*, & *Bonifacius Simoneta*, qui eodem Sæculo magnum ſibi nomen

fecerunt. Primus, natione Belga, & in Cœnobio Dunenſi Monachus, ſcripſit Hiſtoriarum Volumen triplex, quod *Chronodomon* appellavit, ab Orbe condito ad annum milleſimum quadringenteſimum decimum quartum, quodque *Ægidius à Roya* in compendium redegit, & ad annos octodecim continuavit. Alter, ſeu *Bonifacius Simoneta*, gente Italus, patriâ Mediolanenſis, & Abbas Monaſterii S. *Stephani de Cornu* in regione Placentina, ſcripſit ad *Carolum VIII.* Galliæ Regem, *Commentarios de Perſecutionibus Chriſtianis, & Pontificum Hiſtoria à S. Petro uſque ad Innocentium VIII.* Prodiit Opus iſtud Mediolani anno MCCCCXCII. & Baſileæ anno MDIX. Alios Monachos, qui Sæculo decimo quinto pietate inſignes, libros aſceticos, ſeu morales, vel Commentaria in Scripturam ſacram, vel Sermones de Sanctis ediderunt, ſi hìc inſerere vellem, vix in tanta rerum dicendarum copia finem poſſet invenire oratio. Sufficiet itaque duos eo in genere ſcribendi peritos proferre Monachos, qui agmen claudent nobilium Scriptorum, quos eodem Sæculo protulit Monaſticus Ordo. Primus eſt, *Henricus de Haſſia*, natione Germanus, Ordinis Carthuſiani Profeſſor, qui *Regulas ad diſcernendum peccatum mortale à veniali*, & librum *De Contractibus & Ordine Cenſuum* compoſuit. Inter Aſceticos Scriptores locum etiam idem Author habere debet, ob *Speculum animæ*, & librum *De Diſcretione Spirituum*: inter Scripturæ ſac. Interpretes pariter commendandus ob Commentaria in Geneſim, & Exodum, in Proverbia, in Apocalypſim: inter Scholaſticos ſimilitèr annumerandus ob Magiſtri Sententiarum libros egregiis Commentariis illu-

illuſtratos. Obiit anno mccccxxviii. eumque celebrant *Trithemius*, *Petrus Sutor*, *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, & alii. Alter Scriptor Monachus eſt *Ioannes Raulinus*, patriâ Tullenſis, ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Ordinis Cluniacenſis eximius Concionator, qui *Sermones Quadrageſimales*: *De Adventu Domini*: *De Feſtivitatibus Sanctorum totius anni*: *De Euchariſtia*: *Itinerarium Paradiſi*, ſeu *Sermones de Pœnitentia*, & alia id genus concinnavit Opuſcula. In vivis eſſe deſiit Lutetiæ, in Cluniacenſi Collegio anno mdxiv. ætatis ſuæ lxxi. Sed de illuſtrioribus Monachis Scriptotibus hactenùs ſatis. Nunc ampliſſimam Ordo FF. Prædicatorum dicendi ſuppeditat materiem, cui, ut S. *Hieronymi* verbis utar, *Homerus*, *Demoſthenes*, *Tullius* ſuccumberent, aut inviderent. Ex eo quippè ſacro Ordine prodierunt Sæculo decimo quinto doctiſſimi Scriptores, Fidei pugiles fortiſſimi, Eccleſiæ Athletæ invictiſſimi, ſanæ doctrinæ vindices, quorum libri ſplendent eloquentiâ, ardent pietate, & zelo; reconditamque in omni ſcientiarum genere continent doctrinam, adeò ut poſſint gloriari cum Apoſtolo *Paulo*, ſe plus omnibus laboraſſe, & etiam profeciſſe, ſeu Infidelium ad fidem converſione, ſeu victoriis de hæreſi antiquâ & recenti reportatis, ſeu fidelium ad pietatem progreſſu, ſive denique ſingularibus in Summos Pontifices, in Eccleſiam Catholicam, & in omnes Chriſtianos promeritis, quibus totum, quà latè patet, Orbem impleverunt. De celeberrimis itaque Ordinis FF. Prædicatorum Scriptoribus in præſentia dicturus, eos in primis laudabo, qui Sæculo XV. inſignes Theologi fuerunt. Dein, illuſtrio-

ſtriores Concionatores, vel qui de Rebus Aſceticis ſcripſerunt; tertio loco, clariores Scripturæ Sacræ Interpretes, poſtremò, Hiſtoricos, & Theologiæ Moralis Doctores, ſeu Caſuitas. Brevitèr autem de illis Scriptoribus diſſeram, tum quia in tam latè patenti campo longiùs excurrere non patiuntur temporis anguſtiæ; tum quia, ut jam te alibi præmonui, doctiſſimus noſter *Jacobus Echardus* hanc provinciam in ſe recepit, & Bibliothecam Scriptorum Ordinis FF. Prædicatorum improbo labore aggreſſus, eam tùm Notis Criticis & Hiſtoricis, tùm præclaris undecunquè adjumentis, quæ locupletiſſimæ Pariſiorum Urbis Bibliothecæ, & privata Muſea ei ſuppeditarunt, ſic omnibus numeris perfectam & abſolutam Pariſiis nuperrimè in lucem emiſit, ut nulli dubium ſit, quin virorùm eruditorum voto atque expectationi abundè ſit factura ſatis.

D. Agedùm, incipiamus à doctiſſimis illis Theologis, quos Sæculo XV. dedit Eccleſiæ Ordo Fratrum Prædicatorum.

M. Ordo FF. Prædicatorum innumeros penè Sæculo XV. protulit Theologos, quos inter, ut brevitati conſulam, ſex potiſſimùm ſeligam omni exceptione majores, videlicet *Joannem De Turrecremata*, *Joannem De Monte-Nigro*, *Joannem De Raguſio*, *Andream Rhodium*, *Henricum Kalteiſen*, *Joannem Nider*, quorum patriam, præclarè geſta, ac doctiſſima ab illis edita Opera paucis hìc referemus. In primis, *Joannes de Turrecremata*, natione Hiſpanus, Theologiæ, & Pontificii juris periτiſſimus, tantâ conſtantiâ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem in Concilio Baſileenſi propugnavit, ut

à

à *Pio II.* Pontifice Maximo *Defenſoris Fidei* glorioſiſſimum nomen promeritus ſit, & ob egregiam, quam in prædicto Concilio errores Huſſitarum confutando, Eccleſiæ navavit operam, ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo Cardinalis Tituli S. *Sixti* creatus, poſteà Sabinenſis Epiſcopus fuerit renunciatus. Eâ Cardinalitiâ dignitate auctus *Joannes de Turrecremata*, nihil omninò immutavit de priſtino, quem antehàc in Ordine Prædicatorum tenuerat, vitæ Religioſæ curſu. Suſpiciebant omnes hujus Cardinalis virtutes non honore imminutas, ſed purpurâ ornatas magis & auctas, modeſtiam ſingularem, parcimoniam, frugalitatem, Regularem diſciplinam, nobilem rerum caducarum contemptum, ſummam in pauperes charitatem, quibus erogabat quidquid ſibi eripiebat, & eam ob rem inſtituit in Eccleſia S. *Mariæ* ſuper *Minervam* Sodalitatem B. *Mariæ* Virginis Annunciatæ, ut puellarum Romanarum inopiæ ſimul & caſtitati conſuleret, ſicut in proximo Colloquio oſtendemus. Verùm, tot virtutibus palmam præripuit ardentiſſimus Eccleſiæ amor, quo ſic flagrabat doctiſſimus ille Cardinalis, ut nihil magis diligeret, quàm ejus ſplendorem; nihil majori æſtu defenderet, quàm ejus auctoritatem; nihil magis in votis haberet, quàm ejus membrorum ſanctitatem; nihil acriùs inſectaretur, quàm Hæreticorum errores. In omnibus de Fide negotiis, quæ in Concilio Baſileenſi habita ſunt, ſeu de Bohemis ad gremium Eccleſiæ revocandis, ſeu etiam de reformatione, quæ in ea Synodo potiſſimùm agebantur Capita, maximè claruit, & pro Sedis Apoſtolicæ dignitate ſtrenuè laboravit. *Eugenium IV.* Pontifi-

cem Maximum conſtantèr adversùs quorumdam impetus propugnavit, interfuit Concilio Generali Florentino, ubi fidem Eccleſiæ Romanę de materia formâque Sacramenti Euchariſtiæ Græcis luculenter expoſuit, quam & hi ſe amplecti profeſſi ſunt. *Alphonſum Toſtatum*, qui dicebatur *ſtupor mundi*, impugnavit coram *Eugenio IV.* qui anno MCCCCXLIII. Senis aderat, eumque, ut quaſdam à ſe propugnatas propoſitiones explicaret, coëgit. A plurimis egregiis Scriptoribus laudatur *Joannes Turrecremata*, præſertim ab *Onuphrio Panvino*, *Ciaconio*, *Oldoino*, *Ughello* Tomo I. *Italiæ Sacræ*, ut interim omittam *Trithemium*, *Poſſevinum*, *Miræum*, *Bellarminum*, & alios Auctores Familiæ Dominicanæ alumnos, qui Scriptorum Ordinis Prædicatorum Bibliothecas, aut Catalogos adornarunt. Scripſit *Joannes Turrecremata* Volumina IV. in *Gratiani* Decretum: *Summam de Eccleſia* in IV. libros tributam: *Apparatum* in Definitionem Fidei à Concilio Florentino editam, aliaque perdocta Opera, quorum Catalogum texunt *Antonius*, & *Sixtus* Senenſes, cæterique alii, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis diſſeruerunt. Obiit Romæ præſtantiſſimus ille Cardinalis octogenarius eximiâ vitæ ſanctitate conſpicuus die XXVI. menſis Septembris anni MCCCCLXVIII. atque in Cœnobio S. *Mariæ* ſuper *Minervam*, Ordinis Prædicatorum ſepultus eſt. Alter Dominicanus, ſeu *Joannes De Monte-Nigro*, natione fuit Italus, Provincialis Lombardiæ, Theologus nulli ſecundus, & Linguarum Orientalium adeò peritus, ut à Patribus Concilii Generalis Florentini unà cum *Juliano* Cardinali delectus ſit ad diſputandum nomine

Eccle-

Eccleſiæ Latinæ contra Græcos Schiſmaticos, præſertim contra *Marcum* Metropolitam Epheſinum, qui in prædicto Concilio Græcorum errores magno animi æſtu propugnavit. In hac porrò Diſputatione *Joannes De Monte-Nigro* de Proceſſionibus divinarum Perſonarum, maximè de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio per communem & unicam ſimul Patris & Filii ſpirationem, de ſignificatione vocum *Naturæ, Eſſentiæ, ſubſtantiæ, ſubſiſtentiæ*, & *Hypoſtaſis*, ſummâ ingenii & doctrinæ vi diſſeruit. Pari etiam eruditionis fulgore & animi vehementiâ apertè demonſtravit, Patres Græcos, præcipuè *Baſilium*, & *Epiphanium*, diſertè aſſerere, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque prodire, & veterum Græcorum Codicum corruptionem ipſis Græcis poſt conflatum Schiſma acceptam referri debere, non verò Latinis, ſicut injuſtè calumniabantur Græci. Uno verbo, tam ſolidè juxtà ac dilucidè J*oannes De Monte-Nigro* confutavit quæcumque *Marcus*, vel oppoſuerat, vel reſponderat, ut ille Metropolita Epheſinus, quamvis Linguâ promptus & procax, ad incitas tandem redactus, nihil planè hiſcere, aut muſſitare potuerit. Hujus *Joannis De Monte-Nigro* cum laude meminere cùm domeſtici Ordinis Prædicatorum Scriptores, tum extranei, præſertim *Leo Allatius* Exercitatione VI. contra *Chreygtonii* Præfationem ad *Syropuli*, Scriptoris Græci, Hiſtoriam Concilii Ferrarienſis, ubi dùm de J*oanne Raguſino* Ordinis Prædicatorum Procuratore Generali, de quo mox dicturi ſumus, deluſum *Chreygtonium* optimè arguit, quem ibi cum *Joanne Dominici* Cardinali Raguſino, *Gregorii XII.* in Concilio Con-

Conſtantienſi Legato, & cum *Joanne Turrecremata*, tres diſtinctos omninò homines, in unum conflans, imperitè confundit, ipſe tamen *Allatius*, vir cæteroquì doctiſſimus, in ſimilem impingit ſcopulum, & *Joannem de Monte-Nigro*, qui erat Provincialis Lombardiæ cum *Joanne Raguſino*, Ordinis Prædicatorum Procuratore Generali, conjungit & unicum facit, qui tamen & variis muneribus functi ſunt, & ex diſſitis regionibus orti. *Joannes* quippe *De Monte-Nigro*, Provincialis Lombardiæ, Italus & Etruſcus erat; *Joannes* verò *Raguſinus*, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, natione Dalmata erat. Unde facilè intelligitur, eos fuiſſe Scriptores penitùs diverſos. Non minus in confutandis Huſſitarum erroribus emicuit in Concilio Baſileenſi zelus *Joannis De Raguſio*, natione Dalmatæ, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctoris Theologi, & Ordinis FF. Prædicatorum Procuratoris Generalis. Hic quippè totis octo diebus unus cum Huſſitis, ſpectante Concilio Baſileenſi, & ſedentibus Patribus, manus conſeruit, & in eodem Concilio Orationem habuit contra Bohemorum errorem *De Communione ſub utraque ſpecie*, apud *Henricum Caniſium* Tomo III. *Lectionis Antiquæ*, & in Appendice Concilii Baſileenſis editam. Hunc *Joannem Raguſinum* perperàm nonnulli confundunt cum *Joanne Dominici*, S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo Raguſino, Ord. Prædicatorum, qui tempore Schiſmatis *Angelo à Corario* nomine *Gregorii XII.* Schiſmatico Pontifici, à quo fuerat Cardinalis creatus, perſuaſit ut ad Eccleſiæ pacem cederet Pontificatui, & novi Pontificis aſſentiretur electioni, quique ad Concilium

cilium Conſtantienſe profeſtus, nomine ipſius *Gregorii XII.* ceſſit Pontificatui, & ipſe Cardinalitiæ dignitati; cùmque aſſurgens ibat ſeſſum inter Archiepiſcopos, Imperator, omneſque Concilii Conſtantienſis Patres obſtitere, & ob ſua præclara in Eccleſiam merita juſſerunt, ut honore ſuo frueretur, collaturi hanc dignitatem, niſi priùs obtinuiſſet. Ab hoc, inquam *Joanne Dominici* Cardinali Archiepiſcopo Raguſino planè diverſus eſt mox laudatus *Joannes Raguſinus*, quamvis uterque fuerit Familiæ Dominicanæ alumnus. In Concilio Generali Florentino ad promovendam Eccleſiæ Græcæ cum Latina unionem plurimùm allaboravit *Andreas Rhodius*, Ordinis Prædicatorum, ob eximias animi dotes ad Archiepiſcopatum Rhodium, dictum etiam Coloſſenſem, in Phrygia provectus. Ille ſiquidem Græcæ Linguæ, Græcorumque Dogmatum peritiſſimus, inter Patres Concilii primùm Ferrariæ coacti, poſt Florentiam tranſlati, ſingulariter enituit, & cum noſtro jam citato *Ioanne De Monte-Nigro* Latinæ Fidei ſinceram puritatem contra Græcorum, illam oppugnantium, conatus ſtrenuè defendit, effecitque, ut magnus *Beſſario*, Græcus, qui poſteà inter Cardinales S. E. R. relatus, eximium extitit Eccleſiæ Latinæ ornamentum, ejurato Schiſmate, in Latinorum partes tranſierit, hiſque indivulsè ſemper adhæſerit. Perſtitit Florentiæ *Andreas* Rhodius Archiepiſcopus, uſquequò Armeni, Jacobitæ, ſubjectæque ipſis Orientis Eccleſiæ ad concordiam cum Eccleſia Romana redierunt, fidemque Catholicam integram amplexæ ſunt. Tum verò à Summo Pontifice in Cyprum Inſulam miſ-

ſus

ſus eſt, qui rem omninò perficeret, & devios adhùc ac diſſidentes Græcos ad communionem Eccleſiæ Romanæ reduceret,quod ſtrenuè & egregiè confecit. Sed præclarè ab eo geſta fuſiùs narrat ipſemet *Eugenius IV.* Pontifex Maximus in Diplomate dato Romæ anno MCCCCXLV. VII. Nonas Auguſti, Pontificatus ſui XV. ubi ſic habet: *Sanè poſt celebratam in Oecumenico Concilio Florentino Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali unionem, poſt Armenorum, Jacobitarum, & Meſopotamiæ populorum reductionem, Venerabilem Fratrem noſtrum Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem* (qui idem eſt ac Archiepiſcopus Rhodius, cùm Urbs ipſa *Rhodus* etiam appelletur Colloſſus ex illo celebri Coloſſo aliàs ibidem erecto, indèque Rhodii nominentur itidem Coloſſenſes) *ad partes Orientis & Cypri inſulam deſtinavimus, ut & Græcos, & Armenos & Iacobitas ibidem degentes prædicationibus ſuis, & Decretorum pro eorum unione ac reductione editorum expoſitionibus & declarationibus in ſuſcepta fide confirmaret, & quos ex aliis ſectis à vera doctrina alienos tam Neſtorii, quàm Macarii ſectatores inveniret, monitionibus & exhortationibus noſtris ad fidem reducere conaretur. Quod pro ſua ſapientia aliiſque virtutibus, quibus eum largitor gratiarum dominus inſignivit, diligentiſſimè proſecutus, poſt diverſas multiplicesque diſputationes, poſt varios tractatus, eliminata tandem ex eorum cordibus primùm omnium Neſtorii impietate &c. deinde Macarii Antiocheni impiiſſimi &c. Timotheum Metropolitam Chaldæorum, quos ad hæc uſque tempora Neſtorianos in Cypro vocaverunt, & Eliam Epiſcopum Maronitarum cum ſua Natione Macarii Dogmatibus in eodem Regno infectum*

cum

cum omnium multitudine populorum & Clericorum in inſula Cypri ei ſubjecta, ad veritatem fidei Orthodoxæ, divino ſibi aſſiſtente Numine convertit, &c. Cætera legeſis apud *Odoricum Raynaldum*, qui iſtud Diploma *Eugenii IV.* Pontificis Maximi integrum exhibet ad annum MCCCCXLV. Num. XXI. In Concilio Baſileenſi maximam laudem promeriti ſunt *Henricus Kalteiſen*, & *Joannes Niger*, quorum primus natione Germanus, Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, Fidei apud Colonienſes Quæſitor, & Nidroſienſis & Cæſarienſis Archiepiſcopus, triduanam diſputationem contra Hæreticos Huſſitas in Concilio Baſileenſi habuit, obiitque Kalendis Octobris anni MCCCCLXV. Alter verò, ſeu *Ioannes Nider*, FF. Prædicatorum Conventus Baſileenſis tum temporis Prior, à Concilio Baſileenſi Legatus miſſus eſt, ut deliniret Bohemorum animos, qui *Joannis Hus*, & *Hieronymi à Praga* damnatione ac vivicomburio exaſperati, ad prædictum Concilium accedere detrectabant; quos ferocientes tantâ eloquentiæ ac prudentiæ vi compeſcuit, ut honorificentiſſimam quingentorum hominum ad Concilium Legationem eis perſuaſerit. Regularis Diſciplinæ in Germania conſervandæ ac propagandæ perquàm ſtudioſus fuit, & animarum ſaluti ingenti cum fructu proſpexit. Theologiam Viennæ in Auſtria, & in aliis Germaniæ Urbibus magno cum auditorum concurſu docuit, ac tandem multis virtutibus clarus exceſſit è vivis Norimbergæ anno MCCCCXXXVIII. Sex illis primi ſubſellii Ordinis Prædicatorum Theologis, duos dumtaxat adjiciam ejuſdem Ordinis celeberrimos Theologos, quorum primus eſt *Joannes Capreolus*, natio-

natione Gallus, & Oppido Ratinenſi Toloſanæ Diœceſeos oriundus, interfuit Concilio Baſileenſi, & in eo Summi Pontificis *Eugenii IV.* partes adversùs turbulentas pacem Eccleſiæ perturbantium molitiones impavido animo defendit. In Academia Toloſana Theologiam maximâ cum ſui nominis famâ, & Auditorum applauſu profeſſus eſt, ediditque doctiſſimos Commentarios in IV. libros Sententiarum, in quibus, cùm S. *Thomæ Aquinatis* doctrinæ, quam apprimè callebat, acerrimum ſe vindicem præbeat, glorioſum *Principis Thomiſtarum* nomen jure optimo adeptus eſt. Alter Theologus inſignis Ordinis Prædicatorum fuit *Bartholomæus Lapacius*, natione Italus, & Florentiæ nobili loco natus anno Chriſti MCCCXCIX. Adoleſcens litteris humanioribus Græcis & Latinis inſtructus, in Cœnobio S. Mariæ Novellæ Florentiæ Ordinis Prædicatorum religioſum habitum induit, ſicque ſtudiis Philoſophicis & Theologicis operam navavit, & Sanctorum Patrum cùm Græcorum, tùm Latinorum lectioni incubuit, ut poſteà Eccleſię non parùm laboranti, ob exortum *Eugenium IV.* Pontificem Maximum inter & Baſileenſes diſſidium, plurimùm profuerit. Interfuit Concilio Florentino, in quo contra Græcos Schiſmaticos ſtrenuè diſputavit, & ab *Eugenio IV.* creatus eſt Epiſcopus Coronenſis, quo titulo S. *Antoninus* æqualis illum ornat ad annum MCCCCXLV. in Chronico part. III. Titul. XXII. cap. XI. ſub initium: ubi hæc habet: *Ille tamen* (Marcus) *Epheſinus acerrimus diſputator permanens in perfidia ſua, cum aliis ad veritatem fidei reverti noluit. Verùm, ad patriam rediens, cùm Cardinalis Venetus deſtinatus legatus*

in

in regionem illam, Conſtantinopoli moram traheret, & in ejus ſocietate eſſet Venerabilis Epiſcopus Coronenſis D. Bartholomæus de Florentia, Sacræ Theologiæ Profeſſor egregius, & Græci Idiomatis non ignarus, placuit eidem Imperatori Græcorum (videlicet Ioanni Palæologo) & proceribus ejus, ut fieret publica concertatio inter Epiſcopum Epheſinum præfatum & Coronenſem Epiſcopum jam fama ibi celebrem. Quo facto Epheſinus præfatus iterùm ab eo ſuperatus & confuſus eſt, & tanta ab eo abſorptus eſt triſtitia, ut intra paucos dies expiraverit cum ſua perfidia. Quandiù autem *Bartholomęus Lapacius* adminiſtraverit Eccleſiam Coronenſem, ad quam ſcilicet ab *Eugenio IV.* promotus fuerat, ut in Peloponeſo commoratus Gręcos in unione à Concilio Florentino pactâ retineret, vel etiam adhuc renitentes ad eam ſuâ eruditione ac facundiâ adduceret, non omninò liquet. Probabilius eſt, captâ ſemel à *Mahomete II.* Conſtantinopoli anno MCCCCLIII. & Corone cum aliis Peloponeſi Urbibus ſub Turcarum Imperio redactâ, *Bartholomæum Lapacium* in Italiam fuiſſe reverſum, maximè cùm certum ſit, eum Vitæ ſuæ ultimos annos Florentiæ apud ſuos Fratres Dominicanos in Conventu S. Mariæ Novellæ egiſſe, Eccleſiæ S. *Romuli* in eadem Civitate ſibi commendatæ ſuſcepto cenſu & titulo:quo etiam tempore *Pio II.* Pontifici Maximo anno MCCCCLVIII. electo fuit acceptiſſimus, ab eoque aliquandiù Florentiæ commorante ſæpiùs & cum ſingulari voluptate pro concione auditus eſt.Obiit Florentiæ *Bartholomæus Lapacius* anno MCCCCLXVI. & ſepultus eſt in Eccleſia S.Mariæ Novellæ, Ord. FF. Prædicatorum.

D.

D. Cùm Familiæ Dominicanæ Alumni, juſſu Pontificio, *FF.Prædicatores* eo potiſſimùm nomine appellentur, quòd frequentes ad populum conciones habere, & promovendæ Fidelium ſaluti toti incumbere debeant, nullus dubito, quin Sæculo XV. benè multi ex ſacro illo Ordine prodierint ferventiſſimi Concionatores, qui pietatem Chriſtianam, frequentiam Sacramentorum, cultum divinum in populo auxerunt, libroſque ſpirituales ad animarum converſionem, ad progreſſum in omni genere virtutum ſcripſerunt. De his itaque, qui in Arte concionandi eâ ætate celebriores fuerunt, pauca hìc inſerere neceſſe eſt.

M. Id honoris Dominicanis tribuunt multi Scriptores, quòd primi fuerint, qui, Auctore ſuo Patriarcha S. *Dominico*, Religioſos ac Cœnobitas è clauſtris & ſolitudinibus evocarunt ad celebritatem urbium, ut proximorum ſaluti vacarent, & contemplationi actionem adjungerent, unde meritò illis Prædicatorum nomen adhæſit, & ne cuipiam operam ſuam negarent, quos non poterant verbo inſtruere, libris Aſceticis, ſeu ſpiritualibus docuerunt. Inter illos unus inſtar omnium Sæculo XV. effulſit S. *Vincentius Ferrerius*, ſuæ ætatis Apoſtolus ac Thaumaturgus inſignis, natione Hiſpanus, patriâ Valentinus. Concionatoris munus, vocante Chriſto, aggreſſus, conciones ſuas non humanæ floſculis eloquentiæ, non ſubtilibus quibuſdam cogitatis aſpergebat, ſed ex unico Scripturæ divinæ libro, quem aſſiduè pervolvebat, & ex piis meditationibus ſalutaria hauriebat documenta, quibus divinam planè Sermonibus ſuis eloquentiam conciliabat, eoſque non

non minùs ſtupendis, quàm innumeris prodigiis confirmabat. Extremi judicii terrorem frequentiſſimè denuncians, peccatores ad pœnitentiam provocabat, ardentiſſimo in Deum amore flagrans, eodem inflammabat hominum corda, & Prophetiæ dono illuſtratus futura multa prædixit, cordiumque abditiſſima arcana introſpiciens, quæ quiſque tacitus in pectore gerebat, actutùm ipſe penetrabat. His divinis præſidiis adjutus, Doctrinæ ſuæ, prædicationis, & miraculorum theatrum habuit ampliſſimum, Hiſpanias, Gallias, Italiam, & Britannicarum Inſularum partem. Centum millia Chriſtianorum ad meliorem frugem, octo millia Saracenorum à Mahometana ſuperſtitione, & viginti quinque millia Iudæorum à pertinacia ad Chriſtianam fidem traxit. Quantâ porrò authoritate in Eccleſia, & apud Reges polleret *Vincentius Ferrerius*, ex tribus potiſſimùm capitibus facilè dignoſci poteſt. Primò, quia de Regno Caſtellæ diſſidentium Principum conſenſu ſequeſter ipſe conſtitutus, uni contendentium Regnum Aragoniæ adjudicavit, ejuſque ſententiæ cæteri aſſenſerunt. Secundò, quia *Vincentius Ferrerius*, perſpectâ ſemel *Benedicti XIII.* pſeudo-Pontificis pertinaciâ, rejectiſq; Epiſcopalibus & Cardinalitiis infulis ſibi ab eo oblatis, Author fuit *Ferdinando* Aragoniæ Regi, & *Alphonſo*, ejus filio, ut *Benedicti XIII.* obedientiam ejurarent, atq; ab eodem ſeceſſionem ſuis ſubditis imperarent; quod, nullâ interpoſitâ morâ, piiſſimi Principes executioni mandarunt. Tertiò, quia ſingulari honore, cultuque *Vincentium Ferrerium* proſecuta eſt Synodus Conſtantienſis, miſſis Legatis, qui ejus nomine rogarent,

ut ad hanc Synodum veniret. Obiit *Vincentius Ferrerius* Veneti in Britannia Minori anno MCCCCXIX. & à *Caliſto III.* quem futurum Pontificem prænunciaverat, Sanctorum Faſtis adſcriptus eſt die XXIX. Junii anni MCCCCLV. Scripſit Sanctus *Vincentius Ferrerius* Tractatum *de Vita Spirituali*, Tractatum *conſolatorium in Fidei tentationibus*: Tractatum *de Fine Mundi*: varias ad diverſos Epiſtolas, & alia Opera, quæ partim edita ſunt, partim adhuc MSS. in Bibliothecis adſervantur. Circumferuntur Sancti *Vincentii Ferrerii Conciones de Tempore, & de Sanctis* tribus Voluminibus comprehenſæ, quas tamen, ut editæ ſunt, ipſius eſſe, ægrè adducor ut credam, maximè cùm in his concionibus citetur interdùm, non ſine aliqua honoris præfatione S. *Vincentius Ferrerius*, quod certè non ſapit ſummam illius Sancti modeſtiam. Addo etiam multas in his Concionibus offendi minutias, quæ ob levitatem, ſublimi Sancti *Vincentii Ferrerii* ingenio parùm digna dignoſcuntur. Verùm, cùm noſter *Sixtus Senenſis* in ſuâ Scriptorum Ordinis Prædicatorum Bibliotheca tres Tomos Sermonum Sancto *Vincentio Ferrerio* attribuat his verbis: *Vincentius Valentinus ex Ordine Prædicatorum declamator ſuo tempore omnium celeberrimus, ſcripſit in Lectiones Evangelicas, quæ per ſingulos anni dies in Eccleſia leguntur, Sermonum Tomos tres, qui inter Sermonarios Scholaſticos primas habent*, non in eam velim deſcendere Sententiam quorumdam Criticorum, qui omnes illos Sermones Sancto *Vincentio Ferrerio* abjudicant, ſed potiùs ſtandum eſſe cenſeo judicio noſtri *Seraphini Thomæ Miguel*, Valentini, qui in Vita Sancti *Vincentii* *Fer-*

Ferrerii noviſſimè à ſe editâ, aſſerit, hos omnes Sermones non manu Sancti *Vincentii Ferrerii*, ſed Auditorum, qui ex ore dicentis reportarunt, fuiſſe ſcriptos, adeòque mirum non eſſe, quòd in his interdùm non ſine aliqua honoris præfatione laudetur *Vincentius Ferrerius*, & nonnulla minus limatè & accuratè ſcripta inveniantur. Vitam Sancti Vincentii ſcripſit *Petrus Ranzanus*, Panormitanus, Ordinis Prædicatorum, poſteà Lucerinus Epiſcopus, quam *Henſchenius*, & *Papebrochius* ex MS. Codice ediderunt in Actis Sanctorum ad diem v. Aprilis. *Gabrielem Barletam*, Natione Apulum, Ordinis Prædicatorum inſignem Theologum, & alios nonnullos ejuſdem Ordinis, inter eximios Sæculi XV. Concionatores refert & laudat noſter *Ambroſius Altamura* in ſua *Bibliotheca Dominicana*, quos tamen ipſe ſilentio hìc omninò prætermittam, quia, ut candidè fatear, in his, quæ nunc extant *Gabrielis Barletæ*, & aliorum hujuſmodi Concionibus, paſſim inveniuntur nugæ, ineptiæ, facetiæ, inconditi ſales, novi conceptus ex Scriptura, ex SS. Patribus contra apertam illorum mentem, ſumma vi & obtorto collo tracti, qui tamen concionandi modus condonari debet illius Sæculi ruditati, quod his ſimilia admittebat in Concionatoribus, etiam tunc temporis clariſſimis. Verùm, hanc, quæ in concionibus Sæculi XV. invaluerat, barbariem & infantiam, felicitèr Sæculo ſequenti, ſeu XVI. ab Eccleſia depulerunt viri Ordinis FF. Prædicatorum graviſſimi & eloquentiſſimi, *Ludovicus Granatenſis*, *Franciſcus Forerius*, & *Joannes Baptiſta Lanuza*, qui Artis rectè concionandi Regulas præſcripſerunt, &

Sanctorum Patrum gravitatem & eloquentiam revocarunt, quos nunc hi, qui in Eccleſia celebriores Concionatores audiunt, ſequi & imitari gloriantur. Addo etiam, ejuſmodi conciones,quæ nunc ſub nomine *Gabrielis Barletæ* editæ circumferuntur, vel fuiſſe interpolatas, vitiatas & adulteratas, vel ab eo nunquam fuiſſe lucubratas. Sic enim de *Gabriele Barleta*, concionibuſque ſub ejus nomine editis æqualis ei, aut ſaltem ſuppar *Leander* aſſerit in Deſcriptione Italiæ Regum, Editionis Italæ pag. 200. Latinæ verò *Kiliandri* pag.370. ubi loquens de Barulo oppido, vernaculè *Barleta*, in quo putat ortum habuiſſe, indeque cognomen traxiſſe *Gabrielem Barletam*, hæc habet: *Nomen hujus oppidi per univerſam Italiam Gabriel Ordinis Prædicatorum eruditus atque diſertus homo valdè illuſtravit, qui noſtris temporibus diu cum immenſo animarum fructu Sacra docuit. Editæ ſunt typis conciones aliquot illi inſcriptæ, quibus eo viro certè nihil poteſt eſſe indignius: nam ab imperito quodam mihi tum juveni noto fabricatæ ſunt, qui ut decorem Operi ineptiſſimo quæreret, falſum Gabrielis nomen prætexuit. Sunt in iis multa, quæ longè honeſtius omitti, quàm ſcribi debebant, ut, qui leget optimè cognoſcere poterit. Hæc recentiorum Concionatorum gratia commemorare volui, quò non ſine judicio verſandum in iis intelligant, ne quas continet ineptias & offendicula ipſi præferentes indocti ac rudes habeantur.* Hæc *Leander*, Ordinis Prædicatorum accuratiſſimus Hiſtoricus,comperta ſibique certa refert, quæ ſi Theophylus *Raynaudus* ſub Petri à Valleclauſa nomine latens,eique ſimiles tantiſper attendere voluiſſent, *Gabrielem Barletam* non ita forte

forte dehoneſtaſſent. His Concionatoribus Ordinis Prædicatorum quatuor adjungam ejuſdem Ordinis Authores, qui de rebus Aſceticis, ſeu de Vita Spirituali ſcripſerunt, & tuta, vera, ac viciniora ſaluti docuerunt. Primus eſt *Petrus Auratus*, natione Gallus, qui Author eſt Libri Gallicè ſcripti, cui titulus eſt: *Scintillæ Divini Amoris*, à quo ſi ſemoveas verba jam temporis diuturnitate antiquata, nihil ardentiùs ad inflammandos igne divini amoris animos legi poteſt. Alter Scriptor, eſt *Alanus de Rupe*, qui edidit *Pſalterii Mariani compendium*, librum *de Miraculis S. Roſarii* &c. tertius eſt *Michael Franciſcus*, natione Gallo Flander, patriâ Inſulenſis, Roſarii Beatiſſimæ Virginis cultor ac propagator, cui hæc tribuuntur Opera: *Quodlibeticæ Deciſiones de* VII. *Doloribus Beatæ Mariæ Matris Dei*: *quodlibeticæ Deciſiones De Confraternitate Sanctiſſimi Roſarii Beatæ Mariæ*: *Confraternitas Dolorum Beatæ Mariæ*: *Clavis Cellarii divinæ & humanæ Sapientiæ*: *De Abuſibus Aulicorum*, ſeu *de vanitate ſequentium Curiam*, qui liber, teſte *Miræo* cap. 8. *De Scriptoribus Eccl. Sæculi XVI.* extat MS. apud FF. Prædicatores Inſulenſes, Commentarium etiam in Antiphonam *Salve Regina* compoſuit idem Author. Poſtremus eſt *Leonardus Matthæi*, vulgò *de Utino* cognominatus, eò quòd Utini, quæ Civitas eſt perantiqua ditionis Venetæ, in Ducatu Forolivienſi, & ab anno MCCXXII. Patriarchæ Aquilejenſis Sedes, natus ſit, & ibidem Ordini Prædicatorum nomen dederit. Inſignis fuit Concionator totâque celebris Italiâ, qui & Florentiæ coram *Eugenio IV.* plurimas habuit anno MCCCCXXXV. & coram Aula

Romana conciones; Venetiis quoque & Utini pluribus annis magno populorum plauſu & fructu prædicavit, ergà doctrinam S. Thomæ maximè affectus, cujus Scita Sermonibus ſuis ut fundamenta ponit, iis ſuperſtruens, & æque intellectum docens ac movens affectum. Ejus cum laude meminerunt hi, qui de viris illuſtribus Ord. Prædicatorum ſcripſerunt, quos inter *Leander* eum appellat Virum excellentiſſimæ doctrinæ & ornatiſſimæ vitæ, ac circa annum MCCCCLVIII. florentem. Hìc de *Hieronymi Savanarola* Ordinis Prædicatorum Patriâ, vitâ, moribus, geſtis, obitu, & operibus latè diſſerere animus erat, ſed habitâ deinceps, ut prudentiæ lex exigit, præſentis temporis ratione, conſultiùs duxi omninò tacere, donec opportuniori loco & tempore quid de *Hieronymo Savanarola*, ejuſque Operibus ſentiam, ore & calamo candidè profiteri valeam. De illo itaque Ordinis Prædicatorum Scriptore nunc tempori ſerviens penitùs ſilebo, quia ejuſdem artis eſt aptè tacere & aptè dicere, ſive, ut ait ſapientiſſimus poſt homines natos *Salomon* cap. III. Libri Eccleſiaſtis: *Omnia tempus habent*, & eſt *tempus tacendi & tempus loquendi*. Sed de Concionatoribus Ordinis Prædicatorum, ſicut & de aliis Vitæ Aſceticæ Scriptoribus, plura legeſis apud noſtrum *Ambroſium de Altamura* in *Bibliotheca Dominicana*, & apud illos, qui datâ operâ diſſerunt *de Viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum*.

D. Alios Sæculi decimi quinti celebriores Ordinis FF. Prædicatorum Scriptores tùm Hiſtoricos, tùm Scripturæ Sacræ, vel Theologiæ Moralis Interpretes breviter percurrere debemus

mus, ne in his plus juſtò immorando, nobis ſat temporis non ſuppetat ad differendum de cæteris Viris Illuſtribus, qui eodem Sæculo in aliis Religioſis Ordinibus ſumma cum laude floruerunt.

M. Inter Dominicanos Sæculi XV. Hiſtoricos Scriptores locum habere debent *Petrus Ranzanus*, *Joannes Annius Viterbienſis*, & S. *Antoninus*, Archiepiſcopus Florentinus. Primus, ſeu *Petrus Ranzanus*, Panormitanus, præter *Vitam Sancti Vincentii Ferrerii*, edidit *Annalium Libros* LXI. de omnium ferè Gentium Rebus, ex quibus nunc ſupereſt dumtaxat ultimus, qui extat inter Hungaricarum Rerum Scriptores, & dividitur in Indiculos XXXVI. Quæ enim ſequuntur, non *Petri Ranzani* ſunt, ſed *Sambuci*. Definit quippè *Ranzanus* in bello inter *Matthiam Corvinum* Hungariæ Regem, & *Fridericum III.* Imperatorem. Liberalibus propè omnibus diſciplinis claruit *Petrus Ranzanus*. Erat quippè Orator & Rhetor eximius atque Poeta, Hiſtoriæ peritiâ & Sacræ doctrinâ Theologiæ præſtantiſſimus. A *Sixto IV.* Pontifice Maximo anno MCCCCLXXVIII. Lucerinus Epiſcopus promotus Eccleſiam ſuam eximiè ornavit, multis affecit, ditavitque pretioſis ornamentis, Sacriſque veſtibus, organis atque donariis. Cleri ſui, gregiſque mores ad Sacrorum Canonum regulam induxit, egenorum ſublevavit inopiam, omnibuſque curæ ſuæ ſubjectis paſtor & pater amantiſſimus cariſſimuſque ad obitum fuit, ac meritis & ætate gravis ex hac mortali luce ad æternam piiſſimè convolavit anno MCCCCXCII. Multa poſteris Scriptorum monu-

menta reliquit, quæ à Viris eruditis impensè laudantur. Alterum, quem laudavi, Hiſtoricum Scriptorem, *Ioannem Annium*, natione Italum, patriâ Viterbienſem, & ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, nonnulli impensè laudant, tanquàm acerrimi judicii Cenſorem, Hiſtoriarum omnium, quotquot ſint, vel fuerint, exactiſſimâ cognitione celeberrimum, Antiquarium præſtantiſſimum, vetuſtiſſimarum omnium rerum ſagaciſſimum indagatorem, & inventorem admirabilem, ejuſque in *Beroſum* Babylonium, *Metaſthenem*, ſeu potiùs *Megaſthenem* Perſam, *Manethonem* Ægyptium, *Philonem* Judæum, alioſque multos antiquiſſimæ vetuſtatis Hiſtoricos Commentaria magnis præconiis efferunt. Verùm, ipſe candidè fatebor, noſtrum *Ioannem Annium* fuiſſe quidem eximium Theologum, peritum Hiſtoricum, Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicæ, & Arabicè eruditum, in Scriptura ſacra verſatiſſimum, ut probant Commentaria, quæ ſcripſit in Pſalterium & in Apocalypſim, eum tamen deceptum fuiſſe, ac plures in errorem abduxiſſe, dùm commentitia Antiquorum, quos mox laudavi, Scriptorum, aliorumque ejuſdem farinæ Authorum Opera, quæ bonâ fide, ſed inaccurato examine, autumavit, vera ac ſincera eſſe, Commentariis illuſtravit, prælo commiſit, publicâque luce donavit. De his fictitiis à *Ioanne Annio* editis antiquis Authoribus legeſis accuratam Cenſuram *Volaterrani* libro XIV. Anthropologiæ, *Ludovici Vives*, lib. V. De tradendis Diſciplinis, *Melchioris Cani* lib. XI. De locis Theologicis cap. VI. *Antonii Auguſti* Antiquitatum Dialogo XI. *Benedicti Pererii* in Daniel-

lem,

lem, *Antonii Poſſevini* libro XVI. ſelectæ Bibliothecæ Sectione IV. Id autem ſedulò obſervare debes, quià multi poſteriores Scriptores, *Ioannes Driedo*, *Nauclerus*, *Valerius*, *Ioannes Lucidus*, *Michael Medina*, *Sixtus Senenſis*, & alii ignorantes *Ioannem Annium* fuiſſe deceptum, & ipſi decepti ſunt, impoſueruntque illis, oculatis licet, Authores illi ficti Anniani ementito nomine prodeuntes. Cæterùm, ſeſe parùm veritatis ſtudioſum Cenſorem præbet *Theophilus Raynaldus*, Scriptorum Dominicanorum acerrimus inſectator, dùm in eo, quem ſcripturivit, libro *De Immunitatibus Cyriacorum* perfrictâ fronte aſſerere audet, *Ioannem Annium* non modò deceptum, ſed deceptorem, falſarium, & impoſtorem fuiſſe, eumque de induſtria hæc ſuppoſititia antiquorum Scriptorum Opera in lucem emiſiſſe, ut & alios ipſe deciperet, quod unum ſcelus falſariorum eſt & interpolatorum. Certè, *Ioannem Annium* nullus, quod ſciam, ante *Theophilum Raynaldum*, falſarii nomine ſuſpectum habuit, quamvis non negent viri eruditi, eum deceptum fuiſſe, quod nemini mirum videri debet, cùm necdùm eâ ætate vigeret Critices Diſciplinæ ſtudium ad genuina Scriptorum Opera à ſpuriis & adulterinis ſecernenda omninò neceſſarium. Obiit *Ioannes Annius* ſub Pontificatu *Alexandri VI.* & in Eccleſia S. *Mariæ* ſuper *Minervam* ſepultus eſt. Inter Scriptores Hiſtoricos ſibi nomen peperit S. *Antoninus*, Archiepiſcopus Florentinus, quippè qui *Summam Hiſtorialem*, ſeu *Chronicon Tripartitum* edidit, cujus Archetypon Florentiæ in Conventu Sancti *Marci*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, aſſervatur. Prima

ma Pars hujus Chronici res geſtas ab Orbe condito uſque ad *Silveſtrum I.* Pontificem Maximum, & *Conſtantinum Magnum* Imperatorem. Altera indè uſque ad *Innocentium III.* Summum Pontificem, ideſt, ad annum uſque MCXCIX. Tertia exin uſque ad *Pium II.* Romanum Pontificem, & *Fridericum III.* Imperatorem, hoc eſt, ad ann. MCCCCLVIII. complectitur. Nec ſolùm inter Hiſtoricos, ſed etiam inter Theologiæ Moralis Interpretes annumerari debet Sanctiſſimus ille Antiſtes, cùm *Summam Doctrinalem* quatuor in partes diſtributam compoſuerit, quæ tutiſſimam ſalutis viam docet, & ad benè informandos Fidelium mores, dirimendoſque Conſcientiæ Caſus ſaluberrima ſuppeditat documenta, quæ omnibus animarum Rectoribus prorsùs neceſſaria ſunt. Scripſit etiam Sanctus *Antoninus* librum *De eruditione Confeſſorum*: Tractatum *De Cenſuris Eccleſiaſticis*, *De Sponſalibus & Matrimoniis*, & alios tam editos, quàm ineditos, quos refert noſter *Altamura* in Bibliotheca Dominicana pag. 183. Familiam Dominicanam, in quam ſedecennis fuerat cooptatus, tanto affectu colebat S. *Antoninus*, ut ad Florentinum Archiepiſcopatum ab *Eugenio IV.* promotus, multis rationibus, precibus, & lacrymis, hoc onus angelicis humeris formidandum, deprecatus fuerit, nec acquieverit, niſi imperio ejuſdem Summi Pontificis, additis graviorum Cenſurarum minis, ſi parêre detrectaret. Paruit quidem *Antoninus*, ſed ut amiſſæ ſolitudinis ſe aliquâ ſpe, aut cogitatione recrearet, non ſolùm veſtem ſui Ordinis, mores, ritus, diſciplinamque regularem ad ſummos juris apices ſervavit, ſed etiam clavem came-

ræ,

ræ, quam in Cœnobio habuerat, ſecum ſemper geſtabat, quaſi libertatis aliquandò reſtituendæ pignus. Hinc Magnatum Florentinorum conatibus pro juribus Eccleſiæ invicto animo obſiſtenti, cùm extrema quæque mala impii minarentur, extractâ ſuæ cellæ, quam ſecum habebat, clave, reſpondit: *invitus Præſulatum adivi, ſed pro illius tuendis juribus mortem oppetere non formido, ſed nec ſperare auſim, martyrio indignus: ſi redire ad monaſterium, prioremque ſtatum, hoc gravi onere depoſito, per vos mihi conceſſum fuerit, immortali me vobis beneficio devincietis*. Longior eſſem, ſi ſingulas virtutes planè Heroicas, quibus in Epiſcopatu præfulſit, ſummam in Deum pietatem, effuſiſſimam ergà pauperes charitatem, miram modeſtiam, paupertatem maximam, in reſtauranda diſciplina, & extirpandis vitiis aſſiduam vigilantiam hìc deſcribere vellem, ſufficiet ſi dixerim, *Antoninum*, etiam dùm adhuc viveret, tantam de ſe excitaſſe ſanctimoniæ opinionem, ut *Nicolaus V.* Pontifex Maximus de eo dicere ſoleret; *Antoninum* non minus vivum, quàm *Bernardinum Senenſem* mortuum, in Sanctorum album referri meruiſſe. Obiit Sanctus *Antoninus* Florentiæ anno MCCCCLIX. ætatis ſuæ LXX. eique in Eccleſia Sancti *Marci* ſepulto *Pius II.* Pontifex Maximus, qui tùm temporis Florentiæ aderat, magnifica juſta perſolvit, ingenti concurſu populi, mortem ſui optimi Paſtoris deflentis, cohoneſtata. Tandem multis in vita & poſt mortem miraculis clarus *Antoninus*, Sanctorum Faſtis ab *Hadriano VI.* Pontifice Maximo, anno MDXXIII. ſolemni ritu adſcriptus eſt, eumque jam de ſe benè meritum

Ci-

Civitas Florentina ſibi patronum in Cœlis adſcivit, cujus præſentiſſimum præſidium ſæpiùs, in publicis præſertim calamitatibus, feliciter experta eſt.

Hic prætermittere haud poſſum tres alios Sæculi decimi quinti Scriptores Ordinis Prædicatorum, quorum duo, videlicèt *Iacobus Sprengerus*, *& Henricus Inſtitor*, natione Germani, communibus ſtudiis ediderunt *Malleum Maleficarum*, contra Lamias, ſeu Stryges, quibus Germania Sæculo XV. erat infeſtata. Scripſit etiam *Henricus Inſtitor* librum *de Auctoritate Papæ contra Monarchiam Antonii Roſelli*, Juriſconſulti Patavini, & alia Opera. Tertius verò Scriptor, eſt *Thomas Anglicus*, patriâ Galenſis, qui multos in Scripturam ſacram lucubravit Commentarios, Sancto *Thomæ Aquinati* adſcriptos Librariorum incuriâ, qui, ut obſervat *Sixtus Senenſis* libro IV. Bibliothecæ, ex *Thoma Anglico*, *Thomam Angelicum* fecerunt. Extant etiam, teſte *Sixto Senenſi*, alii ejuſdem *Thomæ Anglici* Commentarii MSS. in Scripturam ſacram, qui in Bibliotheca SS. *Joannis & Pauli*, Venetiis aſſervantur. Sed de Clariſſimis Scriptoribus, qui Sæculo XV. in Ordine Fratrum Prædicatorum floruerunt, ſatis hactenùs, ſervatâ juſtâ Colloquiorum noſtrorum brevitate, diximus, relictâ pleniori meſſe doctiſſimo noſtro *Jacobo Echard*, qui novam & locupletiſſimam Bibliothecam (quæ tamen ad manus meas necdùm pervenit) Scriptorum Ordinis FF. Prædicatorum adornavit, typiſque Pariſienſibus excuſam nuperrimè publici juris fecit, in qua fuſiori calamo aget de omnium Scriptorum Ordinis FF. Præ-

dicatorum ortu, patriâ, natione, genere,ingenio profeſſione, doctrinâ, officiis, fortunâ, morte &c. varias de illorum Operibus tàm editis, quàm ineditis incredibili labore, quo Authores, antehàc incognitos, è tenebris erutos publicam in lucem revocavit, nec mediocri doctrinæ apparatu inſtituet Diſſertationes, ſicque Opus ſuum novis acceſſionibus, & Obſervationibus Hiſtoricis, Criticis, & Chronologicis illuſtrabit, ut nullus dubitem, quin cæteris omnibus, qui Virorum Illuſtrium Ordinis FF. Prædicatorum Bibliothecas, aut Catalogos concinnarunt, palmam longè ſit prærepturus. Hæc igitur, quæ ipſe brevitati conſulens, ex infinitis paucula ſelegi, jejuna licet & arida, æqui bonique conſulas velim, donec ſitim tuam lectione hujus, quam mox commendavi, accuratiſſimæ Bibliothecæ, ad ſatietatem uſque explere valeas.

D. Præclaris, ut video, ornamentis abundat Familia Dominicana, quæ tot illuſtres peperit viros cæteris aliis doctiſſimis Scriptoribus haud inferiores, ſive ſpectem Theologorum peritiam, & multitudinem librorum, quos de rebus Theologicis ediderunt, ſive animum referam ad Concionatorum eloquentiam, ad Polemicorum Controverſias, ad ſingularem Interpretum in Scripturam ſacram eruditionem, ad uberrimam Theologiæ moralis doctrinam; ſive denique expendam exoticarum Linguarum, maximè Hebraicę & Gręcæ notitiam, atque librorum ſpiritualium copiam ac præſtantiam. Sed age nunc, &, miſsâ omni cunctatione, profer in medium nobiliores Scriptores, qui Sæculo XV. in aliis Religioſorum

Men-

Mendicantium Ordinibus doctrinâ & pietate inclaruerunt.

M. Tres in primis Concionatores eximiâ pietate ac doctrinâ celebres tulit Sæculo decimo quinto Ordo FF. Minorum, quos inter primas tenet S. *Bernardinus*, dictus *Senenſis* à Patre Senenſi, & à frequenti Senarum Urbis incolatu, quamvis in *Maſſana* Etruriæ civitate natus eſſet. Totam Italiam ſummâ nominis ſui famâ & maximo concurſu populi, quem ad ſingularem *Nominis Jeſu* venerationem in ſuis ferventiſſimis concionibus excitare ſolitus erat, peragravit, cùmque S. *Vincentius Ferrerius*, Ordinis Prædicatorum, per Europam Apoſtolus, Italiæ fines ingreſſus eſſet, ſtatim indè in alias regiones diſceſſit in reverentiam S. *Bernardini*, cui hanc Orbis Chriſtiani partem longè nobiliſſimam illuſtrandam reliquit. Ad concionem S. *Vincentii Ferrerii* acceſſit quâdam die S. *Bernardinus*, ei facie, & fortè etiam nomine ignotus, & confertæ multitudini ſeſe immiſcuit. Subſtitit *Vincentius*, quaſi aliud cogitans, & ſubindè hæc verba protulit Prophetico ſpiritu abreptus: *Adeſt huic Concioni junior quidam S. Patris Franciſci filius digniſſimus; eum oportet creſcere, me autem minui, & feſtinatis honoribus ante me eum Eccleſia colet, cui jubet me Deus loco cedere, & Italiam relinquere, illius exemplis, inſtitutis, & concionibus excolendam.* Quibus verbis *Vincentius* deſignabat *Bernardinum*, ſui Sæculi & Italiæ Apoſtolum, qui obiit Aquilæ in Veſtinis an. MCCCCLIV. die XX. Maji ætatis LXIII. & à *Nicolao V.* Pontifice Maximo inter Sanctos anno MCCCCL. adſcriptus eſt, ante S. *Vincentium Ferrerium*, qui dumtaxàt à *Callixto III.*

xto III. ſucceſſore *Nicolai V.* in Sanctorũ Catalogum relatus eſt. Vitam S. *Bernardini Senenſis*, & Geſta latiſſimè proſequitur *Wadinghus* in Annalibus Fratrum Minorum Tomis IV. & V. Edidit, præter Sermones, alios Tractatus Morales & Aſceticos, quos recenſet idem *Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. S. *Bernardini Senenſis* diſcipulus fuit S. *Joannes Capiſtranus*, ſivè à *Capiſtrano* Brutiorum oppido, Regularis Obſervantiæ in Ordine FF. Minorum, cui nomen dederat, promotor, & concionator ferventiſſimus. Hæreticos Fraticellos, Huſſitas, Adamitas auctoritate repreſſit, plurimos ad Catholicam fidem convertit. *Amuratem*, Turcarum Imperatorem, *Albam Græcam*, vulgò dictam *Bellegrade*, munitiſſimam in Hungaria Arcem, obſidentem, collectâ Cruce-Signatorum & ruſticorum copiâ, cum magna Turcarum ſtrage ignominiosè depulit, turpique fugâ profligavit. Eo etiam agente, Crucis Inſigne plerique ſumpſerunt, & ad ſacrum bellum nomina profeſſi, prælia cum Turcis per id tempus ſecundo marte obierunt. Obiit Willaci in Diœceſi Quinqueccleſienſi die III. Octobris anni MCCCCLVI. ætatis LXXI. A *Gregorio XV.* Pontifice Maximo inter Beatos adſcriptus eſt, & ab *Alexandro VIII.* Kalendis Novembris anni MDCXC. in Sanctorum album relatus. Plura reliquit ingenii ſui monumenta, videlicet *De electione Papæ*: *De dignitate Eccleſiæ*: *De auctoritate Papæ & Concilii*: *De Matrimonio*: *De Excommunicatione*: *De Uſuris, Contractibus, & Reſtitutionibus*: *De Confeſſione facienda proprio Sacerdoti*: *De Canone pœnitentiali*: *Speculum Conſcientiæ*: *Tractatum de Fidei veritate adverſus Rokiſanam*

ſanam, Hæreticum Huſſitam, & alia Opera ſivè edita, ſivè adhùc inedita, quorum Indiculum exhibent *Poſſevinus* in Apparatu ſacro, *Bellarminus* in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & præſertim *Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. Sancto *Joanni Capiſtrano* coævus fuit *Nicolaus Auximanus*, gente Italus, patriâ Picenus, Ordinis Minorum Sodalis, & Sancto Bernardino *Senenſi* familiaris. Scripſit ille vir doctus juxta ac pius *Summam Caſuum Conſcientiæ*: *Supplementum ad Summam Piſanellam*: *Interrogatorium Confeſſorum*, & alia nonnulla Opera inedita, quæ refert *Lucas Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. His tribus Ordinis Minorum Concionatoribus, doctrinâ & pietate conſpicuis alios ejuſdem Ordinis ſeptem Scriptores adjungam, qui Sæculo decimo quinto de Rebus Aſceticis, vel de Doctrina Morali libros ediderunt. Primus eſt *Harphius*, ſeu *Herpius*, ex Pago de *Erp* in Brabantia oriundus, qui, præter Sermones, *Theologiam Myſticam cùm ſpeculativam, tùm affectivam*, alioſque Tractatus Aſceticos lucubravit, quorum Catalogum exhibet *Wadinghus* in Bibliotheca Ordinis Minorum. Obiit in Conventu Mechlinienſi Ordinis Minorum anno MCCCCLXXVI. Alter Scriptor, eſt *Baptiſta Salvis*, ſive *De Salis*, Ligur, qui ſcripſit *Summam Caſuum Conſcientiæ*, quæ ab Authore ſuum ſortita nomen, vulgò *Baptiſtiana* appellatur. Florebat in Ordine Minorum anno (1) MCCCCXCIV. Tertius Scriptor, eſt *Baptiſta Trovamalis*, natione Italus, qui *Summam Caſuum Conſcientiæ* pariter edidit, quam *Roſellam* vocant. Quartus Scriptor, eſt *Angelus à Clavaſio*, Liguriæ op-

(1) Batista Trovamala di Sale - Tortona

oppido, vir non minus pietate, quàm doctrinâ inſignis, & Author *Summæ Caſuum Conſcientiæ*, quæ *Angelica* nuncupatur. Edidit quoque idem *Angelus à Clavaſio* Tractatum *De Reſtitutionibus*, & alterum inſcriptum: *Arca Fidei*. Obiit Cunii in Cœnobio Sanctę Marię deAngelis anno MCCCCXCV. Quintus Scriptor nuncupatur *Pacificus*, Novarienſis,& eſt Author *Summæ Caſuum Conſcientiæ*,quæ ab eo dicta eſt *Pacifica*. Claruit in Ordine Minorum anno circiter MCCCCLXX. Sextus Scriptor, eſt *Bernardinus de Buſtis*, patriâ Mediolanenſis, qui *Mariale*, ſeu Sermones de Beata Virgine *Maria*, ejuſque excellentiis, non ſolùm per ſingulas ejus feſtivitates, verùm etiam per omnia totius anni Sabbata compoſuit. Author eſt etiam *Quadrageſimalis*, & *Roſarii Sermonum per Quadrageſimam*, *cunctoſque totius anni tam Dominicales, quàm feſtos dies, necnon de unaquaque materia prædicabili*. Poſtremus Scriptor, eſt *Franciſcus Ximenius*, natione Hiſpanus, patriâ Catalaunenſis, quem, ut in ſuperiori Colloquio obſervavimus, *Petrus de Luna*, dictus in ſua Obedientia *Benedictus XIII.* in Concilio Perpiniano à ſe anno MCCCCVIII. indicto creavit Patriarcham Hieroſolymitanum. Scripſit Librum *de Natura Angelica*: Tractatum *De Scala Dei*: *Paſtorale pro inſtructione Epiſcoporum & Superiorum*: Libros quatuor *De Vita Chriſtiana*. Præter hæc Opera, quæ in Hiſpania ſub finem XV. Sæculi typis edita ſunt, alia quamplurima, quæ linguâ patriâ conſcripſit, in Bibliotheca Cœnobii Sanctæ *Mariæ de Jeſu* propè Barcinonem MSS. adhùc aſſervari teſtatur *Lucas Wadingbus* in Libro *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 140. Alios

Ordinis FF. Minorum Scriptores, qui de Theologia Scholaſtica, vel *de Formalitatibus Scoti* Sæculo XV. ſcripſerunt, aut Commentarios in IV. Libros Sententiarum ediderunt, de quibus diſſerit *Lucas Wadinghus*, lubens hìc, ne in immenſum diffundar, ſilentio prætermittam. At præterire haud poſſum S. *Catharinam*, dictam *Bononienſem*, quòd è Civitate Bononiæ in Italia eſſet oriunda, quæque ſub Regula Sancti *Franciſci* in Ordine S. *Claræ* Deo ſerviens, librum ſcripſit *De ſibi revelatis à Domino*, qui Bononiæ prodiit in lucem anno MDXI. apud *Platonem Benedictum*, deindè ab Hæredibus *Hieronymi Benedicti* anno MDXXXVI. denique Venetiis anno MDLXXXIII. Teſtatur *Caſimirus Oudinus* in *Supplemento de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, hunc librum, propriâ manu Sanctæ *Catharinæ Bononienſis* ſcriptum, extare apud Sanctimoniales *Corporis Chriſti*, quæ ſunt in eadem Urbe, ubi ipſa Abbatiſſa fuit. Inter Sanctas Virgines *Catharinam Bononienſem* anno MDCCXII. ſolemni ritu adſcripſit *Clemens XI.* Pontifex Maximus, qui nunc univerſæ Eccleſiæ clavum feliciter moderatur.

D. Nihil Hactenùs dixiſti de Scriptoribus, qui Sæculo XV. prodierunt ex Ordinibus Eremitarum Sancti *Auguſtini*, & Carmelitarum, qui tamen, ut opinor, in confutandis Hæreſibus, & in conſcribendis doctiſſimis lucubrationibus egregiam eo Sæculo Eccleſiæ operam navarunt.

M. Duos hìc præ cæteris laudabo dumtaxàt illuſtres Ordinis Eremitarum Sancti *Auguſtini* Scriptores, videlicet *Jacobum Magnum*, &

Ioan-

Joannem Capgravium, quorum primus natione Hiſpanus, Patriâ Toletanus, inſigni Sacræ Scripturæ peritiâ, & jugi veterum Theologorum lectione egregium ſibi nomen apud viros eruditos comparavit. Claruit ſub initium Sæculi decimi quinti, & Archiepiſcopatum Burdigalenſem ſibi à *Carolo VII.* Galliarum Rege oblatum pertinaci modeſtiâ ſuſcipere detrectavit. Opus inſigne ſcripſit *De Sermone & Inquiſitione Divinæ Sapientiæ*, cui *Sophologium* indidit nomen, in decem libros diſtributum, quod ex Veterum Philoſophorum, Poetarum, atque Oratorum Scriptis ab ipſo concinnatum eſſe prodit ipſe in Operis Præfatione. Alia Opera ab eodem Scriptore elucubrata fuiſſe teſtatur *Joſephus Pamphilus* in Chronico Ordinis Eremitarum Sancti *Auguſtini*. Obiit *Jacobus Magnus* Lutetiæ Pariſiorum, & apud Auguſtinianos ſepultus eſt. Alter Scriptor, ſeu *Joannes Capgravius*, gente Anglus, patriâ Cantianus, inter Theologos ſui ævi Anglos principem locum tenuit. *Catalogum* ſcripſit, ſeu *Legendam Sanctorum Angliæ*, quæ typis excuſa eſt Londini anno MDXVI. Alia etiam quamplurima partim Hiſtorica, partim Theologica Opera edidit, quorum Catalogum ſatis amplum texit *Baleus* in libro *Illuſtrium Scriptorum Majoris Britanniæ* Centuriâ VII. Cap.I. & ex eo *Pitſeus* in libro *De illuſtribus Scriptoribus Angliæ*, ac *Joſephus Pamphilus* in Chronico Ordinis Eremitarum Sancti *Auguſtini* pag.83. Incertum eſt, quo anno obierit. Eum mortuum eſſe in Anglia anno MCCCCLXIV. affirmant *Baleus*, & *Joſephus Pamphilus*. Alii verò cum *Pitſeo*, *Voſſio*, & *Miræo* ejus mortem referunt

ad annum MCCCCLXXXIV. Adverte hìc obiter, me conſultò inter illuſtres Sæculi XV. Scriptores Ordinis Eremitarum Sancti *Auguſtini* non annumerare *Auguſtinum De Roma*, & *Antonium Rampelogum*, viros alioqui hujus Sæculi doctiſſimos, & ejuſdem Ordinis Profeſſores. Ratio hujus eſt, quia *Auguſtini De Roma* libros, tanquàm erroneam continentes doctrinam proſcripſit Concilium Baſileenſe Seſſione XXII. eoſque inter libros prohibitos, teſte *Bellarmino* in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in Indice Romano Summi Pontifices repoſuerunt. Similiter, eumdem honorem non detuli *Antonio Rampelogo*, quia hic Author, licet Concilio Baſileenſi interfuerit, & contra Hæreticos Huſſitas diſputaverit, edidit tamen librum, cui titulus eſt: *Bibliorum Figuræ*, qui liber, teſte *Caſimiro Oudino* in Supplemento *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, fuit à *Clemente VIII.* Pontifice Maximo prohibitus, & extat in *Indice Romano Librorum prohibitorum* donec fuerit expurgatus. Obſervat etiam idem *Caſimirus Oudinus*, multos errores graves ab Eccleſia confixos eo in libro comperiri, & ex illo expungenda eſſe nonnulla deſumpta ex Magiſtro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, abſurda illa quidem, ac potiùs fabulas, quàm Hiſtorias olentia; plura itidem ex eo tollenda, quæ alitèr in Bibliis habentur, quàm *Rampelogus* poſuit: quin & Scripturam Sacram parùm ſincerè, & nonnunquam malè in eo libro citari, Apocrypha quoque, qualia efferebantur è tertio libro *Eſdræ*, atque ex Epiſtolis Sancti *Cyrilli Hieroſolymitani* ad Sanctum Auguſtinum de morte Sancti *Hieronymi*. Quæ omnia, inquit Caſimirus Oudinus

nus, *quæ certè ſunt plurima, aut emendanda, vel expungenda ſunt, ne quis tyro Concionator, poſthæc ampliùs tanquàm certa & explorata populo proponat.*

Quod ſpectat Ordinem Carmelitarum, Myriadem proferre poſſem Scriptorum hujus Ordinis, qui Sæculo XV. in Anglia præſertim floruerunt, de quibus latè diſſerunt *Baleus* in libro *Illuſtrium Scriptorum Majoris Britanniæ*, & *Pitſeus* in libro *De Illuſtribus Angliæ Scriptoribus*. Verùm, de his omnibus impræſentiarum agere cùm nec operis noſtri ſit, nec otii; his referendis ſuperſedebo, & unum tantummodò Ordinis Fratrum *Beatæ Mariæ de Monte Carmelo* Scriptorem, qui aliorum omnium facilè Princeps eſt, producam in medium, *Thomam* videlicet *Vvaldenſem*, natione Anglum, ex vico Vvalden ortum, qui Regibus Angliæ gratiſſimus fuit, utpotè ab *Henrico IV.* ad Concilium Piſanum pro tollendo Schiſmate, ab *Henrico V.* ad Concilium Conſtantienſe ad debellandam Huſſitarum Hæreſim Legatus miſſus, & *Henrico VI.* à Secretis & Confeſſionibus fuit. Innumera penè ſcripſit, è quibus unicum typis excuſum habetur Opus inſcriptum: *Doctrinale Antiquæ Fidei contra Vvicleffiſtas & Huſſitas*, quod in tres Tomos diſtributum eſt, ac *Martino V.* Pontifici Maximo nuncupatum. In primo Tomo de Deo, de Chriſto, Petro, Eccleſia, & Religioſis; in Secundo de Sacramentis; in tertio de Sacramentalibus agit. Hoc Opus plurimùm arriſit *Martino V.* qui illud Apoſtolicis litteris commendavit his verbis: *Placuit primò nobis Opus, quod edideras contra Huſſitas Hæreticos; Teque fuimus*

hortati, ut id quod reſtabat in materia de Sacramentis, ſimili perficeres ſtudio & diligentia, quod te feciſſe gaudemus, & tuum ſtudium utile & ſalutare Eccleſiæ commendamus &c. Alia *Thomæ Vvaldenſis* Opera recenſet Joannes. *Baleus* in libro *Illuſtrium Scriptorum Majoris Britanniæ* Centuriâ VII. cap. 84.

D. Nihil igitur, ut video, tibi supereſt dicendum de Scriptoribus, qui ſtatum vel Monachalem, vel Regularem Sæculo XV. amplexi, doctrinâ & pietate Eccleſiam illuſtrarunt.

M. Mane tantiſpèr. Superſunt adhuc tres eximii Scriptores Regulares, quos, utpotè Clericos, ſeu Canonicos Regulares Ordinis Sancti *Auguſtini*, ad Claſſes Illuſtrium Scriptorum Monachorum, & Religioſorum Ordinum Mendicantium revocare minimè potui. Hi porrò ſunt *Laurentius Juſtinianus*, *Thomas à Kempis*, & *Gabriel Biel.* Primus, ſeu *Laurentius Juſtinianus*, patriâ Venetus, dignitate Patricius, Canonicus fuit Regularis Ordinis Sancti *Auguſtini* Congregationis Sancti *Georgii* in Alga, & poſt triginta annos in Regulari vita exactos, Venetiarum Epiſcopus ab *Eugenio IV.* invitus licèt, conſtitutus eſt, ac deindè Patriarchali titulo ac dignitate anno MCCCCL. à *Nicolao V.* donatus, Patriarchæ honorem ac jura primus Epiſcopis Venetiarum Urbis patriæ ſuæ intulit. Complura Aſcetica Opera, & Spiritus Sancti unctione perfuſa ſcripſit, ſive ante ſuſceptas Epiſcopales infulas, ſive poſt adeptum Præſulatum, & Patriarchatum, quæ omnia prodierunt Baſileæ anno MDLX. Lugduni anno MDLXVIII. Venetiis anno MDCVI. Obiit *Laurentius Juſtinianus*

nus

nus die VIII. Januarii anni MCCCCLV. ætatis ſuæ LXXIV. & à *Clemente VII.* Pontifice maximo anno MDXXIV. in Sanctorum album relatus eſt ob præclaras, quibus in terris fulſit, virtutes, quas inter potiſſimùm eminebant germana & infucata in Deum pietas, prodiga in pauperes Charitas, ſumma humilitas, maximus Religionis zelus, & alia præſtantiſſima Dei dona, quæ legi poſſunt in ejus Vita, quam *Bernardus Juſtinianus*, illius nepos, eleganti ſtylo deſcripſit. Sancti *Laurentii Juſtiniani* Vitæ Sanctimoniam, modumque de Rebus Aſceticis ſcribendi planè imitatus eſt *Thomas à Kempis*, ſive *à Campis*, modico in Diœceſi Colonienſi oppido ad Rhenum oriundus, undè illi cognomen adhæſit, quamvis *Hemerchin*, hoc eſt, *Malleolus*, nomine familiæ appellaretur. Ordinem Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Congregationis Vvindeſimenſis in Monaſterio, quod in Monte S. *Agnetis*, Virginis & Martyris, propè Swollenſem civitatem in Diœceſi Ultrajectenſi ſitum eſt, profeſſus, eâ vixit innocentiæ, & Sanctitatis opinione, ut plurimi ejus videndi & audiendi gratiâ, è remotioribus etiam locis, certatim ad eum confluerent. Sermo illi omnis de Deo & Sacra Scriptura erat. Nunquàm otioſus, ſemper vel lectitabat aliquid, vel in communem uſum ſcribebat, vel pro inſtructione Fratrum commentabatur. Nihil in Myſtica Theologia adeò abſtruſum latebat, cujus perfectam intelligentiam divino colluſtratus lumine non eſſet aſſecutus. Scripſit *Chronicon Monaſterii Sanctæ Agnetis*: *Sermones XXX. ad Novitios Regulares*; *Sermones IX. ad Fratres*: *Utiliſſi-*

 mas

mas Conciones & Meditationes, *ſeu Orationes de Paſſione Domini*, *numero XXXVI. Soliloquia Animæ: Tractatus de Diſciplina Clauſtralium: De Fideli Diſpenſatore: De tribus Tabernaculis: De Elevatione mentis ad inquirendum ſummum Bonum: Spiritualia Exercitia Religioſorum*, alioſque Tractatus Aſceticos, & *Vitas quorumdam Piorum*, ſcilicèt *Gerardi Magni*, & Diſcipulorum, primorum Fratrum Vitę communis. Non deſunt etiam periti Critici, qui *Thomæ à Kempis*, ceu vero ac legitimo Authori, aſſerunt ac vindicant utiliſſimum, in tota Eccleſia ſummo omnium conſenſu receptum & frequentatum, atque in omnes penè linguas converſum *De Imitatione Chriſti* Opuſculum, quod tam efficaciter ad amorem Dei, & ad terrenarum rerum contemptum movet corda legentium, ut jure merito dici poſſit, ejus Authorem, inſtar alterius *Promethei*, cœleſtem ignem rapuiſſe, ad corda noſtra divino amore, & Chriſtianæ perfectionis ardenti cupiditate inflammanda. Sed, ut cordatè fatear, de Authore aurei iſtius libri *De Imitatione Chriſti* acerrimè inter ſe etiamnùm digladiantur Scriptores, & eruditi Critici. Alii hunc librum tribuunt *Joanni Geſſen*, ſeu *Gerſen*, Benedictino, Abbati Vercellenſi. Alii eum adjudicant *Thomæ à Kempis*, Canonico Regulari. Alii denique volunt, eum eſſe genuinum fœtum *Ioannis Gerſonii*, Facultatis Pariſienſis Cancellarii. Quò fit, ut in tanta ſententiarum diſcrepantia de Authore libri *De Imitatione Chriſti* nihil certi affirmari poſſit, ut clariùs conſtabit ex his, quæ in proximo Colloquio de eadem Controverſia inter PP. Benedictinos & Canonicos Regulares poſtremis hiſce temporibus

poribus ventilatâ dicturi ſumus. Obiit *Thomas a Kempis* anno MCCCCLXXI. ætatis ſuæ nonageſimo ſecundo, ejuſque corpus, ut narrat *Papebrochius* in *Conatu Chronologico ad Catalogum Romanorum Pontificum*, non ſine prodigiis repertum eſt die XIII. Auguſti anni MDCLXXXII. Canonicorum Regularium Ordinem, præter illos duos, quos mox memoravi, eximios Scriptores Aſceticos, haud parùm Sæculo XV. ſingulari doctrinâ illuſtravit *Gabriel Biel*, natione Helvetus, aut, ut alii volunt, Spirenſis, Theologiæ Doctor, & in Academia Tubingenſi Profeſſor publicus, ab *Eberardo* Comite Witembergenſi, qui Academiam iſtam anno MCCCCLXXVII. fundavit, evocatus, ut Theologiam & Philoſophiam accepto ſtipendio edoceret. Hanc Cathedram Tubingenſem per plures annos magno cum honore rexit, ediditque doctiſſima *in quatuor ſententiarum libros Commentaria*: *Sermones De Tempore, De Deipara, & De Sanctis per totum annum*: *Tractatum De Monetarum poteſtate ſimul & utilitate*, & alia quædam Opuſcula. Nonnulli Scriptores tribuunt eidem *Gabrieli Bielo* Expoſitionem Canonis Miſſæ, quæ tamen, ut probabiliùs cenſent periti Critici, reverà parentem habet *Eggelingum* Brunſuicenſem, paucis à *Bielo* omiſſis, nonnullis additis aut mutatis, quod quidem ipſe in calce Operis ingenuè profitetur. Obiit *Gabriel Biel* anno MCCCCXCV. non verò, ut quidam ajunt, anno MDXX.

D. Pervenimus tandèm ad ultimam Illuſtrium Sæculi XV. Scriptorum Claſſem, in qua locum habent periti Juriſconſulti, ſeu hi, qui Jus tàm Civile, quàm Canonicum, & Pontificium doctiſſi-

ctiſſimis commentariis enuclearunt, à quibus nos breviter expedire debemus, ut præſenti Colloquio, ne longiùs excurrat, finem imponamus.

M. Iuriſconſultorum, qui Sæculo XV. excelluerunt, agmen ducet *Petrus De Ancharano*, ſic dictus ab *Ancharano* Farneſiorum Caſtello, ubi natus eſt. *Baldum*, inſignem Iuriſconſultum, Magiſtrum habuit, & Ius Pontificium magna cum ſui nominis famâ Patavii, & Bononiæ docuit. Collegium pauperum ſtudioſorum Bononiæ inſtituit, quod ejus nomen etiamnùm retinet. Obiit circà annum MCCCCXV. Sepultus Bononiæ in Eccleſia FF. Prædicatorum, & Epitaphio cohoneſtatus, quo prædicatur tanquam *Canonis ſpeculum Civilis & Anchora juris*. Egregios Commentarios reliquit in *Decretales*, *Sextum*, & *Clementinas*. Petro De Ancharano coævus fuit, & doctrinâ perindè inſignis *Antonius De Butrio*, Bononienſis, qui ſcripſit in *Decretales*, & *Clementinas*, item *Conſilia*, & *duo Repertoria*, unum in Iure Canonico, alterum in jure Civili. Obiit anno MCCCCVIII. Iiſdem penè temporibus floruit *Franciſcus De Zabarellis*, qui ex Sabadinorum Bononienſium ſtirpe natus Patavii, ibidem Ius Canonicum interpretatus eſt, atque inter ſui temporis profeſſores maximè enituit, & ob divini humanique juris peritiam ſingularem cum eximia morum probitate conjunctam, à *Joanne XXIII.* Pontifice Maximo Archiepiſcopus Florentinus, ac poſteà Cardinalis Tituli SS. *Coſmæ & Damiani* creatus eſt, miſſuſque ab eodem Pontifice Legatus ad Concilium Conſtantienſe, ubi è Vita migravit anno MCCCCXVII. ætatis ſuæ LXXVIII. vel, ut alii ſcribunt LXXX. Luculenta *Reſponſa*, atque

egre-

egregia in *Decretales*, *& in Clementinas Commentaria* reliquit, ac de *Horis Canonicis* librum, alterum *de Schiſmate*, & *de Artibus liberalibus*, & *Naturali Philoſophia* quædam Opuſcula. Citari ſolet ſub titulo *Cardinalis*. Hunc *Franciſcum De Zabarellis* in ſtudio Iuris Canonici Bononiæ Magiſtrum habuit *Nicolaus Tudeſchus*, Catanæ in Sicilia natus, & Ordinis S. *Benedicti* Monachus, qui Senis, Parmæ, ac tandem Bononiæ, aſſignato octingentorum aureorum ſtipendio, jus Pontificium magna cum laude interpretatus eſt. Dein, ad Archiepiſcopatum Panormitanum promotus, hoc nomen retinuit, ac vulgo *Panormitanus* dici ſolet. A *Felice V.* Antipapa creatus fuit Cardinalis, ſed poſtea à *Nicolao V.* ſucceſſore *Eugenii IV.* in ea dignitate confirmatus. Ejus commentaria in *Quinque Decretalium libros*, *& Clementinas*, ſeptem Tomis edita habentur. Tomus octavus complectitur *Conſilia*, *quæſtiones ſubtiles*, *Practicam* in Curia obſervari ſolitam, & repetitionem in Caput *per tuas extra de Arbitris*, nonus Tomus comprehendit *Theſaurum* ſingularium in jure Canonico Deciſionum. His novem Commentariorum Tomis Jus Canonicum illuſtravit, aliaque Opera edidit *Nicolaus Tudeſchus*, qui à juris Pontificii Interpretibus ſæpè ſub *Panormitani*, vel ſub uno *Abbatis* nomine citari ſolet. Obiit celebris ille juriſconſultus Panormi, menſe Iulio anni MCCCCLV. Floruerunt eodem Sæculo XV. tres alii peritiſſimi Iuriſconſulti, videlicèt *Joannes Franciſcus Pavinus*, *Joannes ab Imola*, & *Joannes Antonius à S. Georgio*. Primus, ſeu *Joannes Franciſcus Pavinus*, civis & Canonicus Patavinus, in Sacra Theologia haud parùm verſatus,

cùm

cùm per aliquot annos Ius Canonicum in patria docuiſſet, Romam à *Paulo II.* Pontifice Maximo accitus eſt, & Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditor circà annum MCCCCLXVI. factus, in *Joannis XXII.* & aliorum Pontificum *Extravagantes* commentaria ſcripſit, aliaque compoſuit Opuſcula *De Officio & poteſtate Capituli Sede vacante*: *De Decimis*: *De Charitativo ſubſidio*: *De Viſitatione Epiſcopi* &c. Romanæ quoque *Rotæ Deciſiones* diligenter collectas in unum volumen redegit. Deceſſit Romæ, ſepultus in Eccleſia, quæ dicitur Ara Cœli. Joannes *ab Imola* nomen ſortitus eſt à patria, Romandiolæ civitate, quæ olim *Forum Cornelii*, nunc *Imola* dicitur. Patavii, Ferrariæ, ac tandem Bononiæ Jus Canonicum & Pontificium interpretatus eſt, & in utroque jure adeò excelluit, ut ejus opiniones præ aliis recipiantur, magiſque utriuſque juris Doctoribus probentur. Extant in jus Canonicum ipſius Commentaria *ad tres Decretalium libros*, *ad ſextum Decretalium, & Clementinas*; præter *Conſilia & Repetitiones quaſdam*. Abiit è vivis Bononiæ anno MCCCCXXXVI. & apud FF. Prædicatores ſepultus eſt. Tertius, quem laudavi, Juriſconſultus, ſeu *Joannes Antonius à S. Georgio*, Placentinus fuit, & Patricius Mediolanenſis, qui anno ætatis ſuæ vigeſimo octavo Ticini Jus Canonicum profiteri cœpit, dein, Præpoſitus fuit Eccleſiæ S. *Ambroſii* apud Mediolanum; undè ipſi inditum *Præpoſiti* cognomen. Ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo, ob doctrinæ, ac ſanctitatis famam, Auditor Sacri Palatii, ac Referendarius Apoſtolicus; poſteà Alexandrinus in Longobardia Epiſcopus, ac tandem anno

MCCCCXCIII. Presbyter Cardinalis eſt renunciatus ſub titulo Sanctorum *Nerei* & *Achillei*. Habentur ejus Commentarii in *primas duodecim Cauſas Decreti*, cujus & primam partem interpretatus dicitur, quemadmodum & *Clementinas*. Extat etiam ejus Interpretatio in *Quartum Decretalium*. Exceſſit ex hac vita anno MCCCCXCIII. Cæteros alios Sæculi XV. peritos Juriſconſultos indigitare dumtaxat, eorumque Opera hìc breviter indicare ſufficiet. *Andreas Barbatius*, ſeu *Barbatias*, natione Siculus, ſcripſit Commentaria in *Decretales*, & *Clementinas*, aliaque compoſuit Opuſcula, quæ Pariſiis & alibi edita ſunt. Obiit circà annum MCCCCLXXXII. ſepultus Bononiæ apud S. Petronium. *Philippus Francus*, Peruſinus, in patria jus Pontificium diu profeſſus, deinde Ticinum evocatus, magnâ nominis famâ claruit circa annum MCCCCLX. Extant ejus in *Decretales*, & *Sextum* erudita Commentaria. *Rodulphus*, ex clariſſima ſtirpe Florentiæ natus, ibidem Jus Pontificium interpretatus eſt, egregiumque commentarium *in Decretum* edidit, necnon Tractatum *De Uſuris*. Inter claros *Antonii Butrii* Auditores, fuit *Dominus à Sancto Geminiano*, qui Bononiæ publicus Iuris Pontificii Profeſſor, ſcripſit Commentaria in *Decretales*, in *Sextum*, ejusque feruntur *Conſilia*, ſive *Reſponſa*, & *Repertorium juris*. Claruit ſub finem Sæculi XV. *Nicaſius Voldanus*, Mechlinienſis, qui licèt à quarto ætatis ſuæ anno oculis captus eſſet, Theologiæ attamen Lauream in Academia Lovanienſi conſecutus, & in Colonienſi Univerſitate Iuris Doctor inauguratus, Leges Cæſareas, quas nuſquam legerat, ſed audiverat tantùm, ita memoriâ

moriâ complexus eſt, ut eas ex tempore recitaret, & interpretaretur. Commentarios edidit in IV. *libros Inſtitutionum Juſtiniani*, & obiit Coloniæ anno MCCCCXCII. Poſtremò, *Felinus Sandeus*, ex nobili *Sandeorum* familia Ferrariæ natus, ibidem primùm docuit Ius Pontificium; poſteà Piſis Ius Civile interpretatus eſt, tantâ eruditionis laude, ut ob inſignem Juris ſcientiam Romam ab *Innocentio VIII.* Pontifice Maximo evocatus, Rotæ Senatui Præfectus ſit, mox Referendarius Apoſtolicus, ac demùm Epiſcopus Lucenſis factus. Obiit anno MDIII. & præclara reliquit ingenii ſui Monumenta, præſertim Commentarium *in quinque libros Decretalium*, & varia Opuſcula utrumque Ius, Civile & Canonicum, ſpectantia. Hi ſunt celebriores Sæculi XV. Iurisconſulti, quos inter annumerari etiam debent J*oannes De Turrecremata*, Cardinalis, Ordinis FF. Prædicatorum, & *Robertus Gaguinus*, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Præpoſitus Generalis, Iuris Canonici Doctores præſtantiſſimi, quorum tamen hìc nullam mentionem fecimus, quia eis jam locum dedimus in ſuperioribus claſſibus illuſtrium Scriptorum Sæculi decimi quinti.

Hìc ſub finem noſtri Colloquii, de Arte Typographica, quæ in commune rei litterariæ commodum, & ad publicâ luce donanda Illuſtrium Scriptorum Opera, Sæculo decimo quinto inventa, ſenſim ſine ſenſu omnibus ſuis numeris tandem abſoluta evaſit, breviter differere meditabar, ſed, ne diutiùs te detineam, aliàs eâ de re ſermonem inſtituam.

D. Non te profectò dimittam, niſi priùs expo-

expoſueris exordium ac progreſſus Artis Typographicæ, quæ unicum eſt contra tineas & blattas, omnis eruditionis inimicas, remedium, & eâdem operâ indicaveris hujus utiliſſimæ Artis Inventores, qui certè gloriâ, quam merentur, carere nequaquàm debent.

M. Typographiam, quæ cum omnibus Veterum inventis facilè certare poteſt; originem in Germania Sæculo XV. habuiſſe communis eſt Scriptorum ſententia. Hinc de hoc nobiliſſimo Germanorum Invento ait *Philippus Beroaldus*;

O Germania muneris repertrix,
Quo nihil utilius dedit vetuſtas;
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Laurentius etiam *Valla* Artis Typographicæ inventionem Germanis acceptam refert his Verſibus:

Abſtulerat Latio multos Germania Libros,
Nunc multò plures reddidit ingenio.
Et quod vix toto quiſquam perſcriberet anno,
Munere G·rmano conficit una dies.

Verùm, licèt inter omnes fermè conveniat, Artem Typographicam in Germania ſumpſiſſe exordium, incertum tamen eſt, an Moguntiæ, vel Argentorati hæc Ars fuerit adinventa. Probabilius, meâ quidem ſententiâ, eſt, hujus nobiliſſimæ inventionis gloriam Argentoratenſibus debitam eſſe. Id quippè liquidò evincitur ex MS. Chronico Argentoratenſi, in quo hæc leguntur verba: *Anno Chriſti* MCCCCXL. *præclara & humano generi utiliſſima Ars Typographica primùm in lucem, idque Argentorati, prodiit, Auctore Joanne Mentelio. Cui cùm famulus eſſet Joannes Gansfleiſch, Moguntia oriundus, ejus conſcientiæ ac fidei negotium*

hoc

hoc credidit; ſed hic in herum perfidus, Joanni Gutemburgio, nobili ac opulento, cuique jam aliquid de Mentelii invento ſuboluerat, totam rem palàm fecit, atque pacto cum eo inito, quòd Argentorati ſcopum ſe aſſecuturos deſperarent, Moguntiam indè ſe recepere, multùm lucri è compendioſa Arte ſibi polliciti. In hoc Chronico, ut vides, exprimitur nomen Auctoris, nempè *Joannis Mentelii*, annus Typographiæ inventionis, ſeu annus MCCCCXL. locus quoque non præteritur, nimirùm Argentinæ Urbs, ubi inventa eſt Ars Typographica, & Moguntiæ civitas, ubi perfecta eſt. Vero igitur quàm ſimillimum eſt, *Joannem Mentelium*, patriâ Argentoratenſem, Artis Typographicæ inventorem fuiſſe, cui tamen cùm tanti ſumptus non ſuppeterent, ut Officinam Typographicam Argentinæ ſtatim erigeret, *Gutemburgius*, quem, ut mox diximus, perfidus *Joannis Mentelii* famulus Artem Typographicam edocuerat, Moguntiam delatus, priùs ibi hanc Artem publicè exercuit, indèque multorum animos pervaſit opinio de Arte Typographica à *Joanne Gutemburgio* Moguntiæ adinventâ. *Nicolaus Serarius*, Scriptor Societatis Jeſu, dubius hæret, nec quidquam certi pronunciare audet de loco, & primo Inventore Artis Typographicæ. Sic enim libro I. *Rerum Moguntinarum* cap. 36. & ſeqq. ait: *An Argentoratenſis fuerit artificii bujus Auctor, itemque an inibi de hoc aliquid aut cogitarit, aut etiam tentarit? mihi haud ſatis liquet. Interim potuit aliquis domo Argentinenſis, & civitate tamen Moguntinus, aliquid Argentinæ cogitare, atque conari, hocque idem ipſum Moguntiæ jam in lucem afferre, atque perficere.* Deni-

Denique , quia; citrà cauſam , idoneoſque Auctores , non eſt quiſquam facilè mendacii arguendus, credat qui volet illi affirmanti.

Ars Typographica , quæ novis ſubindè adinventionibus illuſtrior progreſſu temporis reddita eſt , in Galliam , Italiam , Hiſpaniam , Angliam , & Poloniam ſub finem Sæculi XV. illata eſt . Primus tamen, qui Græcè excudere cœpit,fuit *Aldus Manutius* , qui circà annum MD. Officinam Venetiis inſtituit , & Typos etiam Hebraicos primus in hac arte adhibuit , cùm antehàc Typographi , ſi quæ Græca , vel Hebraica vox in manuſcripto Codice , quem excudebant , occurriſſet , vacua illic ſpatia relinquere ſolerent . Litteras itidem Italicas , quas *Curſivas* vocant , *Aldus Manutius* inveniſſe dicitur , eique debet Reſpublica Litteraria tot Sanctorum Patrum , & Scriptorum Græcorum elegantiſſimas Editiones . Præter *Aldum Manutium* , Græcas Litteras tum Sacras , tum Prophanas inſigniter ſuis Prælis promoverunt tres alii celeberrimi Typographi , videlicet *Robertus Stephanus* , *Ioannes Frobenius* , & *Guillelmus Morellius* , quorum primus , ſeu *Robertus Stephanus* , filius *Henrici Stephani* , natione Gallus , patriâ Pariſinus à *Franciſco I.* Rege Chriſtianiſſimo , Typographus Regius conſtitutus , Vir fuit Litteris Latinis , Græcis , & Hebraicis admodùm eruditus , ex cujus Officina , quæ vulgò *Stephanea* appellari ſolet , prodierunt Græcè Sanctorum Patrum Opera , tam ſplendidè , nitidè & emendatè excuſa ; ut ſola typorum elegantia quemlibet ad eorum lectionem alliceret & invitaret . Fertur etiam , eumdem *Stephanum* ſolitum eſſe , ſingula folia ,

antequam exirent in lucem, perlegenda, hìc illìc per plateas, certis locis affigere, adjuncto pretio illi, qui quædam Typographiæ vitia detexiſſet. Alter Typographus, ſeu *Joannes Frobenius*, natione Germanus, patriâ Baſileenſis, nullis vigiliis, nullis laboribus, nullis denique impendiis pepercit, ut, ad rem Litterariam adjuvandam, eximios Authores ornaret, nitidè & fideliter ornatos publicâ luce donaret. Denique *Guillelmus Morellius*, patria Caletenſis, & Typographiæ Græcæ Galliarum Regis poſt *Hadrianum Turnebum* Præfectus, accuratâ Linguæ Græcæ peritiâ inſignis fuit, & in Græcorum Patrum Operibus, utroque Sermone Græco & Latino excudendis, tum Characterum pulchritudine, tum Editionis perfectione cæteros Galliæ Typographos longo poſt ſe intervallo reliquit, & ad invidiam provocavit. Mitto alios penè infinitos, præcipuè recentiores Typographos, de quibus peculiari capite agit *Bernardus Malincrotius* Diſſertatione Hiſtoricâ *De Arte Typographica* cap. 14. pag. 91. Dicam tantùm obitèr, in Regia Pariſienſi Urbe aliquot etiamnùm reperiri inſignes Typographos, ex quorum Officinis Veterum præclara monumenta, cùm Græca, tùm Latina è tenebris eruta, blattarum & tinearum imperio erepta, pulcherrimis Typis, & magnâ adhibitâ curâ, prodierunt in lucem, necnon doctiſſima recentiorum Galliæ Scriptorum Opera, præſertim *Petavii*, *Sirmondi*, *Coeffetæi*, *Combefiſii*, *Goari*, *Labbei*, *Cotelerii*, *Dacherii*, *Mabillonii*, *Huetii*, *Thomaſſini*, *LeQuien*, & Sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum Editiones, quas ſtupendâ planè curâ & indefeſsâ dili-

gentiâ adornârunt eruditiſſimi Patres Benedictini Congregationis S. *Mauri*.

D. Optandum ſanè eſſet, ut horum, quos laudaſti, præſtantiſſimorum Typographorum in edendis libris curam ac diligentiam nunc preſſo pede ſequerentur hi, qui eamdem Artem exercendam ſuſcipiunt, quorum tamen, ut probè noſti, haud pauci ſunt, qui lucro ſolùm ac quęſtui inhiantes, Typographiæ ſuæ Correctores quidem admovent, libris prælo parandis invigilaturos, ſed Viros ignaros & vili pretio conductos, qui levi, quod ajunt, digito, rem ſuam oſcitanter agentes, in cauſa ſunt, cur libri innumeris mendis à capite ad calcem ſcatentes in lucem protrudantur, cùm tamen hæc provincia corrigendi libros, qui prælo parantur, his maximè demandari deberet, qui non minùs doctrinâ, quàm prudentiâ & integritate præſtant. Sed de origine, progreſſu ac perfectione Artis Typographicæ, ex qua in Rempublicam Litterariam nunquàm interitura gloria redundavit, ſatis hactenùs diximus. Nunc domum me confero, ubi per aliquot dies in meo Muſeolo, ad parandum labili memoriæ ſubſidium, brevem deſcribam Catalogum tot illuſtrium Sæculi decimi quinti Scriptorum, quos in præſenti Colloquio laudaſti, quique ſuis moribus, doctrinâ, eruditione, & præclaris monumentis Eccleſiam ornarunt, illuſtrarunt, unàque nomina ſua æternitati conſecrarunt. Sedulò etiam annotabo Caſtigatiores librorum, quos lucubrarunt Viri clariſſimi, Editiones, ex optimis MSS. expreſſas, & in Officinis clariorum Typographorum excuſas; ut videlicet poſſim diligentiùs ab eo declinare

vitio, in quod frequentèr impingere ſolent mei ſimiles, ſeu juniores, qui primoribus dumtaxàt labris Hiſtoriam Eccleſiaſticam deguſtarunt, & in ſtadio Theologico ſunt minus exercitati. Hi quippè in libris antiquorum Scriptorum in uſus ſuos comparandis, nullâ curâ, nulloque Editionum habito delectu, arripiunt quidquid primâ ſtatim fronte ſe ſe illis offert. Quò fit, ut non ſine gravi ſumptus, & quod pretioſius adhuc, ipſius temporis diſpendio, Editiones antiquorum Scriptorum quotidiè terant imperfectas, mutilas, interpolatas, vitiis & erroribus ſcatentes, quæque à recto veritatis tramite illos abducere poſſunt. Hæc omnia cùm accuratè pro meo modulo in ordinem digeſſero, ad tuas ædes, modò boni conſulas, reditum maturabo, ut te de Doctrina, & Diſciplina tàm Eccleſiaſticâ, quàm Monaſticâ, atque de morali Chriſtiana Sæculi decimi quinti diſſerentem attento animo auſcultare poſsim. Horum quippè notitia omninò neceſſaria eſt Clerico, qui Eccleſiæ commodo, animarum ſaluti, venerandæ antiquitatis cognitioni, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio gnavitèr incumbere cupit.

M. Id ſi feceris, dilectiſsime Diſcipule, ſat ſcio, poſt paucos dies & tibi ſeriò gratulaberis, quòd ſtudia tua, faventibus Muſis, felicitèr ſuccedant, & mihi gratias ages, qui ſæpiùs monuerim, ut animum inducas, amare ſtudia, quæ licèt initio nonnihil habeant moleſtiæ, tamen aſſuetudine dulceſcunt, multùmque habent admixtum mellis ſi paululùm in ea proceſſeris. Magnam, mihi crede, in ſtudiis tædiorum partem citò ſuperabis, ſi ad ea curam, amorem & aſſiduitatem

attu-

attuleris, ſed præcipuè ſi frequenter verſeris inter Viros eruditos, quorum quotidianis confabulationibus quàmplurima cognitu digna minimo labore perdiſces.

Optimus ille quidem, qui paret recta monenti;
At qui nec per ſe ſapiat, neque mente reponat
Ex aliis audita, Vir undique inutilis hic eſt.

COLLOQVIUM VI.

De Doctrina, Diſciplina tàm Eccleſiaſtica, quàm Monaſtica, & Ethica Chriſtiana Sæculi XV.

MAGISTER. LUtherani, Calviniſtæ, aliique hujus temporis heterodoxi ſolent per ſummam impudentiam calumniari Eccleſiam Romanam, dictitantes, antiquam fidei doctrinam circà duo potiſſimùm capita Sæculo decimo quinto fuiſſe ab ea immutatam. At enim, inquiunt illi Hæretici, Eccleſia Romana definivit Sæculo XV. contra Vvicleffiſtas, præter Sacrificium, quo Chriſtus idem Sacerdos & Victima ſemetipſum in Cruce Deo Patri obtulit, aliud admittendum atque credendum eſſe incruentum *Miſſæ* Sacrificium verum, proprium, & propitiatorium pro peccatis noſtris. Contendunt autem, hoc dogma, quòd etiamnùm firmitèr credit Eccleſia Romana, non ſolùm recens fuiſſe invectum, ſed etiam injuriam apertè irrogare Sacrificio, quod Chriſtus ſemèl in Cruce obtulit, & fuſo

pretioſo Sanguine ſuo pleniſſimè ac ſufficientiſſimè ſatisfecit pro peccatis noſtris. Secundò, acritèr iidem hæretici invehuntur in Eccleſiam Romanam, eò quòd communionem ſub utraque ſpecie, quam jure divino omnibus promiſcuè fidelibus neceſſariam eſſe pertendunt, Sæculo XV. Laicis denegandam eſſe decreverit, & Huſſitas, alitèr ſentientes, hæreticos pronuntiaverit. Ad has confutandas Hæreticorum calumnias immenſa non minus mole, quàm eruditione volumina lucubrârunt Polemici Eccleſiæ Romanæ Doctores, qui ſole clariùs demonſtrarunt, ſemper in Eccleſia Romana viguiſſe, ac ſartam tectam fuiſſe conſervatam Fidem puram, primævam, Apoſtolicam; publicum Divini Numinis cultum integrum & illibatum; omnia Veteris Eccleſiæ Sacramenta, ac Sanctorum Patrum Dogmata nullis quæſitis coloribus fucata, nullis novitatibus aucta vel interpolata, ſed pura, ſincera, ſimplicia, qualia olim à Chriſto Domino inſtituta, ab Apoſtolis tradita, in Conciliis contra Hæreticos vindicata, ad nos uſque imperturbatâ temporum ſerie fuerunt propagata. Poſt tot itaque in lucem editas Polemicorum Scriptorum eruditas lucubrationes, poſſem ipſe juremerito putidas illas ac ſæpiùs decantatas Hæreticorum calumnias hìc ſurdâ aure præterire. Verùm, cùm in hocce Colloquio, juxtà præſcriptam methodum, de Doctrina Eccleſiæ Sæculi XV. diſſerendi nobis onus incumbat, non abs re erit, in referendis iſtis Hæreticorum calumniis hìc paululùm immorari.

D. Quibuſnam argumentis Polemici Theologi

logi evincunt, ſemper in Eccleſia Catholica creditum fuiſſe, *Miſſam* eſſe verum, proprium, & propitiatorium pro peccatis noſtris Sacrificium?

M. Benè multa ex Sacris Litteris, ex Conciliis, & ex Sanctis Patribus, cùm Græcis, tùm Latinis, Theologi Polemici deſumunt argumenta, quibus invictè adversùs Heterodoxos probant, Fideles ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad præſens uſque Sæculum conſtantèr crediſſe, Miſſam eſſe verum & propriè dictum novæ legis Sacrificium. Infinitus eſſem, ſi ſingula argumenta hìc inſerere vellem. Sufficiet ex multis pauca ſeligere, quæ rem planè conficere videntur. Primum, &, meâ quidem ſententiâ, efficacius argumentum petitur ex unanimi omnium Eccleſiarum tàm Orientis, quàm Occidentis conſenſu, quem repræſentant antiquiſſimæ Liturgiæ, quas ad celebranda in Altari tremenda Religionis Myſteria omnes Eccleſiæ hactenùs adhibuerunt, & in quibus milliès fit mentio oblationis, immolationis, Sacrificii, Sacerdotum, Altarium, Sacrorumque Vaſorum. Quæ omnia apertè probant, univerſæ Eccleſiæ ſemper perſuaſum fuiſſe, *Miſſam* eſſe verum & propriè dictum novæ Legis Sacrificium. Porrò recenſentur inter has Liturgias Eccleſiarum Orientalium ea, quæ Sancti *Jacobi* Apoſtoli nomine inſcripta eſt; ea, quæ ſub *Clementis* I. Papæ nomine in Lib. *Conſtitutionum* deſcripta eſt; ea, quam *Dionyſius Areopagita* cap. III. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* magnifico ſtylo deſcribit. Quæ ſanè antiquiſſimæ ſunt. Item Liturgiæ SS. *Baſilii* & *Chryſoſtomi*, quibus addi debent Liturgiæ *Chal-*

daica, quâ Neſtoriani & Jacobitæ, per Syriam, Aſſyriam, Perſidem, Indiam, aliaſque finitimas Aſiæ regiones diſperſi utuntur: *Coptica*, quam *Athanaſius Kircherius* in ſuo Prodromo Copto veterem Ægyptiacam eſſe docet: *Æthyopica*, *Armenica*, & *Maronitica*, ſeu Maronitarum. Quin, & *Abraham Echellenſis* in ſuis Notis ad Catalogum *Hebedieſu* pag. 134. ait, apud Orientis Chriſtianas Gentes numerari ſupra quinquaginta Liturgias, partìm communes, partìm proprias ſingularum Gentium, & ex his extare penès ſe triginta & unam, quas recenſet. Plures etiam Chriſtianorum Orientis Liturgias enumerat, ac doctiſſimis Diſſertationibus & Notis illuſtrat *Euſebius Renaudotius*, Linguarum Orientalium peritiſſimus, in eâ, quam nuperrimè, ſeu anno MDCCXVI. Pariſiis edidit, Collectione *Liturgiarum Orientalium*. Jàm verò, quod ſpectat Occidentalem, ſeu Latinam Eccleſiam, certiſſimè conſtat, eam ſemper credidiſſe, ac docuiſſe, *Miſſam* eſſe verum & propriè dictum novæ Legis Sacrificium, ut videre eſt in Sacramentario *Gregorii Magni*, Pontificis Maximi, in vetuſtiſſimis Ritualibus *Rabbani*, *Amalarii*, *Vvalafridi Strabonis* &c. in Miſſa Ambroſiana, quam Sanctus *Ambroſius*, Archiepiſcopus Mediolanenſis, ſuæ Eccleſiæ, & aliis Liguribus præſcripſit, quæque etiamnùm in Eccleſia Mediolanenſi celebratur: in Miſſa Mozarabica, quæ, ut obſervavimus in ſuperioribus Colloquiis, in uſu fuit apud Hiſpanos ab initio quinti Sæculi uſque ad *Gregorium VII.* Pontificem Maximum, quo præcipiente Romanum Ritum ſuſceperunt: Denique in veteri Miſſa Gallicana, quam Miſſæ Mozarabicæ,

cæ ſimilem fuiſſe probat doctiſſimus Cardinalis *Bona* lib. I. *Rerum Liturgicarum* cap. XII. Ex hac ergò conſtanti utriuſque Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis conſenſione manifeſtè colligitur, hanc fuiſſe perpetuam omnium Fidelium doctrinam, Miſſam eſſe verum & propriè dictum Legis novæ Sacrificium. Credibile quippe non eſt, hoc Dogma, ſi novum eſſet, & errorem contineret, ſicut effutiunt Hæretici, fuiſſe in univerſam Eccleſiam inductum, nullis contradicentibus Epiſcopis, ſive Græcis, ſiue Latinis, nullis reclamantibus Doctoribus, Clericis, Monachis, & Theologis, ſed omnibus alto ſomno oppreſſis, & in utramvis aurem dormientibus. Incredibile etiam eſt, hoc Dogma de incruento Miſſæ Sacrificio potuiſſe unquàm Græcis poſt Schiſma *Photii* probari, ſi reverà novum eſſet, & Sæculo XV. in Eccleſia Latina procuſum, ſicut obſtrepunt moderni Hæretici, Græcos tamen poſt Schiſma *Photii*, immò & Sæculo Eccleſiæ Sæculo XV. idem de incruento Miſſæ Sacrificio ſenſiſſe, quod cenſebant Latini, pluribus momentis demonſtrari poteſt. Primò, quia *Joannes Palæologus*, Græcorum Imperator, & cum ipſo Orientales Epiſcopi Florentiæ per biennium commorati ſunt, adfuerunt Concilio Generali, quod in ea Urbe *Eugenio* Papa IV. Præſide celebratum eſt, ac ſubindè perſpectum habuerunt Latinorum de Sacrificio Miſſæ Dogma. Nec Latinos quoque latere potuit, quid de eo ipſimet Græci ſentirent. At nec Græci Latinis, nec Latini Græcis circà illud Dogma quidquam moleſtiæ crearunt. Secundò, Orientales, qui aderant Concilio Florentino ſæpiùs intra Miſ-

ſarum

ſarum ſolemniâ, procubuerunt coram Euchariſtia, quam Latini conſecrarant, *adoraveruntque Miſſam Romanæ Eccleſiæ more, Pontifice celebrante*, ut teſtatur *Andreas à Sancta Cruce* in ſua Concilii Relatione. Tertiò, eo in Concilio, conſentientibus omnibus, Græcos inter & Latinos unio ſancita eſt. Quartò, *Marcus*, Epheſiorum Metropolita, ubi Florentiâ rediiſſet in Patriam, debacchatus quidem eſt in Synodum Generalem Florentinam datis Epiſtolis *ad omnes ubique terrarum degentes Chriſtianos*. At licèt hujus Synodi plures articulos Scriptis exagitaverit, Dogmata tamen de præſentia reali Corporis Chriſti in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, De Tranſubſtantiatione, & de Incruento Miſſæ ſacrificio intacta omninò reliquit, illa tamen, utpotè præcipua, nequaquàm prætermiſſurus, ſi erronea credidiſſet. Poſtremò, omnes Populi Chriſtiani, qui nunc Orientem incolunt, quamvis moribus, Sectis, ac variis Ritibus inter ſe ſint diverſi, & ab Eccleſia Latina diro Schiſmate divulſi, nihiloſeciùs omnes profitentur, ut videre eſt in eorum Liturgiis, quas recenſet doctiſſimus *Euſebius Renaudotius*, Miſſam eſſe verum novæ legis Sacrificium. Hoc autem Dogma cùm poſt *Photii* tempora ab Occidentalibus, ſeu Latinis, haurire haud potuerint, utpotè ab illis funeſto Schiſmate diviſi, neceſſe eſt, ut illud ante Photianum Schiſma à Majoribus acceperint, ſibique traditum ad poſteros tranſmiſerint. Huic argumento petito ex conſenſione omnium Eccleſiarum, quod Hæreticorum jugulum petit, aliud addere non pigebit, quod ipſorum hac in re inconſtantiam ac malitiam apertè pro-

prodit. At enim, moderni hæretici *Joannem Huſſum*, Hæreſiarchàm Sæculi XV. impensè laudant, eumque, ceù Martyrem, magnis encomiis celebrant; & tamen *Joannem Huſſum* ad extremam uſque vitæ periodum Miſſam celebraſſe, eam verum ac propriè dictum novæ Legis eſſe Sacrificium firmitèr credidiſſe, & in nullo dogmate diſſenſiſſe ab Eccleſia Romana, quàm in articulo de Communione ſub utraque ſpecie, evidenter oſtendit Illuſtriſſimus *Jacobus Boſſuet*, Epiſcopus Meldenſis, in Libro XI. *Hiſtoriæ Variationum Eccleſiarum Proteſtantium*, idque etiam fatetur, ac multis argumentis probat, *Larroquius*, Calvinianæ Sectæ Miniſter, in Hiſtoria, quam de *Euchariſtia* ſcripſit, part.2. cap.19. Quâ fronte ergò audent hæretici incruentum Miſſæ Sacrificium explodere tanquam novum Dogma ab Eccleſia Romana excogitatum, cùm ipſimet *Joannem Huſſum*, ejuſdem licèt Dogmatis aſſertorem, velut Martyrem prædicent, colant ac venerentur. Mitto alia, quæ Catholici Doctores Polemici ex Scriptura ſacra ex Conciliis, & ex Sanctis Patribus depromunt argumenta, tùm quia longiùs me abducerent, tum quia etiam ſolenne eſt Hæreticis loca Scripturæ Sacræ, quæ ipſis adverſantur, ſiniſtris ac detortis interpretationibus eludere, Conciliorum Decreta flocci facere, atque Sanctorum Patrum teſtimonia, à quibus ſeſe expedire non poſſunt, repudiare.

D. Expone, quæſo, quo pacto incruentum Miſſæ Sacrificium non deroget, nullamve injuriam inferat Sacrificio, quod Chriſtus Dominus obtulit in Cruce, quodque omnes Catholi-

ci

ci ſupponunt ad plenam, perfectam, & integram hominum redemptionem ſufficientiſſimum fuiſſe.

M. Ideò incruentum Miſſæ Sacrificium non derogat, nec ullam infert injuriam Sacrificio, quod Chriſtus obtulit in Cruce, quia omnes ad unum Catholici profitentur, Chriſtum uno Crucis Sacrificio redemptionem noſtram promeritum eſſe, abundèque æterno Patri ſatisfeciſſe, juxtà illud Apoſtoli Pauli ad Hebræos cap. x. *Una enim oblatione conſummavit Chriſtus in ſempiternum ſanctificatos*. Sed licèt unicum ſit Sacrificium redemptionis in ara Crucis à Chriſto oblatum, cui omnia quæcumque ad ſalutem noſtram pertinent, accepta referre debemus, neceſſe tamen eſt, ut oblationem illam generalem à Chriſto in Cruce factam, ſeu pretioſum ex ipſius latere Sanguinem fuſum, per inſtrumenta, & quaſi canales quoſdam ad nos derivemus. Ejuſmodi canales ſunt Sacramenta, & incruentum Miſſæ Sacrificium, quod Sacrificium non *Redemptionis*, ſed *Religionis* nuncupamus, quodque Sacrificium *Redemptionis* in Cruce peractum non tantùm in memoriam revocat, ſed ejus efficaciam nobis applicat. Undè ſicut, fatentibus etiam hæreticis, juremerito derideretur ille, qui ſic argumentaretur: Oravit pro nobis Chriſtus, & ejus oratio ſufficientiſſima fuit ad obtinenda omnia ad ſalutem nobis neceſſaria, nihil igitur neceſſe eſt ut oremus: ita ſeſe omnibus deridendos propinant hæretici, dùm elumbe iſtud proponunt argumentum: Oblatus eſt ſemel Chriſtus in Cruce ad exhaurienda peccata noſtra, & fuit ejus oblatio ſuf-

ficiens

ficiens pretium redemptionis noſtræ: Nulla eſt igitur deinceps in Eccleſia oblatio facienda. Ratio in promptu eſt, quia una Oblatio Chriſti, quâ ſemel in Cruce oblatus eſt ut conſummaret in ſempiternum ſanctificatos, non impedit quominùs eamdem hoſtiam, quam ille obtulit, ſecundùm ejus mandatum æterno Patri ſiſtamus, orantes ut illius contemplatione nobis placatus & propitius eſſe, ſuæque promiſſionis, ac fructus, quem illa mundo attulit univerſo, nos participes eſſe velit. Falsò itaque nobis impingunt Satanæ Miniſtri, quod per incruentum *Miſſæ* Sacrificium, illud in Cruce peractum obſcuretur, cùm illuſtretur magis, nihilque aliud in hoc incruento Miſſę Sacrificio à nobis quæratur, quam ut quod Chriſtus unicâ illâ Oblatione in Cruce factâ nobis promeruit, in nos tranſferat, & eo ad ſalutem noſtram uti valeamus. Nec huic doctrinæ adverſatur Apoſtolus *Paulus* cap. 7. Epiſtolæ ad Hebræos, ubi in eo novum Teſtamentum opponit Veteri, quòd in iſto eſſent plures Sacerdotes, in illo verò unus ſit tantùm, ſeu Chriſtus: *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes..... Hic autem* (Chriſtus) *eò quòd maneat in æternum ſempiternum habet Sacerdotium: undè & ſalvare in perpetuum poteſt*. Non, inquam, huic Eccleſiæ Romanæ doctrinæ eò loci adverſatur Apoſtolus *Paulus*, quippè qui in hoc dumtaxat vetus Teſtamentum novo opponit, quòd in veteri Teſtamento Sacerdotes, cùm perpetuum non eſſet eorum Sacerdotium, ſibi invicem ſuccederent; in novo autem Teſtamento Sacerdotes ab Eccleſia inaugurati non ſuccedant Chriſto, cùm Chriſtus maneat Sacerdos

in

in æternum, ſemperque vivat ad interpellandum pro nobis. Verùm, quamvis Sacerdotes novi Teſtamenti Chriſto non ſuccedant, ſunt tamen illius Miniſtri, ejuſque vices agunt in terris, juxta illud Apoſtoli Pauli ſecundæ ad Corinth. cap. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Neceſſe quippè fuit, ut Chriſtus haberet in terris Sacerdotes Miniſtros, qui in nova lege offerrent Sacrificium non in aliquo peculiari loco, ſicut Samaritani in Monte *Garizim*, & Judæi Jeroſolymis Sacrificabant, quemadmodùm ait Chriſtus mulieri Samaritanæ *Joannis* capite quarto, ſed illud offerrent in omni loco à Solis ortu uſque ad occaſum, juxta iſtud Prophetæ *Malachiæ* Oraculum Capite primo: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Aliud autem non eſt in Novo teſtamento Sacrificium externum & viſibile, quod in omni loco à Solis ortu uſque ad occaſum Deo offertur, præter incruentum Miſſæ Sacrificium, ſeu Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, quod Chriſtus, ut docent Sancti Patres, in ſuprema cæna obtulit, & in ſui commemorationem ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus fieri mandavit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut igitur illud externum ac viſibile Sacrificium à Propheta *Malachia* prædictum, quod juxta SS. Patrum doctrinam nihil aliud eſt, quàm incruentum *Miſſæ* Sacrificium, poſſet ubique gentium

tium offerri, neceſſe prorsùs erat, ut Chriſtus, qui eſt ſummus Sacerdos, haberet in nova lege Sacerdotes miniſtros, qui ejus in terris vices gererent, & ubique locorum incruentum Euchariſtiæ offerrent Sacrificium, in quo victimæ in Cruce oblatæ, jugiter repræſentatur memoria, & per illud Sacrificii in ara Crucis oblati fructus Fidelibus applicatur, ſicut eleganter ait Sanctus *Chyſoſtomus* Homilia XVII. in Epiſtolam ad Hebræos: *Pontifex noſter ille eſt, qui illam obtulit Hoſtiam, quæ nos mundat. Illam quoque nunc offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hoſtiam, ſicut Pontifex, ſed eamdem ſemper facimus &c.*

D. Fitne in Sacrificio Altaris, ſeu Miſſæ, mactatio & immolatio Victimæ eo pari modo quo facta eſt in Sacrificio Crucis?

M. Nequaquàm. In Sacrificio quippe Crucis facta eſt cruenta mactatio & immolatio Victimæ cum Sanguinis effuſione & morte Victimæ, ſeu Chriſti Domini, qui in Cruce pro redemptione generis humani oblatus & occiſus eſt, quod certè non contingit in Sacrificio Altaris, alioquin dicendum eſſet, Chriſtum totiès mori & occidi, quotiès in Altari offerretur Miſſæ Sacrificium, quod eſt alienum à fide, quæ docet, Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem eſſe impaſſibile, & ut ait Apoſtolus ad Rom. cap. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur &c.* Verùm, quamvis in Sacrificio Altaris non fiat cruenta mactatio ſeu immolatio Victimæ per ejus Sanguinis effuſionem, & mortem veram ac realem,

fit

ſit tamen mactatio & immolatio Victimę per mortem Myſticam, quæ contingit vel per ſpecierum Sacramentalium conſumptionem, quæ fit à Sacerdote, vel per hoc, quod ex vi verborum, per quæ oblata conſecrantur, Sanguis ſolus ſub vini ſpeciebus, & ſolùm Corpus ſub ſpecie panis conſtituatur, quamvis per concomitantiam utrumque ſit ſub una tantùm ſpecie. Hæc autem myſtica ſeparatio Corporis à Sanguine Chriſti, quæ fit vi verborum conſecrationis, hujus naturæ eſt, ut, ſi Apoſtoli in triduo mortis Chriſti panem conſecraſſent, vi verborum conſecrationis conſtituiſſent dumtaxàt ſub ſpecie panis Corpus Chriſti ſine Sanguine, & ſimilitèr ſi in hoc triduo mortis vinum conſecraſſent, vi verborum conſecrationis vini poſuiſſent ſub ſpecie vini Sanguinem Chriſti ſine Corpore, ſufficit autem ad Sacrificium, ut ex vi actionis, per quam fit, hoſtiæ, ſeu victimæ Sanguis effundi debeat, quamvis tamen actu non effundatur, Deo nimirum effuſionem impediente, aut obſiſtente hoſtiæ ſtatu, idque probari poteſt exemplo *Abrahami*, qui, teſte S. *Chryſoſtomo*, Iſaacum verè in Sacrificium obtulit, quamvis actu illius non effuderit Sanguinem: *Abraham*, inquit S. ille Doctor Hom. 52. in S. *Euſtathium* Antiochenum, *non gladium cruentavit, non altare rubefecit, non Iſaac jugulavit; ſed tamen Sacrificium perfecit? Quis hoc ait? ille ipſe qui Sacrificium ſuſcepit: Non pepercisti enim, inquit, filio tuo dilecto propter me. Atqui eum vivum recepit, & incolumem reduxit, quomodò igitur non pepercit? quod non ex factorum exitu, ſed ex animi ſententia, inquit, de ejuſmodi Sacrificiis judicare ſoleam. Non mactavit manus, ſed vo-*

voluntas mactavit, non gladium pueri jugulo immerſit, non cervicem incidit. Sed eſt Sacrificium etiam ſine ſanguine; ſciunt illi, qui Myſteriis initiati ſunt, quid dicamus. Propterea illud Iſaaci Sacrificium ſine ſanguine perfectum eſt, quoniam illius figura eſſe debuit. Vides in Veteri Teſtamento imaginem multò ante adumbratam, noli veritati fidem derogare. Quamvis autem in Miſſæ Sacrificio non fiat cruenta mactatio Victimæ per realē ejus ſanguinis effuſionem & mortem, ſed ſolùm fiat mactatio Victimæ per myſticam ejus ſanguinis effuſionem, vi verborum conſecrationis expreſſam, hoc tamen non impedit, quominùs *Miſſa* ſit verum, propriè dictum, ſed incruentum novæ legis Sacrificium, quod tantùm abeſt, ut Crucis Sacrificium obliteret, efficiatque, ſicut allatrant hæretici, ut homines de Cruce non ampliùs cogitent, ſed tantummodò de *Miſſa*, cujus virtute ſperant conſecuturos ſe remiſſionem peccatorum, quin potiùs incruentum *Miſſæ* Sacrificium, tanquam viva Sacrificii Crucis imago, ipſum veluti ponat ob oculos, & nemini condonet peccata niſi in virtute ſanguinis, quem Chriſtus Dominus quondàm effudit in Cruce.

D. Ritus & Cæremoniæ, Veſtes & Inſtrumenta, quæ nunc in Miſſæ Sacrificio adhibentur, pertinentne ad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam Sacrificii Miſſæ?

M. Non pertinent ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ. Primò, quia Euchariſtici Sacrificii eſſentia in eo ſolo poſita eſt, quòd Chriſti Corpus & Sanguis ſub ſpeciebus panis & vini converſâ utriuſque elementi ſubſtantiâ, ejuſdem Servatoris verbis reipsâ ſiſtantur & incruento modo Deo offe-

rantur & immolentur, quemadmodùm Chriſtus in ſuprema Cœna fecit, & Novi Teſtamenti Sacerdotibus, ut in ſui commemorationem facerent, præcepit. Secundò, nemini dubium eſt, quin Chriſtus in ultima Cœna Miſſam inſtituerit ac celebraverit eo planè penitùsq; ſimplici ritu, quem apud tres Evangeliſtas *Matthæum*, *Marcum* & *Lucam*, necnon in prima ad Corinthios *Pauli* Epiſtolâ ſcriptum legimus, ac ſubindè Chriſtum non eas omnes adhibuiſſe cæremonias, quæ nunc à Sacerdotibus in peragendo Miſſæ Sacrificio uſurpari ſolent. Quòd ſpectat Apoſtolos, cenſent plerique Scriptores, *Petrum*, *Jacobum*, *Matthæum*, & *Marcum* ſcripſiſſe Liturgias, quæ illorum Apoſtolorum nomine inſcribuntur, & extant in primo Tomo *Maximæ Bibliothecæ Patrum* Editionis Lugdunenſis; indè verò inferunt, Apoſtolos eum omnem in celebrando incruento Miſſæ Sacrificio ſervaſſe ritum, qui nunc ſervatur apud Græcos, quia Liturgiæ SS. *Baſilii*, & *Chryſoſtomi*, quibus nunc utuntur Græci, nihil aliud ſunt, quàm ipſamet S. *Jacobi* Apoſtoli Liturgia, quam illi Sancti Patres contraxerunt. Verùm, certò non conſtat, citatos Apoſtolos eſſe Auctores illarum Liturgiarum, quæ eorum nominibus ſunt inſcriptæ, idque viri eruditi in dubium revocant, quia in Liturgia, quæ tribuitur S. J*acobo* reperiuntur termini ὁμοούσιος, θεοτόκος, qui tunc in Eccleſia necdùm erant in uſu, ſed ſolùm poſt Concilia Nicænum & Epheſinum frequentari cœperunt, legitur etiam Doxologia, ſeu Hymnus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, quem tamen ante quintum Sæculum in Eccleſia cani non conſueviſſe certum eſt.

eſt. In eadem Liturgia S. *Jacobi* Triſagium *Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis miſerere noſtri*, cantandum adſignatur, quod tamen in Eccleſia ante annum ccccxlvi. quo *Proclus* Urbis Conſtantinopolitanę Patriarcha ſedebat, planè incognitum fuiſſe conſtat apud omnes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritos. Denique, in hac Liturgia S. J*acobi* fit mentio *Confeſſorum*, atque *Monachorum*. Conſtat autem, nomen Confeſſorum in Sacris Myſteriis & in Officio Divino diu poſt S. J*acobum* in uſu eſſe cœpiſſe, ac Monaſteria fuiſſe extructa. iiſdem argumentis Pſeudepigraphas, ſeu ſuppoſititias eſſe pariter Liturgias, quæ *Petro*, *Matthæo*, & *Marco* adſcribuntur, evincunt Viri eruditi. Crediderim ergò ipſe, Apoſtolos, alioſque Chriſti Diſcipulos in exordio Eccleſiæ, dùm Tyrannorum graſſabatur perſecutio, Miſſam, ubi liceret eis per tempus, celebraſſe juxta Ritum, quem S. *Juſtinus* Martyr deſcribit in altera pro Chriſtianis Apologia, quamque Sæculo Eccleſiæ ſecundo Ethnicis Imperatoribus obtulit; creſcente autem poſteà, Fidelium numero, plures tum Lectiones, tùm preces, aliaſque cæremonias, quibus illud adorandum Sacrificium majori Chriſtianorum cultu ac veneratione perageretur, ab Eccleſia ſive Occid. ſive Orient. additas fuiſſe, quæ licèt diverſæ ſint, ut videre eſt in utriuſq; Eccleſiæ Liturgiis, ad eumdem tamen collimant finem, videlicet ad conciliandam majorem huic auguſtiſſimo Sacrificio venerationem, ſive, quemadmodùm loquitur Synodus Tridentina, *ut & Majeſtas tanti Sacrificii commendetur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum*,

quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Has ergò ſolemnes Miſſæ cæremonias, quarum nonnullæ ab ipſis Apoſtolis, aliæ ab Apoſtolorum Diſcipulis inſtitutæ, aliæ à Summis Pontificibus, vel ab Epiſcoporum Conciliis additæ ſunt; pias & utiles eſſe, probant communis naturæ ſenſus, quæ homines religioſos eſſe docet, Veteris Legis Auctoritas, & Apoſtolica Traditio, Eccleſiæque toto Orbe diffuſæ perpetuus & conſtans uſus: *Harum & aliarum ejuſmodi Diſciplinarum*, inquit *Tertullianus* in libro de Corona, *ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem traditioni, & conſuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces*. Quibus *Tertulliani* verbis confutantur Hęretici Lutherani & Caluiniſtæ, qui contra ſolemnium Miſſæ Cæremoniarum apparatum eo ſolo nomine declamare ſolent quòd hujuſmodi Cæremonias Scriptura Sacra nec præſcribat, nec obſervari jubeat. Sed Hæreticis repono cum *Tertulliano: ſi nulla ſcriptura determinavit, certè conſuetudo roboravit, quæ ſine dubio de Traditione manavit*, multiſque exemplis ibidem probat antiquiſſimus ille Scriptor, plures in Eccleſia eſſe obſervationes, quæ *ſine ullius ſcripturæ inſtrumento, ſolius Traditionis Titulo, & exindè conſuetudinis patrocinio vindicantur*. Singularum Cæremoniarum, quæ modò in peragendo Miſſæ Sacrificio adhibentur in Eccleſia Latina, ſignificationem ſi ſcire aveas, conſule illos Authores, qui de Ritibus, & Officiis Eccleſiaſticis ſcripſerunt, ſed Præcipuè Cardinalem *Bona* in lib. *Rerum Liturgi-*

turgicarum, & *S.Thomam*, Doctorem Angelicum, 3. parte ſuæ Summæ Quæſt. LXXXIII. Art. IV.

D. Jam probè intelligo, Hæreticos, qui negant, Miſſam eſſe verum & propriè dictum novæ legis Sacrificium, à perpetua omnium Eccleſiarum receſſiſſe doctrina, eoſque non aliâ ratione contendere, incruentum Miſſæ Sacrificium injuriam irrogare Sacrificio Crucis, niſi quia volunt, Chriſtum per Sacrificium Crucis ita ſatisfeciſſe pro nobis, ut modò nec pœnitentia, nec Sacrificium Miſſæ, nec bona opera ad æternam ſalutem conſequendam ſint neceſſaria, ſed ſat ſuperque ſufficiat Fides in Chriſtum Mediatorem, quam ſolam Fidem non ſolùm homines juſtificare dictitant Hæretici, ſed etiàm mordicùs pertendunt, hanc Fidem juſtificantem nullo, quamvis graviſſimo peccato, excepto Infidelitatis, ſeu Apoſtaſiæ à Fide peccato, amitti unquàm poſſe, adeò ut Fornicarii, Adulteri, Homicidæ &c. dummodò credant in Chriſtum Mediatorem, nullam juſtitiæ, amicitiæ Dei, & ſalutis æternæ jacturam faciant. Ex quo peſtilenti dogmate, ut ſæpiùs me monuiſti, ſequitur planè omninò totius Doctrinæ Moralis Chriſtianæ integrum exterminium. Sed miſſo hoc Capitali Hæreticorum errore, quo nullum religioni ac pietati infeſtius excogitari poteſt, expendamus nunc, obſecro te, rationes, quibus Sæculo XV. adducta fuit Eccleſia Catholica, ut Laicis, atque etiam Clericis non conficientibus communionem ſub panis tantummodò ſpecie porrigendam eſſe decerneret.

M. Juſtis cauſis & graviſſimis rationibus Sæculo XV. permota fuit Eccleſia Catholica, ut

Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret. Prima ratio petitur ex reverentia, quæ huic Sanctiſſimo Sacramento debetur, & cui alitèr quàm per ſubtractionem Calicis conſuli haud poterat. Periculum quippè erat, ne pretioſus ſanguis effunderetur ſolemnioribus præſertim Feſtis præ Communicantium copiâ, & plurium ſenum, debilium, ruſticorum parùm cauto concurſu, in quo, quantacumque à Miniſtris, qui Calicem porrigebant, diligentia adhiberetur, vix tamen ſanguinis effuſio poterat impediri, cui malo, ſi accidiſſet, nullum poterat apponi remedium. Altera ratio deſumitur ex Abſtemiis, aut aliis, qui non ſine nauſea vinum hauriebant ex Calice, qui pluribus jam oblatus erat, inter quos haud pauci occurebant mucoſi, ſalivantes, excreantes, halitu fœtentes, impuri, inculti, aut etiam quibuſdam morbis affecti, qui vel nauſeam intolerabilem cum periculo vomitus in aliis ſanioribus ſuccedentibus, ſed plerùmque contagioſas ægritudines progignere poterant, ut contingit in Hecticis, Phtiſicis, Dyſentericis, Leproſis, & Lue venereâ infectis. Tertia ratio colligitur ex antiqua Eccleſiæ praxi, ſecundùm quam infirmis Communio ſub una tantùm ſpecie panis dari ſolebat, ut evincunt exempla *Serapionis* ſenis, & S. *Ambroſii* Epiſcopi Mediolanenſis, qui in ultima vitæ periodo conſtituti ſolo pane conſecrato, non vino donati fuerunt, ſicut de *Serapione* teſtatur *Dionyſius Alexandrinus* in Epiſtola ad *Fabium* Antiochenum, quam *Euſebius* lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 44. deſcribit, & de S. *Ambroſio* narrat in illius Vita

Pau-

Paulinus, ejus Diaconus. Hinc in Veteribus monumentis ſolius corporis Chriſti ſub ſpecie panis, non verò ejus ſanguinis ſub ſpecie vini fit mentio, quotiès agitur de infirmorum Communione. Veteres etiam, cùm de Vaſis loquuntur, in quibus peracto Sacrificio ſervabatur Sacro-Sancta Euchariſtia, non calicum meminerunt, ſed vel pixidum, vel vaſorum, quæ vel in turrium, vel in columbarum ſpeciem elaborata erant. Et ſanè, cùm ſpecies vini, ſi vel aliquibus diebus ſervetur, aceſcat & corrumpatur, conveniens non erat, ut ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini conſervaretur; & hæc cauſa eſt, cur etiamnùm Græci in ſolâ ſpecie panis conſervent Viaticum pro infirmis, quod ſemèl tantùm in anno parant: *Conficiunt Græcorum Presbyteri Euchariſtiam* (inquit *Arcudius* libro 3. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 55.) *feria quinta Sanctioris hebdomadis in memoriam Cœnæ Domini, ut habeant Viaticum pro infirmis per totum annum*. Non inficior tamen, panis & vini ſpeciem infirmis aliquandò fuiſſe antiquitùs diſpenſatam, quandò videlicèt mox à Sacrificio peracto Viaticum infirmis dabatur; nec mirum: tunc enim opus non erat ut ſpecies vini diu ſervaretur. Sed hoc non impedit, quominùs tùm apud Latinos, tùm apud Græcos vigeret conſuetudo ſervandi pro infirmis Viaticum ſub ſola ſpecie panis conſecrati. Quarta ratio ducitur ex Infantibus, quibus mox à baptiſmate Euchariſtia ſub ſola ſpecie vini porrigebatur juxta vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem, qui etiam labente undecimo Sæculo adhùc obtinebat apud Latinos, ſicut teſtatur *Hugo à Sancto Victore* lib. 1. cap. 20. ubi hæc habet: *Pueris re-*

cens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito Sacerdotis,quia tales naturaliter ſugere poſſunt. Eadem praxis conſtanter apud Græcos permanſit, ut referunt *Leo Allatius*, multique alii authores, qui de Græcorum ritibus ſcripſere, omneſque Chriſtiani Orientales ſolam vini ſpeciem infantibus unà cum Baptiſmate & Confirmatione diſpenſant. Quin, & pueris ratione fruentibus Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis fuiſſe tam in Eccleſia Occidentali, quàm Orientali aliquandò diſpenſatam, apertè probant varia utriuſque Eccleſiæ monumenta, quibus conſtat, parvulos impuberes, qui Scholas frequentabant, interdùm eſſe advocatos, ut ſuperſtites fidelium communioni particulas certis diebus in templis ederent. Hujus conſuetudinis meminit *Evagrius*, qui ſexto Sæculo floruit, libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſ.* cap. 35. his verbis: *Vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli, ut ſi quandò multæ admodùm particulæ puri & immaculati Corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui Scholas frequentabant, accerſerentur, eaſque manducarent*. Teſtatur quoque *Nicephorus* libro 17. *Hiſtoriæ* Eccleſiaſticæ cap. vigeſimo quinto, ſe, cùm puer eſſet, ſæpiùs in Eccleſia Conſtantinopolitana Euchariſtiæ reliquias comediſſe. Quintam rationem ſuppeditat Domeſtica Communio, quæ tùm in Oriente, tùm in Occidente pluribus Sæculis jugiter obſervata eſt, & ex qua invictiſſimè probatur, Veteres Chriſtianos, ſæviente maximè tempore perſecutionis, extra Sacrificii tempora, ſub ſola panis ſpecie ſumpſiſſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Antiqui Scriptores & Sancti Patres, dùm hujuſmodi

modi Communionis domeſticæ meminerunt, ſolam panis ſpeciem exprimunt, nullâ ſpeciei vini factâ mentione: *Non ſciet maritus*, inquit Tertullianus libro 2. ad uxorem, *quid ſecretò ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit panem, non credit illum eſſe qui dicitur*. Scribit S. *Cyprianus* in lib. de Lapſis, quòd *mulier quædam cùm arcam ſuam, in qua Sanctum Domini erat, indignis manibus tentaſſet aperire, igne indè ſurgente deterrita eſt.* Aſſerit S. *Baſilius* in Epiſtola ad *Cæſariam* Patriciam, conſueviſſe Anachoretas, qui ſæpiùs in Eccleſiam commodè convenire haùd poterant, Euchariſtiam deferre in ſuas cellulas. *Gregorius Nazianzenus* in Oratione de obitu *Gorgoniæ* ſororis ſuæ, ait, illam adoraſſe Euchariſtiam, quam privatim aſſervabat, & confeſtim eo morbo, quo laborabat, convaluiſſe. Narrat S. *Ambroſius* in Sermone de obitu fratr. ſui *Satyri*, eum adhuc Catechumenum, ne ſine myſterio gravi naufragii diſcrimine periret, ab uno ſociorum Euchariſtiam precibus impetraſſe, eamque ſudario involutam ſibi ad collum alligaſſe. Ex quibus Sanctorum Patrum teſtimoniis liquidò patet, Veteres Chriſtianos, graſſante præſertim tempore perſecutionis, Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis, & non ſub ſpecie vini, quæ diu conſervari non potuiſſet, domùm aſportaſſe, ibique communionem domeſticam peregiſſe. Immò, Antiquos fideles, non tantùm in privatis ædibus, ſed etiam in Conventibus publicis & intra Miſſarum ſolemnia nonnunquàm ſub ſola panis ſpecie Euchariſtiam ſumpſiſſe, manifeſtò docet Ordo Romanus, ad cujus præſcriptum divina officia octavo Sæculo & ſequentibus apud

Occidentales celebrabantur. Statuit quippè Ordo Romanus, ut Feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ in cœna Domini, toto Sanguine conſumpto, Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis in diem paraſceves reſervent, quo, ſine Sanguine, omnes in die paraſceves communicent. Ex his, quæ hactenùs adduximus, momentis, perſpicuum ac exploratum eſt, praxim ſumendi Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie in Eccleſia olim invaluiſſe, ac ſubindè nullum eſſe præceptum divinum de ſumenda communione ſub utraque ſpecie, alioquì ſi revera divinum extaret præceptum, quo omnes omninò fideles ad communionem ſub utraque ſpecie obſtringerentur, omni procul dubio viſi fuiſſent alicubi Epiſcopi, Parochi, Doctores, ac pii Monachi, qui nequaquàm paſſi eſſent, ut hæc in Eccleſia invaleſceret novitas, quâ Sacramentorum Sanctiſſimum contra divinam legem mancum fieret ac mutilum. Res tanti momenti delata fuiſſet ad Summos Pontifices, agitata in Conciliis, ſicut & in aliis Fidei capitibus contigit, quotiès adversùs ea quidpiam novi tentatum eſt. Cùm igitur nihil horum contigerit in retroactis Eccleſiæ temporibus, argumento eſt, ſemper omnibus utriuſque Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis fidelibus perſuaſum fuiſſe, nullum extare præceptum divinum, quo ſingulis promiſcuè Chriſtianis incumbat obligatio ſumendi communionem ſub utraque ſpecie.

D. Solent Hæretici, ut ſæpiùs audivi, probare Communionem ſub utraque ſpecie ſingulis fidelibus jure divino diſpenſari debere, ex verbis Chriſti Domini dicentis cap. VI. Ioannis: *Niſi manduca-*

ducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis &c.& Matthæi capite vigeſimo ſexto: *Bibite ex hoc omnes*. Prioribus verbis, inquiunt Hæretici, Chriſtus ſuæ carnis & ſui ſanguinis ſumptionem præcipit ſub æternæ damnationis periculo. Poſterior verò Chriſti ſententia: *Bibite ex illo omnes*, eo termino, *Omnes*, qui univerſalis eſt, omnes omninò fideles, ſive Laici ſint, ſive Clerici, complectitur, eiſque calicis uſum injungit. Hoc argumentum Hæreticis inſtar proræ ac puppis eſt, illudque, velut crambem recoctam paſſim obtrudunt, inculcant, inferciunt;quod tamen à te facili negotio ſolutum iri non dubito.

M. Hoc argumentum, quod tantoperè magnificant Hæretici, multifariàm ſolvi poteſt. Et primò quidem, ſi hæc Chriſti Domini verba: *Bibite ex hoc omnes*, ſingulis fidelibus Calicis uſum præcipiant, dicant, amabo, Hæretici, quorsùm ipſi paruulos, amentes, abſtemios, ſeu illos, qui vinum haurire non poſſunt, ab ea excipiunt univerſalitate, quam his verbis: *Bibite ex hoc omnes*, expreſſam eſſe contendunt, cùm tamen exceptionem ſuam ex Sacra Scriptura, quam dictitant unam ac ſolam fidei regulam, probare non valeant? Velint itaque nolint, fateri debent Hæretici, hunc terminum univerſalem, *Omnes*, reſtringi debere. Quinam verò ſint ii, ad quos reſtringi debeat, apertè nos docet Traditio, quæ ſemper credidit, eâ lege percipiendi Euchariſtiam ſub gemina ſpecie panis & vini comprehendi ſolos Sacerdotes, dùm Sacris operantur, idque non obſcurè annuere videtur S. *Marcus* cap. XIV. ſui Evangelii, ubi

ubi univerſalitatem termini,*Omnes*,de ſolis Apoſtolis intelligit, videlicèt in eis impletum eſſe, quod Chriſtus his verbis, *Bibite ex hoc omnes*, præceperat: *Et accepto Calice*, inquit S. Marcus, *gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes*. Præterquàm quòd, Chriſtum præcepiſſe, ut fideles in percipienda Euchariſtia id totum agerent, quod ipſe in poſtrema cœna geſſit, tam falſum eſt, quàm quod maximè. Chriſtus ſi quidem Euchariſtiam cœnatis Apoſtolis diſtribuit, an propterea injunxit, ut poſt cœnam tantùm diſpenſaretur? Acceptum de menſa calicem ſibi Apoſtoli diſtribuiſſe videntur, juxta hæc Chriſti verba Lucæ cap. 22. *Et accepto Calice gratias egit & dixit: accipite & dividite inter vos*, ergòne ob id Laici Calicem ſibi ipſis porrigere poſſunt?Non igitur ex ipſa SS.Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutione, quæ in poſtrema cœna facta eſt, ſed ex traditione & uſu Catholicæ Eccleſiæ diſcere debemus quænam ex iis, quæ in ultima cœna peracta ſunt, Chriſtus præceperit: quænam verò permiſerit Miniſtrorum prudentiæ. Secundò, errant Hæretici, dùm aſſerunt, Chriſtum his verbis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, præcipere omnibus fidelibus, ut ſumant Euchariſtiam per duas actiones diſtinctas, eſum ſcilicèt & potum; in hoc, inquam, turpiſſimè errant Hæretici, quia ipſemet Chriſtus uni tantùm actioni, eſui videlicet, præcipuum adſcribit effectum, propter quem inſtituit Euchariſtiam: *Qui manducat hunc panem,vivet in æternum*, Joannis cap. VI. & Diſcipulis euntibus in Caſtellum Emmaus Corpus ſuum ſub ſpecie tantùm panis por-

porrexit: *Et factum eſt dum Jeſus recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum.* Nec vim facere debent Hæretici in his verbis: *Et biberitis Sanguinem*, in quibus verbis particula, *Et*, potum ab eſu diſtinctum præcipere videtur; nihil, inquam, indè extundere poſſunt Hæretici, quia hæc particula, *Et*, ſæpiùs in Scriptura Sacra non conjunctè, ſed disjunctivè ſumitur, ut, Exempli gratiâ, Sanctus *Petrus* Actorum cap. 3. v. 6. claudo, cui reſtituit ſanitatem, ait: *Aurum & argentum non eſt mihi*, ideſt, nec aurum eſt mihi, nec argentum. Similiter Levitici cap. 20. eodem ſenſu particula, *Et*, ſumitur; damnatur nimirùm morte, *qui Patri, Matrique maledixerit*, ideſt, qui Patri, vel Matri maledixerit. Cùm igitur Chriſtus, ut mox diximus, uni actioni, nimirum eſui, potiſſimùm tribuat effectum, propter quem inſtituit Sacroſanctam Euchariſtiam, neceſſe eſt ut, juxta morem Scripturæ, hæc particula, *Et*, disjunctivè ſumatur, ſeu pro particula *Vel*, ita ut horumce verborum Chriſti: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis*, hic genuinus ſenſus ſit: *Fidelis, qui nec meum Corpus ederit, nec biberit Sanguinem, vitam æternam non conſequetur.* Hunc eſſe germanum horumce verborum Chriſti ſenſum palàm innuit Apoſtolus *Paulus* Epiſtolæ 1. ad Corinth. cap. XI. ubi poſtquam verſ. 26. præmiſit hæc verba: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc & Calicem bibetis &c.* explicat verſu immediate ſequenti, hanc particulam *Et* disjunctivè, ſeu pro particula *Vel* eſſe ſumendam,

ait

ait enim: *Itaque quicumq; manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*. Nullum igitur ex Apoſtolo *Paulo* extat præceptum divinum, quo omnes omninò fideles teneantur percipere communionem ſub utraque ſpecie.

D. Chriſtus his verbis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, voluit haud dubiè, ut non ſolùm carnem ejus manducemus, ſed etiam ejus ſanguinem bibamus, idque faciamus in memoriam ipſius Paſſionis. At, necdùm planè intelligo, quì fieri poſſit, ut fideles bibant Sanguinem Chriſti, dùm Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie panis ſumunt. Nec pariter capio, quo pacto Euchariſtia ſumpta ſub una dumtaxàt ſpecie panis poſſit eſſe memoria Paſſionis Chriſti, cùm nihil in ea ſit, quo adumbretur Sacrificium Crucis, in quo Sanguis Chriſti à Corpore fuit ſeparatus, quod certè nullo plane modo contingit in Euchariſtia, quandò ſub una tantùm ſpecie panis percipitur. Hæc, ſi placet, quæ nondùm plenè aſſequor, craſſiori minervâ expone.

M. Hæc facilè admodùm perſpecta habere poteris, ſi in memoriam revoces duo fidei capita, quæ Catholica Eccleſia omnibus credenda proponit; Primum in hoc ſitum eſt, quòd totus ac integer Chriſtus non minus ſub una Euchariſtiæ ſpecie contineatur, quàm ſub duplici. Chriſtus ſiquidem in hoc Sacramento non ſolùm nobis ſufficit carnem ſuam divinitati conjunctam, ſed etiam ſanguine & anima informatam. Quò ſit,

ſit, ut fideles, qui Euchariſtiam ſub una ſpecie panis percipiunt, per eamdem actionem non tantùm carnem Chriſti manducent, verùm etiam per concomitantiam, ut loquuntur Theologi, Sanguinem & divinitatem ſumant, nullâque per ſubtractionem ſpeciei vini gratiâ, quæ ad ſalutem neceſſaria ſit, defraudentur. Alterum fidei caput in hoc ſiſtit, quòd in unaquâque in individuo ſpecie paſſio Chriſti Domini adumbratur, quia, ut ſuperiùs diximus, ſpecies Euchariſtiæ ſeorſim conſecrantur, & per verba conſecrationis, quæ ſunt adinſtar gladii ſpiritualis, Chriſti corpus & ſanguis à ſe invicem myſticè ſeparantur; nec neceſſe eſt ut Euchariſtia ſit Sacramentum, quòd perfectè exteriùs repræſentet paſſionis Chriſti myſterium, ſed ſatis eſt ut fideles, qui ejus ſunt participes, ejuſdem mortis meminerint, quam, ſumptâ etiam ſolâ ſpecie panis, facilè in ſuam memoriam revocant, certiſſimè credentes, ſe corpus recipere, quod pro ſe ipſis à Chriſto Servatore noſtro Cruci confixum eſt. Id totum illuſtrare juvat exemplo baptiſmi, qui nunc per infuſionem datur, & quem hæretici eo modo adminiſtratum ultrò fatentur eſſe verum novæ legis Sacramentum. Et tamen baptiſmus per infuſionem collatus non perfectè exteriùs repræſentat paſſionem, ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti, quæ tantùm perfectè adumbrantur in trina immerſione, ut poſt Sanctum *Thomam* docent omnes Theologi, quibus hac in re ipſimet hæretici non refragantur. Sic pari quoque ratione Euchariſtia ſub una tantùm panis ſpecie ſumpta verum eſt Sacramentum, licèt perfectè non repræſentet

ſentet paſſionem Chriſti, ac ſubindè fideles, qui communicant ſub una dumtaxat ſpecie, Euchariſtiam percipiunt, ut Sacramentum eſt, ſed non ut Sacrificium eſt; quia Euchariſtia, quatenus Sacrificium eſt, perfectam mortis Chriſti repræſentationem exhibet per utriuſque ſpeciei, panis & vini, ſumptionem, quæ fit per duas diſtinctas actiones, eſum ſcilicet & potum. Sacerdotes itaque, dùm ſacris operantur, Euchariſtiam percipiunt & ut Sacramentum, & ut Sacrificium eſt. Cæteri verò fideles, qui tantum ſub una ſpecie communicant, Euchariſtiam ſumunt ut Sacramentum eſt, ſed non ut Sacrificium.

D. Tàm luculentèr demonſtraſti hactenùs, nullum prorsùs extare præceptum divinum, quo ad Euchariſtiam ſub utraque ſpecie percipiendam adſtringantur fideles, ut non poſſim, quin deplorem cæcitatem Hæreticorum, qui magno, ſed inani ſtudio ſeſe torquent, ut ejuſmodi præceptum in Sacris Scripturis expiſcari poſſint. Sed miſſis Hæreticis, quorum errorem jam abundè confutaſti; rogo te, ut tria brevitèr diſſolvas dubia, de quibus Viros eruditos inter ſe diſceptantes nuperrimè audiebam. Primum eſt, utrum Laici in prioribus Eccleſiæ Sæculis uſque ad duodecimum paſſim & ordinariè publicis in Conventibus Euchariſtiam ſub duplici ſpecie ſumpſerint? Alterum eſt, utrùm Eccleſia quondàm Legem tulerit de communione ſub duplici ſpecie ſumenda? Poſtremum eſt, an poſſit Eccleſia hiſce temporibus concedere Laicis uſum Calicis, & utrùm ea conceſſio expediret?

M. Ut hæc tria à te propoſita dubia breviter

vitèr dirimam, à primo exordiar, circà quod duo obſervare ſufficiet, quæ jam in præcedentibus noſtris Colloquiis obitèr indicavimus. Primum eſt, fideles ab incunabulis Eccleſiæ ad duodecimum uſque Sæculum, etiam Laicos,in publicis Conventibus paſſim & ordinariè ſub duplici ſpecie communicaſſe, eam tamen praxim ſenſim ſine ſenſu Sæculo XIII.exoleſcere cæpiſſe in multis Occidentis Eccleſiis, ſicut Sanctus *Thomas*, Doctor Angelicus,qui extremam diem clauſit anno MCCLXXIV. apertè docet 3.part.quæſt.80. Art.12. ubi quærit, *utrùm liceat ſumere Corpus Chriſti ſine Sanguine?* & affirmativam tuetur ſententiam hoc argumento: *Sed contra eſt multarum Eccleſiarum uſus, in quibus populo communicanti datur Corpus Chriſti ſumendum, non autem Sanguis*. Et in Corpore articuli ait: *In quibuſdam Eccleſiis obſervatur ut populo Sanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à Sacerdote ſumatur*. Hanc tamen praxim ſumendi communionem ſub utraque ſpecie ſemper obſervarunt, & etiamnùm obſervant Græci, apud quos non Clerici modò,ſed & Laici, qui communicant, dùm celebratur Liturgia, utramque ſpeciem ſumunt. Prætereà, obſervare debes, irrepſiſſe Sæculo Eccleſiæ ſeptimo quemdam abuſum apud nonnullos Sacerdotes Latinos, qui intinctam ſacro Sanguine ſpeciem panis Laicis communicantibus porrigebant, ſed eum abuſum à quarta Synodo Bracarenſi anno DCLXXV. habitâ Canone ſecundò confixum eſſe his verbis: *Illud verò,quod pro complemento Communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio teſtimonium recipit, ubi Apoſtolis Corpus ſuum*

& Sanguinem commendavit. Seorſùm enim panis & ſeorſùm Calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illi tantùm diſcipulo, quem intincta bucella magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ Sacramenti huius inſtitutionem ſignaret. Hic abuſus Sæculo ſeptimo proſcriptus, iterum Sæculo XI. prodiit, ſed à *Paſchali II.* Pontifice Maximo, & à Concilio Claromontano ſub *Vrbano II.* anno MXCV. celebrato compreſſus, mox apud Occidentales evanuit, viget tamen ſeptingentis abhinc annis apud Orientales, qui fideli populo utramque ſpeciem in cochleari commixtam exhibere conſueverunt. Alterum quod ſpectat dubium, an videlicèt Eccleſia aliquandò legem tulerit de ſumenda communione ſub utraque ſpecie? Reſpondeo, nullam in quatuor prioribus Sæculis extare legem, quâ Eccleſia fideles adegerit, ut dùm ſolemnitèr & intra Miſſarum ſolemnia communicarent, utramque ſumerent ſpeciem. Id conſtat ex duplici facto hiſtorico. Primum contigit, Sancto *Chryſoſtomo* Sedem Conſtantinopolitanam occupante, & à *Sozomeno* libro 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.5. his verbis enarratur: *Vir quidam ſectator hæreſis Macedonianæ, ejuſdem Sectæ uxorem habebat. Hic cùm Joannem de ſincera religione diſſerentem fortè audiiſſet, doctrinam amplexus, & uxorem quoque ut ſibi conſentiret, hortatus eſt. At illa, quoniam notarum mulierum ſolita conſuetudine captiva teneretur, ut maritus quamvis admonuiſſet ſæpè, nihil tamen proficeret. Niſi, inquit ille, in religione mihi conſors fueris, nec in vitæ communione poſthàc eris. Ibi mulier, data fide ſe id facturam,*

cum

cum ancilla quadam, quam fidelem arbitrabatur, de hac re communicat, eamque ſibi ad fraudem faciendam marito ſociam adjungit. Itaque tempore communicationis (intelligunt autem qui Chriſto ſunt initiati quid dicam) illa quod acceperat, continens, velut oratura procubuit. Famula autem interim aſtans furtim porrigit id quod manibus adveniens ferebat; quod quidem ſimul ac dentibus admotum fuit, in lapidem induruit. Tum mulier timore conſternata, ne quid ſibi gravius eveniret, ob tantum miraculum in ſe divinitùs editum, cum feſtinatione ad Epiſcopum (Sanctum Joannem Chryſoſtomum) *accurrit, ſe ipſam indicat, ac lapidem oſtendit, qui manifeſta veſtigia morſus, ſed materiam ignotam & inuſitatum quemdam colorem referebat, cùmque profuſis lachrymis veniam impetraſſet, cum marito deinceps concors vixit.* Subdit etiam *Sozomenus*: *Si cui autem hæc veriſimilia eſſe non videntur, teſtis eſt ipſe lapis, qui etiamnunc hodie inter Conſtantinopolitanæ Urbis cimelia conſervatur.* Ex hoc facto hiſtorico liquet, nullam eo Sæculo, quo tam inſigne contigit miraculum, obtinuiſſe Legem Eccleſiaſticam, quæ fideles ad utriuſque ſpeciei communionem adigeret. Si enim extitiſſet hujuſmodi lex, certè Macedoniana illa mulier nullo pacto potuiſſet communionem ſimulare, nec ulla arte declinare calicem, quem Diaconus offerebat, ubi primùm fideles exceptum manibus panem ori admoviſſent. Alterum factum hiſtoricum petitur ex ſimulatione Hæreticorum Manichæorum, qui in quinto Eccleſiæ Sæculo in Occidente graſſantes, ut Catholicorum invidiam & Imperatorum iram declinarent, irrepebant in cætus fidelium,

Sacram Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie panis ſumebant, & ab ſpecie vini omninò abſtinebant, rati vinum eſſe à principio malo, ſicut de illis Hæreticis teſtantur S. *Leo* Papa *I.* Serm. 4. in Quadrageſima, & *Gelaſius I.* Porrò, ſi ante tempora Summorum illorum Pontificum *Leonis* & *Gelaſii* extitiſſet aliqua lex Eccleſiaſtica, quæ omnes omninò fideles obſtrinxiſſet ad ſumendam utramque ſpeciem, dùm ſolemnitèr in templis communicarent, nullâ ratione Manichæi Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie panis ſumentes, impietatem ſuam occulere potuiſſent, ſed potiùs eam apertè prodidiſſent, quippè qui palàm infregiſſent legem Eccleſiaſticam de ſumenda communione ſub utraque ſpecie, ac ſubindè in infidelitatis, ſeu hæreſeos, quâ erant infecti, ſuſpicionem confeſtim veniſſent. Hinc, ad faciliùs detegendam hanc ſacrilegam Manichæorum in ſacris Myſteriis ſimulationem, Summi jam laudati Pontifices *Leo I.* & *Gelaſius I.* legem in quinto Sæculo tulerunt, quâ juſſi ſunt omnes fideles utramque ſpeciem, panis videlicet & vini, publicis in Synaxibus ſumere, ita ut quicumque deinceps à vini ſpecie abſtinerent, ex Eccleſia velut Manichæi eiicerentur. Hæc autem lex de ſumenda communione ſub utraque ſpecie, quam *Leo I.* detegendæ Manichæorum hæreſis causâ, tulit circà annum CCCCXLIII. quamque *Gelaſius I.* anno CCCCXCVI. confirmavit, obtinuit in Eccleſia Occidentali, quandiù ſerpſit Manichæorum hæreſis, ſed eâ ſemel extinctâ hæreſi, hæc lex in deſuetudinem abiit contrariâ fidelium praxi, cui non interceſſerunt Præſules, quòd ſcirent, hanc legem à Summis

mis Pontificibus *Leone I.* & *Gelaſio I.* fuiſſe latam diſciplinæ tantùm & Æconomiæ causâ, hoc eſt, ad larvam hæreticis Manichæis detrahendam, eorumque detegendam in divinis Myſteriis ſimulationem.

Ad tertium denique dubium, an videlicèt poſſit Eccleſia hiſce temporibus concedere Laicis calicis uſum, & an ea conceſſio expediret, & cederet in bonum Eccleſiæ? dico, nullum eſſe dubium quin poſſit Eccleſia etiam his temporibus Calicis uſum indulgere Laicis, ſicut olim poſt Synodum Conſtantienſem illum conceſſit Laicis in Regno Bohemiæ & locis ei adhærentibus. Patres Concilii Tridentini jus, de quo agitur, Eccleſiæ competere profitentur Seſſione 21. Canone 4. ubi ad petitionem Legatorum, qui nomine Imperatoris, ac multorum Germaniæ Principum, necnon *Caroli IX.* Galliarum Regis poſtulabant, ut calicis uſus Laicis concederetur, quòd nempè magna affulgeret ſpes, fore ut heterodoxi, ſi eum Synodus indulſiſſet, ad unitatem & gremium Eccleſiæ redirent, reſpondent his verbis: *Duos verò articulos aliàs propoſitos, videlicèt an rationes, quibus Sancta Catholica Eccleſia adducta fuit ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub una tantùm panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione Calicis uſus cuiquam ſit permittendus, & an, ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel Regno calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quanam ſint illæ: Eadem Sancta Synodus in aliud tempus, oblata ſibi quamprimùm occaſione, examinandos atque defi-*

niendos reſervat. Conſultiùs tamen duxerunt Patres Concilii Tridentini horumce duorum articulorum definitionem arbitrio & prudentiæ Summi Pontificis relinquere, ut videre eſt in Seſſione 22. in qua hæc verba leguntur: *Decrevit* (Sancta Synodus) *integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti Decreto refert, qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat quod utile Reipublicæ Chriſtianæ & ſalutare petentibus uſum calicis fore judicaverit*. Extat in *Commentariis Rerum ad Synodum Tridentinam ſpectantium* à Clariſſimo *Puteano* editis pag. 203. *Monitum*, in quo Galliarum Regis Oratores poſtularunt à Patribus Concilii Tridentini, ut nullum fieret præjudicium prærogativæ Regis Chriſtianiſſimi, qui die inaugurationis ſuæ Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumit: & quorumdam Monaſteriorum in Galliis vetuſtiſſimæ conſuetudini, in quibus monachi Ordinis Ciſtercienſis, etiam non celebrantes, ſtatis quibuſdam anni diebus ſub utraque ſpecie Communicant. Denique, poſt celebrationem Concilii Tridentini *Pius IV.* Pontifex maximus, eo jure anno MDLXIII. uſus eſt, dùm Germaniæ Epiſcopis indulſit, ut, ſervatis Legibus, quas Eccleſia Bohemis præſcripſerat, Calicem Laicis communicantibus concederent. Nullus itaque dubito, quin penès Eccleſiam ſit jus Calicis uſum concedendi, ſed hanc conceſſionem paſſim expedire non cenſeo, tum quia vix præcaveri poteſt effuſionis Sanguinis periculum, quòd Eccleſiam præſertim movit, ne facultatem communicandi ſub utraque ſpecie paſſim Laicis annueret; tùm quia periculum

culum quoque eſſet, ne eâ facultate, ſi paſſim concederetur, abuterentur hæretici ut Eccleſiæ conflarent invidiam, ſicut Lutherani ſub obtentu ejuſmodi conceſſionis Calicis, quam, ut mox diximus, charitas à *Pio IV.* pro Germanis extorſerat, mox cauſati ſunt, agnoviſſe tandem Eccleſiam Romanam, ſe contra jus Divinum populis ſubtraxiſſe Calicem. Undè, jure merito Eccleſia, ne Lutherani eâ calumniâ, quam temerario auſu ſpargebant, incautos deciperent, hanc conceſſionem Germanis factam confeſtim revocavit.

D. Optimo jure Eccleſia Romana Laicis, & Clericis non conficientibus Communionem ſub utraque ſpecie nunc indulgere haud debet, non ſolùm ob rationes, quibus Sæculo XV. gliſcente Huſsitarum Hæreſi, adducta eſt ad ſubtrahendum Laicis uſum Calicis, ſed etiam quia, ut rectè obſervaſti, Lutherani, & Calviniſtæ, qui Huſsitarum hac de re errorem ex orco revocarunt, anſam & occaſionem arriperent Eccleſiam calumniandi,& ubique clamitandi, antiquam doctrinam de Communione ſub utraque ſpecie fuiſſe Sæculo XV. immutatam, ac tandem aliquandò Eccleſiam Romanam agnoviſſe, ſe contra jus Divinum Laicis Calicem ademiſſe. Sed de Doctrina Sæc. XV. ſatis hactenùs contra Hæreticos diſſeruimus. Præſtat nunc, ut paucis agamus de Diſciplina tùm Eccleſiaſticâ, tùm Monaſticâ, quæ eodem Sæculo obtinuit, & præcipua, quæ ad utramque Diſciplinam ſpectant, Capita expendamus.

M. Ad Diſciplinam tùm Eccleſiaſticam, tùm Monaſticam Sæculi decimi quinti attinet gra-

vis illa Controverſia, quæ eodem Sæculo Parochos inter & Religioſos Mendicantes circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ ſeu circà fidelium Confeſsionem tempore Paſchali faciendam oborta eſt. Conquerebantur Religioſi Mendicantes, quòd Parochi Confeſsiones fidelium Viris Religioſis, ſecundùm formam Clementinæ *Dudum*, approbatis, tempore Paſchali factas, ipſis Sacerdotibus Parochis iterandas eſſe aſſererent. Ex adversò Parochi ſuccenſebant Religioſis Mendicantibus, quòd ab Eccleſiis Parochialibus frequentandis Parochianos avocarent, ac ſe propriorum Sacerdotum nomine, quibus, juxta Canonem Concilii IV. Lateranenſis *Omnis utriuſque Sexus*, ſemel in anno facienda ſit Confeſsio, etiàm intelligendos prædicarent. Ad hanc dirimendam Controverſiam Summi Pontifices complura Sæculo XV. ediderunt Diplomata, quibus jus aſſertum Religioſis Mendicantibus fidelium Confeſſiones tempore Paſchali excipiendi approbarunt, & authoritate Apoſtolicâ confirmarunt. In primis, *Alexander V.* anno milleſimo quadringenteſimo nono propugnatas à nonnullis quaſdam *Joannis de Poliaco*, cujus in ſuperioribus Colloquiis jam meminimus, Aſſertiones, & alias recens adjectas, confixit Diplomate, quod incipit: *Regnans in excelſis*. Novæ illæ Aſſertiones erant: I. *Confeſſus fratri admiſſo in forma*, Dudùm, *tenetur eadem peccata in numero iterùm Curato Confiteri*: II. *Concluſiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joannem XXII. ſunt ſatis veræ: & à quocumque Literato ſufficienter poſſent teneri.* III. *Statutum Joannis XXII. editum, Vas electionis, eſt irritum & inane, quia, cùm illud fecit,*

erat

erat hæreticus. IV. *Stante Statuto*, Omnis utriuſque Sexus, *nec Deus, nec Papa de potentia ſua poteſt facere, quin confeſſus Fratri Mendicanti admiſſo, iterùm teneatur confiteri ſuo Curato*. V. *Confeſſio Fratribus admiſſis facta, eſt dubitabilis & incerta. Quapropter omnes tenentur dimittere incertum, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœna peccati mortalis*. VI. *Quamvis Fratres admiſſi habeant auctoritatem abſolvendi & audiendi Confeſſiones; tamen populus ſubjectus non habet poteſtatem accedendi ad Mendicantes admiſſos, ſine licentia Proprii Sacerdotis, & Fratres petentes Privilegia pro Confeſſionibus audiendis, & Sepulturis habendis, ſunt in peccato mortali, & excommunicati: Et Romani Pontifices talia Privilegia concedentes Mendicantibus, aut iiſdem confirmantes, ſunt in peccato mortali, & excommunicati*. VII. *Fratres non ſunt aut fuerunt Paſtores, ſed fures, latrones, & lupi*. VIII. *Sacerdos Curatus, dans licentiam Mendicantibus audiendi Confeſſiones, magis diſpenſat cum Statuto*, Omnis utriuſque Sexus, *quàm Papa Fratribus dans licentiam, juxta formam Decretalis*, Dudùm. Hos Articulos erroneos, & ſacris Canonibus contrarios proſcripſit *Alexander V.* Pontifex Maximus, ſtatuitque, ut *ſi quis deinceps illos aſſerere, aut in ſcholis vel alibi gloſſare, defendere, ſeu tenere aut prædicare præſumpſerit, tanquàm Hæreticus ſit cenſendus, & excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, à qua niſi per Summum Pontificem, præterquàm in mortis articulo, non poſſit abſolvi*. Eoſdem Articulos ab *Alexandro V.* confixos, paritèr damnavit *Eugenius IV.* Diplomate quod incipit: *Dudùm felicis* dato die XVII. Kalen.

lend. Februarii anni MCCCXLVI. & Conſtitutionem *Bonifacii VIII. ſuper Cathedram*: ac *Joannis XXII.* Decretalem: *Vas electionis*, in gratiam Fratrum Mendicantium editas, confirmavit. Ejuſdem cauſæ Religioſorum Mendicantium adversùs Parochos patrocinium ſuſceperunt alii decimi quinti Sæculi Romani Pontifices *Nicolaus V. Callixtus III. Sixtus IV.* quorum poſtremus anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio, pridiè Kalend. Septembris Conſtitutionem edidit, FF. Minorum Privilegia continentem, quæ *Mare Magnum* nuncupari ſolet, quâ *Joannis XXII. Eugenii IV. & Nicolai V.* Decreta de non iteranda Confeſſione Fratribus Mendicantibus factâ confirmat, & adversùs eos, qui contrarium aſſeruerint, *tanquàm de Hæreſi ſuſpectos*, ab Epiſcopis, & Fidei Inquiſitoribus agi jubet. Hæc fuit conſtans Summorum Pontificum XV. Sæculi mens de jure, quo potiuntur Religioſi excipiendi fidelium confeſſiones etiam tempore Paſchali. Verùm, hæc lis, non obſtantibus tot Romanorum Pontificum Decretis, Sæculo XV. finita non eſt, ſed ei identidem repullulanti finem tantùm Sæculo XVI. impoſuerunt Summi Pontifices, quorum Decreta, ut exitum iſtius Controverſiæ exploratum habere poſſis, hìc breviter indicabo. *Leo X.* in Conſtitutione, quæ incipit: *Dùm intra mentis arcana*, quæ in Concilio Lateranenſi v. Seſſ. XI. lecta & approbata eſt, perſpicuè declaravit, eos qui Fratribus Mendicantibus confeſſi ſunt, Canoni *Omnis utriuſque Sexus*, ſatisfeciſſe: *Poſſint*, inquit Summus ille Pontifex, *per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos, ſuper ſufficienti literatura*, & *aliqua ſaltem hujuſmo-*

di

di Sacramenti peritia dumtaxàt examinari: talibuſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit, Omnis utriuſq; Sexus, *quoad Confeſſionem dumtaxàt, ſatisfeciſſe cenſeantur*. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono *Paulus III.* licentiam generalem Patribus Societatis Jeſu conceſſit audiendi fidelium Confeſſiones, nullumque omninò tempus excepit, nequidem Quadrageſimale, aut Paſchale, vel articulum mortis. *Paulus IV.* Diplomate, quod incipit: *Ex Clementi*, dato anno MDLV. Privilegia Fratribus Minoribus de Obſervantia ab *Eugenio IV. Nicolao V.* & *Sixto IV.* ſuper audiendis Fidelium Confeſſionibus confirmavit. *Clemens VIII.* anno MDXCII. Conſtitutionem edidit, quâ præcipit Archiepiſcopo Cameracenſi, & Epiſcopo Atrebatenſi, ut Parochos in Officio contineant, & ne prohibeant plebem ſibi ſubditam quominùs Regularibus tempore Paſchali confiterentur: *Præſenti noſtro Decreto*, inquit, *ſancimus licere Sæcularibus Chriſti Fidelibus univerſis, liberè Miſſas audire, &c. Et tam dictis Fratribus & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis Privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe: dummodò tamen iidem Sæculares Chriſti Fideles Sacramentum Euchariſtiæ die Feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant*. Hæc Summorum Pontificum Sæculi XVI. Decretis in gratiam Religioſorum Mendicantium editis novum robur addiderunt Pontifices, qui Sæculo XVII.

Romanam Eccleſiam gubernarunt. Ortâ ſiquidem anno MDCXLV. inter *Henricum*, Burdegalenſem Epiſcopum, & Regulares Controverſiâ de audiendis Fidelium Confeſſionibus tempore Paſchali, *Innocentius X.* poſt maturam à ſacra Congregatione Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini cauſæ diſcuſſionem habitam, pronuntiavit, licere Regularibus, Apoſtolica Privilegia habentibus, Fidelium Confeſsiones audire à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, deditque eâ de re Conſtitutionem ſeptimo Idus Februarii, quæ incipit: *Exponi nobis &c.* idem ſanxit *Alexander VII.* anno MDCLIX. Kalend. Februarii in Cenſura quarumdam Propoſitionum ab Illuſtriſsimo Epiſcopo Andegavenſi ad Sedis Apoſtolicæ examen tranſmiſſarum. Denique *Clemens X.* Conſtitutione, quæ incipit: *Suprema*, datâ Romæ XI. Kal. Junii anni MDCLXX. declarat, *Regulares ſimpliciter ab Ordinariis approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque etiam infirmorum Confeſſiones audire abſque nulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo, ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones præcipi: Sufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per Scripturam apud ipſum infirmum relinquendam, & eos, qui dictis Religioſis ſimplicitèr approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit: Omnis Utriuſque Sexus, quoad Confeſſionem dumtaxàt, ſatisfeciſſe cenſendos.* Hæc Summorum Pontificum

De-

Decreta, quæ cauſæ Religioſorum Mendicantium apertè ſuffragantur, ſi quis, ſemoto omnium partium ſtudio, expendere non gravetur, mirabitur profectò, quòd *Gaſpar Iuenin*, Gallicani Oratorii Presbyter, in ſuo *Commentario Hiſtorico & Dogmatico De Sacramentis*, Quæſtione v. *De Confeſſione*, Parag. II. confidentèr aſſerat, nullam proferri poſſe Romanorum Pontificum Conſtitutionem, quæ facultatem permittat Religioſis Mendicantibus Confeſsiones Fidelium excipiendi tempore Paſchali abſque licentia Parochi, & ſimùl declaret, Fideles tempore Paſchali confitentes Religioſis Mendicantibus ab Epiſcopo approbatis ſatisfacere Canoni Concilii Lateranenſis *Omnis utriuſque Sexus*. Mirabitur, inquam, quiſquis hanc prædicti Scriptoris Aſſertionem audiet, tùm quia certiſsimum eſt, Summos Pontifices in iſtius Controverſiæ diſcuſsione ſecundùm Religioſos ſemper tuliſſe ſententiam:ad conſervanda eorum Privilegia, quæ invidi & æmuli obtrectatores, præſertim in Galliis, elevare, aut abrogare penitùs moliebantur, propenſiſsimam voluntatem demonſtraſſe, atque jam laudata dediſſe Diplomata, ut ſenſum Canonis, *Omnis utriuſque Sexus*, aperirent, ac Fidelibus palàm facerent, *Proprii Sacerdotis* nomine ita deſignari Parochum, ut Epiſcopus in tota Diœceſi ſua, & ubique Chriſtianarum gentium Romanus Pontifex, *Proprii Sacerdotis* nomine ad mentem Concilii Oecumenici Lateranenſis IV. intelligendi ſint, qui ſubindè alios à Parochis Sacerdotes, cùm Sæculares, tùm Regulares ad audiendas Confeſsiones Fidelium, etiam tempore Paſchali, coadjutores & cooperatores jure, & abſ-

que

que Parochorum licentiâ aſſumere poſſunt: Tum quia etiam ab omni veri ſpecie alienum eſt, *Innocentium III.* Pontificem Maximum, & quadringentos ampliùs Epiſcopos, qui hunc Canonem, *Omnis utriuſque Sexus*, in Concilio Lateranenſi condiderunt, & approbarunt; Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem ità Parochis addixiſſe, ut Romano Pontifici, & Epiſcopis, quibus Fideles, & ipſi Parochi ſubditi ſunt, jus Sacramenti Pœnitentiæ Fidelibus tempore Paſchali adminiſtrandi adimere voluerint. Quod ſi ſemel fateantur Parochi, *Innocentium III.* & Patres Concilii Generalis Lateranenſis IV. nomine *Proprii Sacerdotis* intellexiſſe non ſolùm Curatos, ſed etiam Summum Pontificem, & Epiſcopos, neceſſe itidèm eſt, ut fateantur, Summum Pontificem, & Epiſcopos, non ſolùm per ſe Confeſsiones audire, ſed etiam adminiſtrandi quovis anni tempore Pœnitentiæ Sacramenti provinciam ſelectis & à ſe approbatis Sacerdotibus, ſive Regularibus, ſivè Sæcularibus committere poſſe, ac ſubindè Religioſos Mendicantes à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis approbatos facultatem habere Confeſsiones Fidelium excipiendi, etiam tempore Paſchali, abſque licentia Parochi.

D. In tuam ſententiam lubentiſſimè deſcendo, & ad veram pacem in utroque Clero, tàm Sæculari quàm Regulari, ſartam tectam perpetuò conſervandam vehementèr opto, ut omnes, cùm Parochi, tum Viri Regulares, ob unam Dei gloriam & animarum ſalutem in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione ſummâ ſemper conſenſione collaborent, & obſequia, quæ reddunt Eccleſiæ;

ſiæ; exigant ad charitatis Regulam, ſecundùm quam facilè iſta finietur Controverſia, quę tamdiù, tantâque animorum contentione diſceptata eſt. Si enim Parochi ſolâ charitate ducantur, Viros Religioſos ab Epiſcopis approbatos, zelo ſalutis animarum ferventes, ſibi in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione adjutores & cooperatores datos maximâ benevolentiâ complectentur. Similiter, ſi Regulares Privilegia ſibi à Summis Pontificibus, Conciliiſque in Fidelium Spirituale commodum conceſſa, eorumque uſum ad unius charitatis finem referant, iis modeſtè utentur, nec ullum unquàm negotium faceſſent Parochis, quibus ad procurandam animarum ſalutem velut cooperatores & coadiutores à Summis Pontificibus & Epiſcopis ſunt adjecti, ſicque mutuam ſibimetipſis opem ferent juxtà prudentiſſimum *Joannis Gerſonii*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Cancellarii, Conſilium, quod nuper legebam in libro ab ipſo edito *De Statibus Eccleſiæ* Conſideratione II. ubi hæc habet: *Status uterque ſtudeat alter alterius onera portare ſine contentione & æmulatione .... ne ſi invicem more cornicum ſe mordeant, conſumantur. Ne præterea ſurgat fœda opinio Eccleſiaſticorum apud Laicos & vituperetur miniſterium Verbi Dei. Nonne Deus, quæſo, abundè dives eſt pro omnibus? nonne pacis eſt Deus, non diviſionis? Denique, quid prodeſt Phariſaica contentio de ſtatus præeminentia? quid Sanctius eſt dare operam, ut quis perfectus inveniatur quàm ſi jacens in imis, de perfectione ſtatus glorietur?* Sed alia, ſi placet, proſequamur quæ ſpectant Diſciplinam Eccleſiaſticam Sæculi XV.

M. Electiones Epiſcoporum, & Abbatum Sæ-

Sæculo XV. liberè adhùc in Galliis ſiebant, Archiepiſcopi tamen, Epiſcopi, Abbates, & alii Beneficiati electi perſoluebant Romano Pontifici Tributum temporarium, cui *Annatæ* nomen inditum eſt, quòd ratione fructuum primi anni, titulo ſubſidii, ſolveretur, ut Romanus Pontifex par eſſet ferendis univerſæ Eccleſiæ oneribus, quæ ipſi graviſſima incumbunt, & præſertim ut faciliùs poſſet Imperii Chriſtiani adversùs Infideles defenſionem ſuſcipere; ſubvenire Catholicis Regibus, Hæreticorum quorumvis perduellium conjurationes reprimere; Prædicatores in terras Infidelium ad fines Eccleſiæ propagandos mittere; Neophytis, & pro Fidei cauſa exulibus neceſſaria ſuppeditare ſubſidia, & pauperum Urbis ac Ditionis totius Eccleſiaſticæ levare inopiam. His univerſalis Eccleſiæ neceſſitatibus ut commodiùs conſulere poſſent Romani Pontifices, Tributum illud temporarium, ſeu Annatas Beneficiorum Eccleſiaſticorum percipiebant Sæculo XV. & etiamnùm jure optimo percipiunt. Fuerunt tamen nonnulli Scriptores, quos inter cenſetur *Joannes Launojus*, in libro quem edidit *De Veneranda Romanæ Eccleſiæ Traditione circà Simoniam*, qui *Annatas*, velut execrandum Simoniæ genus, perſtringere auſi ſunt, contra quos *Proſper Fagnanus*, Vir Pontificii juris peritiſſimus, Commentariis in primam partem libri v. Decretalium, ad Titulum, *Ne Prælati vices ſuas, &c.* & ad Caput, *Prætereà*, Annatarum originem, honeſtatem, æquitatem ac neceſſitatem multis rationibus probat & tuetur, quarum præcipuas hìc ſubjicere non pigebit. I. Summo Sacerdoti *Decimam partem Decima-*

rum

rum ſolvi lex vetus præcipiebat (Numerorum cap. XVIII.) Debent igitur, loco Decimarum, ſolvi Annatæ Romano Pontifici, qui Summus Novæ Legis Sacerdos eſt, & cujus miniſterium longè amplius eſt ac præſtantius, quàm legalis Pontificis, qui Sacrificiorum dumtaxat curam gerere tenebatur, & eorum, quæ judaicam Religionem ſpectabant; Romanus verò Pontifex Supremus eſt totius Eccleſiæ Sacerdos, ut in confeſſo eſt apud omnes Catholicos. II. Omnibus curam animarum gerentibus ſoluuntur Decimæ, quantò igitur magis Romano Pontifici, qui conſtitutus eſt Paſtor totius gregis Dominici, & qui omnium Eccleſiarum curam ac ſollicitudinem habet, Annatæ, Decimarum loco, perſolvere oportet. III. Eccleſia univerſalis unum Corpus myſticum eſt in multa membra diviſum, cujus Caput viſibile eſt Romanus Pontifex, membra autem ſunt cæteræ Eccleſiæ per orbem Chriſtianum diffuſæ. Cùm igitur omnia membra Capiti ſubvenire debeant, tenentur Eccleſiæ Annatas, quæ ſunt ſubſidia temporalia, Summo Pontifici conferre. IV. Cathedrales Eccleſiæ & Abbatiæ fundatæ & erectæ non fuêre abſque Romanæ Eccleſiæ auctoritate, quæ propterea *Omnium Eccleſiarum Mater* appellatur, quia omnes Eccleſiæ ex ea prodierunt. Porrò, Eccleſiæ Romanæ ſponſus viſibilis eſt Summus Pontifex, *Omnium Chriſtianorum Pater & Doctor*. Cùm igitur Filiis incumbat obligatio Patri naturali ſubminiſtrandi alimenta, ut ipſa lex naturalis docet, multò magis Patrem Spiritualem juvare debent Filii Spirituales, eique temporalia ſubſidia non negare. Annatæ autem ſunt ſubſidia temporalia, quæ

Romano Pontifici, utpotè Spirituali Omnium Chriſtianorum Patri, debentur. V. Principi Laico tributa & ſtipendia ſoluuntur, eique hujuſmodi debentur ſubſidia, quia juſtitiæ in ſuis ditionibus ſervandæ invigilat; igitur potiori jure Romano Pontifici, qui univerſæ Eccleſiæ præeſt, & qui tam juſtitiæ, quàm Diſciplinæ toto in Orbe Chriſtiano cuſtos eſt & vindex, majorum judex & arbiter cauſarum, ſubſidia quædam, ſeu Annatæ debentur, quò poſſit ferre regiminis onera, & publicis Eccleſiæ neceſſitatibus pro viribus proſpicere, quibus certè, vacuo ærario, conſulere minime poſſet. His & aliis rationibus *Proſper Fagnanus* locis mox à me laudatis invictè probat, Annatas jure optimo eſſe debitas Romano Pontifici, ibidèmque diluit omnes Objectiones Scriptorum tàm Hæreticorum, quàm quorumdam Catholicorum, qui in illas invehebantur, earùmque exactionem Simoniacam & illicitam eſſe aſſerebant. Legi etiam poteſt idem *Proſper Fagnanus* in Commentario in Librum I. Decretalium, *De Pactis*, Capite *Cùm pridem*, ubi quærit, utrùm Annatæ in Romana Curia licitè exigantur, & ſine labe Simoniæ? cui quæſtioni brevitèr reſpondet, Annatarum exactionem eſſe licitam & ſine ulla Simoniæ labe fieri, quia Annatæ ſoluuntur non pro collatione beneficii Eccleſiaſtici, ſeu proviſione, ſed ſolùm pro fructibus primi anni beneficiorum vacantium, qui pro dimidia ſpectant ad Sedem Apoſtolicam ex juſtiſſimo titulo reſervationis, quam Romani Pontifices pro tanti officii, laboris, & dignitatis ſuſtentatione ſibi fecerunt. Undè ſolutioni Annatarum, quam exigit Camera Apoſtolica non pro ullo

ullo jure Spirituali, aut Spiritualibus annexo, ſed pro fructibus merè temporalibus,ad ſe legitimè pertinentibus, nefas eſt ullam ſimoniæ, aut turpis lucri notam inurere. Ob emergentes Sæculo XV. graviſſimas Eccleſiæ neceſſitates, conceſſerunt aliquandò Pontifices Romani Principibus Chriſtianis, ut Decimas, vel certam pecuniæ Summam ex omnibus ditionum ſuarum Eccleſiis colligerent. *Eugenius IV.* centeſimam reddituum Eccleſiaſticorum Hiſpaniæ, Angliæ, Franciæ, & Delphinatus anno MCCCCXXXI. conceſſit Regi Cypri, ut obſides Sultano Ægypti datos, cùm ex ipſius carceribus dimiſſus eſt, liberaret. Conceſſit itidèm anno MCCCCXLIII. *Alphonſo* Aragoniæ & Siciliæ Regi ſubſidium ducentûm mille florenorum auri per duos annos ex Eccleſiis ditionum ſuarũ percipiendum. *Nicolaus V.* anno MCCCCLIII. vindicandæ à Turcarum tyrannide Conſtantinopolis deſiderio flagrans, Sacram Expeditionem indixit, ad eamque promovendam univerſo Eccleſiæ Clero Decimas impoſuit. *Calliſtus III.* anno MCCCCLVII. à *Carolo VII.* Galliarum Rege obtinuit, ut Sacræ pariter Expeditionis contra Turcas causâ, Decimas omnibus Galliarum Sacerdotibus imponeret, ut conſtat ex Epiſtola ejuſdem Summi Pontificis, quâ *Carolo VII.* gratias agit,editâ Tomo IV. *Spicilegii* pag.391.*Pius II.* in Mantuano Conventu anno MCCCCLIX. Decimam generalem, indicto bello Sacro, ab univerſalis Eccleſię Clero ſolvi decrevit, conſentientibus Chriſtianis Principibus. Sæculo XV. cuſa fuit in Galliis *Pragmatica Sanctio*, ſeu *Carolina Conſtitutio*, quæ nihil aliud eſt, quàm celebris illa Conſtitutio in Bituricenſi Concilio ſub

Carolo VII. Galliarum Rege anno MCCCCXXXVIII. edita ac promulgata, quæque XXII. continebat articulos, & eò potiſſimùm tendebat, ut Regni Beneficiorum Collatoribus ordinariis ſua relinquerentur conferendi jura: Ut Cathedrali vacante Sede, à Clero ſive Capitulo eligerentur Epiſcopi, & ut Reſervationes particulares, & gratiæ expectativæ abolerentur. Viguit aliquandiù in Galliis hæc Pragmatica Sanctio, ſed tandem poſt obitum *Caroli VII.* ejuſque ſucceſſorum *Ludovici XI. Caroli VIII.* & *Ludovici XII.* ſublata eſt per *Concordatum Gallicum* anno MDXVI. initum inter *Leonem X.* Romanum Pontificem, & *Franciſcum I.* Chriſtianiſſimum Galliarum Regem. De hoc Concordato Gallico pleniùs diſſeremus in Colloquio ſexto in Hiſtoriam decimi ſexti Eccleſiæ Sæculi. In Germania Sæculo XV. pro Beneficiis tàm collativis, quàm electivis initum eſt *Concordatum* inter *Fridericum III.* Imperatorem & *Nicolaum V.* Romanum Pontificem anno MCCCCLVIII. & confirmatum à *Clemente VII* & à *Gregorio XIII.* in hoc Concordato Germanico circà Beneficia determinantur quatuor iſta potiſſimùm Capita. Primò Collationes Beneficiorum omnium in Curia Romana, vel intra duas dietas ab Urbe, quomodocùmque vacantium, Summo Pontifici reſervantur. Secundò, pro electivis Beneficiis relinquitur Cathedralibus Eccleſiis jus eligendi ſuos Epiſcopos, & Monaſteriis jus eligendi Abbates, & Summo Pontifici jus confirmandi, ita ut, quâcumque electione factâ, Summus Pontifex eum promovere poſſit, quem de Cardinalium Conſilio digniorem & utiliorem Eccleſiæ judicaverit: *Si*

Ca-

Canonicæ fuerint electiones, Confirmabimus, niſi ex rationabili & evidenti cauſa, ac de Fratrum Conſilio de digniori & utiliori perſona duxerimus providendum. Tertiò, pro collativis Beneficiis ſtatuitur, ut alternatim ità à Papa & Collatoribus ordinariis omnia ſivè ſæcularia, ſivè regularia conferantur Beneficia, ut à Summo Pontifice menſe *Januario* vacantia, ab ordinariis verò menſe *Februario*, & ſic deinceps alternis menſibus, adeò ut Papa Beneficia vacantia conferat per ſex menſes alternos, qui ideo *Menſes Papales* dicuntur; ordinarii verò Collatores per ſex alternos alios menſes. Excipiuntur tamen Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Dignitates, quæ ſemper à ſuis Collatoribus ordinariis conferendæ relinquuntur. Quartò denique, pro Dignitatibus, Perſonatibus, & aliis quibuſcumque Beneficiis à S. Sede collatis, decernitur, ut primi anni horumce Beneficiorum redditus, per modum *Annatæ* ſolvantur, exceptis tamen, quæ vi expectativæ gratiæ, vel permutationis causâ, fuerint collata, aut quæ valorem viginti florenorum auri de Camera non excedunt. Hoc Germanicum Concordatum, quo reguntur etiam in *Lotharingia*, & in *Alſatia* Galli, juſſu *Maximiliani* Imperatoris fuit promulgatum Leodii anno MDXVIII. & *Caroli V.* Imp. Edicto in Eccleſia Cameracenſi executioni mandari juſſum anno MDLIV. vigetque per extenſionem, ex ſpeciali indulto, in Eccleſiis Metenſi, & Virdunenſi, quæ Metropoli Eccleſiæ Trevirenſi ſubduntur. Rex tamen Chriſtianiſſimus *Ludovicus XIV.* Indultum obtinuit ab *Alexandro VII.* anno MDCLXIV. quod poſteà à *Clemente IX.* confirmatum eſt anno MDCLXVIII. pro

nominatione ad Epiſcopatus *Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem*, necnon ad alia in his Diœceſibus ſita Conſiſtorialia Beneficia, ut videre eſt apud *Doujatium* in *Specimine juris Eccleſiaſtici*.

D. Quam Diſciplinam Sæculo XV. circà Epiſcopos, & Clericos obſervavit Eccleſia?

M. Epiſcopi electi Fidelitatem Romano Pontifici ante Conſecrationem ſuam Sæculo XV. jurabant, qui ſolemnis ritus etiamnùm obſervatur, ejusque juramenti formula extat in Romano Pontificali, *Clementis VIII.* juſſu reſtituto atque edito, juxta quem conſecrandus Epiſcopus à Conſecratore interrogatur in hunc modum: *Vis Beato Petro Apoſtolo, cui à Deo data eſt poteſtas ligandi ac ſolvendi, ejuſque Vicario Domino noſtro N. Papæ N. ſuiſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus, fidem, ſubjectionem, & obedientiam, ſecundùm Canonicam Auctoritatem, per omnia exhibere?* qui reſpondet: *Volo.* Translationes Epiſcoporum non fiebant Sæculo XV. niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel majorem utilitatem. Reſidentiam antiquis Canonibus, & Decretalibus Summorum Pontificum Epiſtolis imperatam, obſervabant Epiſcopi, eorumque abſentia à grege ſibi commiſſo, niſi eam Eccleſię neceſſitas, aut gravis utilitas excuſaret, magno in vitio habebatur. Plures Epiſcopatus ſive in titulum, ſive in Commendam poſſidere non licebat, vel alia ab Epiſcopatu Beneficia abſque legitima Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Contra Beneficiorum pluralitatem *Jacobus* Cardinalis *Papienſis* qui Sæculo XV. floruit, elegantem ſcripſit Epiſtolam, quæ eſt quingenteſima quadrageſima ſeptima, ad *Gonzagam*, Cardinalem Mantuanum, in qua hæc habet:

bet; *Congeries hæc Sacerdotiorum, ad quem uſum ſunt in domibus Sacerdotum? Si ad neceſſitatem parantur, audiamus admonentem Apoſtolum: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. Si ad cupiditatem explendam, etiam ejuſdem increpantis vocem intelligamus:* Mortificate avaritiam, quæ eſt Idolorum ſervitus: *quia* non poteſtis, *inquit Salvator,* Deo ſervire & Mammonæ. *Sin verò ad luxum vitæ & pompam, idem quod Chananeæ reſponſum nobis ſciamus:* Non eſt bonum ſumere panem filiorum & canibus mittere.......... *Recenſe verò mecum coacervatarum adminiſtrationum quanta ſint mala, quantiſque nos involvant criminibus. Defraudamus primo loco Deum gloria juſti obſequii ſui: quod enim illi perſolvi pluribus adminiſtrantibus oporteret, per unum cogimus fieri. Quàm verò ritè, quàm diligenter pièque fiat, ipſi nos conſcii ſumus. Per Prophetam ideò Dominus comminatur:* Væ qui conjungitis domum ad domum. *Rursùs debilitamus corpus Eccleſiæ. Quatuor, quinque, pluriumve Præſulum ſedes occupat unus....... De ovibus creditis meremur indignè, à quibus, juxta verbum Apoſtoli, metentes carnalia, non ſeminamus eis ſpiritualia. Noſtrum unicuique ſigillatim præcipitur:* Cognoſce diligenter vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera: *in quibus, quòd debitores Deo omnium ſumus, quidquid perit, animabus noſtris haud dubiè perit, reddituris ante Tribunal juſti Judicis, piè crediti, ſed malè adminiſtrati operis ſeveriſſimam rationem, quam neſciæ reddere, in tenebras exteriores ejicientur, ubi fletus erit & dentium ſtridor. Adde publicum odium meritò ex tanta inſania in nos comparatum. Lamentari Eccleſias vides, quòd*

his cumulis egenorum panes eripimus ; dolere populos, quod veneranda Paſtoribus loca plena nunc mercenariis vident : Clamant, non eſſe nos memores paupertatis antiquæ, propter quam crevit Eccleſia : non videri diſcipulos Chriſti , qui de craſtino vetuit eſſe ſollicitudinem , & duas veſtes habentem dare alteri non habenti præcepit : omnia ad privatam pompam luxumque referri, quodque multorum eſſe oporteret, injuſta diſpenſatione ad unum aliquem redigi : Animæ autem tam eſſe curam exiguam , quàm magna eſt corporis . Hoc , longiuſculum licèt , *Jacobi* Cardinalis *Papienſis* teſtimonium hìc exſcribere neceſſarium eſſe duxi, ut indè intelligeres, ſpiritualem polygamiam , ſeu Beneficiorum pluralitatem Sæculo XV. ſicut & in aliis præcedentibus , proſcriptam ac prohibitam fuiſſe Clericis,quandò unum ad vitam honeſtè ſuſtentandam ſufficit,nec ſubeſt aliqua neceſſitas , aut Eccleſiæ utilitas plura Beneficia poſſidendi . Epiſcopi , & Beneficiati bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatores tantùm , & non domini Sæculo XV. cenſebantur , eiſque vetitum erat , ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos locupletarent , aut illorum cauſâ bona Eccleſiaſtica diſtraherent , aut diſſiparent . Clerici Juriſdictioni Epiſcoporum ita Sæculo XV. ſubditi erant , ut ad ſæculare judicium trahi non poſſent , ſed eorum cauſæ ac lites à ſolis Epiſcopis componerentur . Deniquè, Clerici ab exactionibus, vectigalibus, publiciſque oneribus erant liberi , & his , qui tùm doctrinâ, tùm pietate digniores erant , Beneficia conferebant Epiſcopi , ad quos ſolos de jure pertinebat proviſio , ſeu inſtitutio Beneficiorum Eccleſiaſti-

co-

corum, quamvis tamen Patroni, etiam Laici, jus haberent aliquem ad Beneficia ſui jurispatronatus Epiſcopo, ſeu loci ordinario, præſentandi.

D. Monaſticæ Diſciplinæ, quæ Sæculo XV. viguit, priuſquàm præcipua capita percurramus, Rogo te, ut in medium proferas Religioſos illos Ordines, quos eodem Sæculo peperit, aut reformavit Eccleſia.

M. Inter Religioſos Ordines, quos Sæculo XV. peperit aut reformavit Eccleſia, primum locum, habitâ ratione temporis, obtinet Congregatio *Sanctæ Juſtinæ*, ita dicta à Monaſterio Sanctæ *Juſtinæ* apud Patavium. Huic Monaſterio *Gregorius XII.* præfecit Abbatem *Ludovicum Barbum*, Patritium Venetum, & Congregationis Canonicorum Sancti *Georgii in Alga* Moderatorem, qui collapſam in eo Regularem Diſciplinam felicitèr inſtauravit, & Ordini Sancti *Benedicti* priſtinum ſplendorem in Italia conciliavit circa annum MCCCCVIII. Hæc celebris Congregatio dicta eſt etiam *Caſſinenſis*, eò quòd prædicta Ordinis Sancti *Benedicti* in Italia reformatio, ac exacta Monaſticæ Diſciplinæ Obſervantia maximè vigeret in Monaſterio apud Montem Caſſinum ex quo innumeri prodierunt Monachi doctrinâ & pietate conſpicui. De hac Sanctæ *Juſtinæ*, ſeu *Caſſinenſi* Congregatione plura legeſis in Hiſtoria Cænobii Sanctæ *Juſtinæ*, & apud *Maurolicum* in Mari Oceano omnium Religionum, & apud *Aubertum Miræum* in *Originibus Benedictinis*. Prodiit eodem anno MCCCCVIII. altera Congregatio Canonicorum Regularium Sancti *Salvatoris Silvæ lacus* propè

propè Senas, inſtituta à *Stephano* Senenſi, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini; qui, ut videre eſt apud *Henricum Spondanum* ad ann. MCCCCVIII. Num.XIX. mutato, auctoritate *Gregorii XII.* Pontificis Maximi, habitu, Canonicus regularis effectus eſt, ejuſque operâ coaluit hæc Congregatio, quæ primùm ab Eccleſia Sancti *Salvatoris*, quæ eſt in Silva Ilicum ad lacum Civitati Senenſi vicinum, nuncupata eſt Congregatio Sancti *Salvatoris Silvæ-lacus*, ſed poſteà à vulgo *Scopetinorum* Congregatio dicta eſt ab Eccleſia Sancti *Donati de Scopeto* Florentiæ ſitâ, quam *Martinus V.* huic Congregationi Sancti *Salvatoris* univit. Congregationem illam confirmavit *Gregorius XII.* Nonis Aprilis anni MCCCCVIII. cujus ea de re Conſtitutio edita eſt in Bullario Romano. Regulam Sancti *Auguſtini* his Canonicis tradidit idem Pontifex, voluitque ut ſub albo Scapulari Rochetum, ſuperiùs autem cappam griſei coloris lanæ mordentis, inſtar capparum Converſorum Chartuſienſium geſtarent. Eamdem Congregationem gratiis ac privilegiis ampliſſimis auxit, atque exornavit *Julius II.* Conſtitutione, quam dedit anno MDXII, quæ incipit: *Inter cæteros*, & extat in Tomo I. Bullarii Romani. De iſta Congregatione ſi plura ſcire deſideres, conſule *Gabrielem Pennottum* lib. 2. *Hiſtoriæ Tripartitæ* cap. 51. & ſequentibus. Obſervat *Spondanus*, nonnullos referre hujus Congregationis initium ad Pontificatum *Gregorii XI.* ſed eos ſimilitudine nominis fuiſſe deceptos, cùm certum ſit, eam ſolùm cœpiſſe ſub Pontificatu *Gregorii XII.* Congregatio Eremitarum Sancti *Hieronymi de Feſulis*, quæ à Beato

Beato *Carolo* filio *Antonii* Comitis *Montiſgranelli* Diœceſis Sarſinatis in Romandiola anno MCCCLXXX. fuerat inchoata, ad Regularem Profeſſionem ſecundùm Conſtitutiones Sancti *Hieronymi* nomine inſignitas ab *Innocentio VII.* admiſſa & approbata eſt anno MCCCCV. confirmata etiam à *Gregorio XII.* anno MCCCCXV. Regulam Sancti *Auguſtini* deinde Eremitæ hujus Congregationis amplexi ſunt, approbante *Eugenio IV.* qui Generalis Præpoſiti eligendi facultatem ipſis conceſſit, & multis gratiis ac privilegiis Congregationem cumulavit Conſtitutione datâ VII. Kalendas Auguſti anni MCCCCXLI. Celebris erat Sæculo XV. Congregatio *Friſonaria* inſtituta à *Bartholomæo Columna*, nobili Romano, qui in Monaſterio Sanctæ Mariæ *Friſonariæ* non procul à *Luca*, Urbe Tuſciæ, Canonicam diſciplinam ſub Regula Sancti *Auguſtini* circa annum MCCCCXCVI. primùm reſtituit, quæ tota deinde in Italia recepta eſt titulo *Congregationis Lateranenſis*, à Baſilica Lateranenſi Romana, ubi reſtituti per *Eugenium IV.* Canonici Regulares eam rexerunt uſque ad tempora *Sixti IV.* qui eorum loco Canonicos ſæculares conſtituit. In Hiſpania *Martinus Vargas*, Doctor Theologus, & Monachus Cœnobii Petræ in Aragonia, Româ reverſus cum aliis duodecim ſodalibus, in Monaſterio *Montis Sion* non procul à Toleto conſedit, ubi veterem diſciplinam Ordinis Ciſtercienſis revocavit, & Congregationem ſub titulo Sancti *Bernardi* anno MCCCCXXV. inſtituit, quam *Martinus V.* approbavit. Reformationem Ordinis Sancti *Franciſci* Sæculo XV. hoc eſt, circa annum MCCCCXIX. aggreſſus eſt Sanctus *Ber-*

Bernardinus ejuſdem Ordinis, magni tunc nominis, ac pietatis, doctrinæque Vir, ſed præcipuè Sanctiſſimi nominis *Jeſu* cultor & amator. Hic patriâ Senenſis, Monaſteria Fratrum Minorum, quos ab antiqua Sancti *Franciſci* ſeveritate ſenſim deſciviſſe ægrè videbat, ad veterem diſciplinam revocare ſategit, indequè Franciſcanis, qui huic Sancti *Bernardini* Reformationi adhæſerunt, inditum eſt *Obſervantinorum* nomen, ad diſcrimen Fratrum *Conventualium* ejuſdem Ordinis, qui in recepta jam vivendi formâ juxta privilegia & diſpenſationes à Sede Apoſtolica conceſſas permanere voluerunt. Extant Sancti *Bernardini* præclaræ res geſtæ à diverſis Authoribus conſcriptæ, quæ ingentium ab eo editorum miraculorum, & copioſiſſimorum, quos è ſuis fervidis per totam Italiam prædicationibus colligebat, fructuum ſunt evidentiſſima argumenta. Obiit hic Sanctus Ordinis Franciſcanorum reformator, & ardentiſſimus atque efficaciſſimus Concionator anno MCCCCXLIV. Aquilæ in Veſtinis, ſive, ut nunc vocant, in Aprutio, ubi adhuc ejus corpus integrum viſitur. Fuit à *Nicolao V.* in Sanctorum numerum ſolemni ritu anno MCCCCL. relatus. Ejus vitam ab Auctore coævo deſcriptam refert *Surius* ad diem XX. menſis Maii, omniaque Opera de rebus Sacris & pietatis ab ipſo edita prodierunt Pariſiis anno MDCXXXVI. curâ & ſtudio F. *Joannis de la Haye* Franciſcani. Eodem tempore, quo reformationi Ordinis Sancti *Franciſci* incredibili zelo incumbebat Sanctus *Bernardinus*, Ordinem Sanctæ *Claræ*, ſeu Monialium Ordinis Sancti *Franciſci* paritèr reformavit B. *Coleta Boyleta*, Virgo

Cla-

Clariſſa, Corbejæ in Picardia nata, quæ ad Sanctum illud perficiendum opus, uſa eſt potiſſimùm conſilio P. *Henrici de Balma* Confeſſarii ſui, Viri morum integritate præſtantiſſimi, ſicque contigit, ut uno eodemque tempore in Ordine Sancti *Franciſci*, pari ardore Sanctus *Bernardinus* Virorum, & B. *Coleta* fæminarum reformationis curam ſuſceperint. B. *Coletam*, ob miraculorum merita, Officio Eccleſiaſtico à ſuis coli *Clemens VIII.* conceſſit, & *Paulus V.* confirmavit. Extat apud *Surium* ad diem VI. menſis Martii Vita Beatæ *Coletæ*, in qua legitur, S. *Vincentium Ferrerium*, Ordinis Prædicatorum, motum viſione de illa divinitùs habitâ, ex Hiſpania in Galliam veniſſe ut ipſam inviſeret, quod ſanè hujus Virginis Clariſſarum Reformatricis laudi ac præconio plurimùm confert. Prodierunt etiam Sæculo XV. duæ Congregationes Reformatæ, quarum una dicitur *Congregatio Lombardiæ*, Cremæ per *Gregorium Rocchium* Papienſem, & *Gregorium* Cremonenſem anno MCCCCXLIV. inſtituta, quæ eminet inter Congregationes reformatas Eremitarum Ordinis Sancti *Auguſtini*. Altera Congregatio, *Burſfeldenſis* appellata, initium habuit in Monaſterio S. *Matthiæ* apud Treveros, cujus Abbas tum temporis erat *Joannes Rodius*, inſignis pietatis Vir, qui auctoritate Apoſtolicâ ex Carthuſiano factus Benedictinus, Monaſticam vitam ſecundùm Regulam Sancti *Benedicti* inſtauravit. Hujus Reformationis Decreta *Burſfeldiæ* primùm anno MCCCCXXXV. ſuſcepta ſunt, undè hæc Congregatio *Burſfeldiana* fuit nuncupata. Eſt autem *Burſfeldia* exiguum Diœceſis Moguntinæ Monaſterium, cujus

jus exemplum ſecuta Germaniæ, & Gallo-Belgii Monaſteria,ſeſe huic Congregationi adjunxerunt. De hac Congregatione *Bursfeldiana* legendi ſunt *Tritbemius* in Chronico Spanheimenſi, & *Miræus* in Originibus Monaſticis lib. 2. cap. 25. & 26. Iam in Colloquio VI. in Hiſtoriam Sæculorum XIII. & XIV. obſervavimus, Regulam, quam B. *Albertus*, Patriarcha Hieroſolymitanus, tradidit Carmelitis, fuiſſe ab *Hugone à Sancto Caro* Tituli Sanctæ *Sabinæ* Presbytero Cardinali, Ordinis Prædicatorum,& à *Willelmo*, Anteradenſi Epiſcopo, auctoritate ab *Innocentio IV*. ſibi commiſsâ, declaratam, correctam, mitigatam, eamque mitigationem ab eodem Pontifice eſſe confirmatam Diplomate dato Lugduni Kalendis Septembris anni MCCXLVIII. At, præter illam primam Regulæ B. *Alberti* mitigationem, aliam ejuſdem Regulæ relaxationem, ſeu mitigationem, Sæculo XV. obtinuerunt Carmelitæ *ab Eugenio IV*. Pontifice Maximo, & qui eam ex eodem ordine hactenùs obſervant, *Mitigati Carmelitæ* nuncupantur. Quâ de re extat ejuſdem Pontificis Conſtitutio data XV. Kalendas Martii anni MCCCCXXXII. Tomo I. Bullarii Romani. Denique, Sæculo XV. hoc eſt, anno MCCCCLXVII. Sanctus *Franciſcus Paulanus* in Cœnobiolo propè Paulam fundamenta jecit Ordinis *Minimorum*, qui humilitate, quam ipſo nomine profitetur, verè magnus dici debet, & ob arctiſſimam Diſciplinæ Regularis obſervantiam, ac ſummam, quâ ergà omnes diffunditur, charitatem, toto Orbe Chriſtiano clariſſimus exiſtit. Hunc naſcentem Ordinem *Sixtus IV*. Pontifex Maximus confirmavit ſub nomine Eremitarum

rum

rum Sanĉti *Franciſci*, plurimiſque ornavit privilegiis, Conſtitutione, quæ incipit, *Sedes Apoſtolica*, datâ die XXIII. Maii anni MCCCCLXXIV. Hunc Ordinem confirmarunt etiam ſequentes Pontifices Romani, præſertim *Alexander VI.* qui juſſit, ut hic Ordo deinceps appellaretur *Ordo Fratrum Eremitarum Fratris Franciſci de Paula*. Humilitatem, Charitatem, & auſteram Vitæ obſervationem ita coluit Sanĉtiſſimus ille Inſtitutor, ut & alumnos ſuos *Minimos* vocari, & pro totius Ordinis Inſigni, ſeu Stemmate, nomen *Charitatis* gerere voluerit, eoſque quarto voto adſtrinxerit, quo tenentur cibis Quadrageſimalibus toto anni tempore veſci, exceptâ gravi infirmitate & ex Medicorum conſilio. Tres Regulas condidit S. *Franciſcus à Paula*, Fratrum, Sororum, & Tertii Ordinis utriuſque ſexus, quæ omnes à Sede Apoſtolica confirmatæ fuêre, ac præſertim à *Julio II.* pluribus Conſtitutionibus paulò ante S. *Franciſci* obitum, & poſteà ab ejus ſucceſſoribus. Avitam Diſciplinæ Regularis obſervantiam adhùc ſtudioſè retinent hujus Ordinis Religioſi, qui virtutum fragranti odore peccatores ad pœnitentiam alliciunt, jugi corporis mortificatione noĉtù diùque Deo inſerviunt, & Eccleſiam doĉtrinâ, & pietate, haud parum illuſtrant, ſeĉtantes veſtigia majorum ſuorum, qui eruditione & ſanĉtimoniâ conſpicui ſeſe totos Eccleſiæ utilitatibus devoverunt, ſuaque omnia diĉta ac geſta ſoliti erant condire ac temperare ſuavitate charitatis, quæ, juxtà Apoſtolum *Paulum*, omnia ſuffert, omnia ſperat, diſcordias averſatur, non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ *Jeſu Chriſti*, atque de ſingu-
lis

lis benè mereri ſtudet. Poteris aliquandò, ſi tibi per otium liceat, lectitare præclaros Ordinis Minimorum Annales, in quibus tàm S. *Franciſci à Paula*, quàm cæterorum Fratrum, totiuſque Ordinis egregia pietatis, necnon doctrinæ exempla & documenta accuratè referuntur.

D. Rem ſanè mihi longè gratiſſimam faceres, ſi S. *Franciſci à Paula*, Sanctiſſimi Minimorum Ordinis Inſtitutoris, cui, ex voto à Parentibus meis nuncupato, fui à teneris annis conſecratus, heroicas virtutes ac res præclarè geſtas paulò fuſiùs hic deſcribere velles, ut novis additis ſtimulis mea magis ac magis inardeſcat pietas ergà S. illum Patronum, quem impensè colo, & cui ſecundùm Deum incolumitatem meam ac bonam corporis valetudinem lubentiſſimè acceptam refero.

M. Apud *Paulam*, Calabriæ oppidum, poſt longam Matris ſterilitatem, ex voto facto Deo, & S. *Franciſco* Aſſiſiati, natus eſt S. *Franciſcus* dictus *de Paula*, qui poſt actam in ſumma puritate pueritiam, & in ſolitudine aſperrimo victu adoleſcentiam, ad natale ſolũ reverſus, Oratorium in fundo paterno extruxit, & adjunctis ſibi aliquot ſociis, novum inſtituit Religioſorũ Ordinem. Fuit Sæc. ſui Taumaturgus, qui ſtupendis claruit miraculis, quorum illud in primis celebre memoriæ proditum eſt, quòd à Nautis rejectus, Siciliæ fretum, ſtrato ſuper fluctibus pallio, cum ſocio tranſmiſit. Summis Pontificibus, Regibus, Principibusque, ob ſanctitatis famam longè latèque diffuſam fuit acceptiſſimus, & omnium gentium commendatione celebratus. *Ludovicus XI.* Galliarum Rex, gravi morbo detentus, *Franciſcum de Paula* ex Calabria

bria ad ſe mitti à *Sixto IV.* Romano Pontifice impetravit,eam in ſpem erectus,fore ut ejus precibus prolixiorem vitam adipiſceretur. *Franciſcum* venientem ſummo honore in genua procidens excepit Rex Chriſtianiſſimus, eique ac Fratribus Cœnobium extruxit ad *Pleſſiacum Parci* propè Turonum. *Philippus Cominæus*, qui *Franciſcum de Paula* viventem adhuc in Galliis vidit, eum velut ſanctitatis & prudentiæ miraculum commendat in *Hiſtoria* quam edidit *Ludovici XI.* lib.6. cap. 9. ubi ait, *ipſum* Virum Sanctum *vulgò appellatum, à Rege Chriſtianiſſimo accerſitum, venire noluiſſe abſque Summi Pontificis & Regis ſui facultate. Nunquam ſe vidiſſe hominem viventem, qui magis ſanctè viveret, & in quo magis appareret quòd Spiritus Sanctus loqueretur per os ejus. Licèt Clericus aut literatus non eſſet, ſatis ei fuiſſe Italicam Linguam ſuam ut ſe admirabilem redderet. Illum Neapolim tranſeuntem, honoratum & viſitatum à Rege & filiis ejus fuiſſe ceu magnum aliquem Legatum Apoſtolicum, cum ipſiſque locutum velut hominem in Aula educatum. Indè Romam tranſeuntem, ab omnibus Cardinalibus viſitatum, & triplici vice audientiam habuiſſe apud Summum Pontificem, ſolum cum ſolo egiſſe, & propè ipſum aſſidere juſſum trium quatuorve horarum ſpatio, quotiès ad ipſum acceſſit. Ludovicum XI. in genua ante eum procubuiſſe, oraſſeque ut vitam ſibi prorogaret. Illum autem reſpondiſſe quod vir ſapiens reſpondere debebat.* Addit Cominæus, *ſæpè eum ſe audiviſſe coram Rege differentem, adſtantibus Magnatibus & Primoribus Regni, & viſum fuiſſe divinitùs inſpiratum circa ea, quæ dicebat, commonebatque.* Hoc locupletiſſimum *Philippi Cominæi*, probatiſſimæ fi-

dei, & coævi Hiſtorici teſtimonium abundè ſufficere debet ad plenam, ſuiſque omnibus numeris abſolutam commendationem virtutum S. *Franciſci de Paula*, qui annis & meritis plenus, vitæ ſanctitate illuſtris, & miraculorum magnitudine atquè frequentiâ clariſſimus ad Deum migravit Turonis in Gallia quarto Nonas Aprilis, in Paraſceve Paſchæ, anni MDVII. ætatis ſuæ anno nonageſimo primo. Eum *Leo X.* Pontifex Maximus, rogatus à *Franciſco*, Galliarum Rege, & ingentium miraculorum, quæ tam in vita, quàm etiam poſt mortem edidit, famâ ubique volitante excitus, in Sanctorum album retulit anno MDXIX. Hanc Sancti illius viri omnium votis exoptatam Canonizationem incredibili lætitiâ exceperunt Reges Chriſtianiſſimi, qui ſubindè non alitèr quàm *Patrem noſtrum S. Franciſcum* auditi ſunt nominare, & ut palàm facerent, quâ in veneratione nomen ejus, memoriamque haberent, quotiès S. *Franciſci de Paula* nomen proferrent, totiès Rex Caput reverentèr diſcooperiebat, Regina verò humilitèr inclinabat. Juſſit etiam *Franciſcus*, Rex Chriſtianiſſimus, monetam cudi, quæ ex una parte effigiem ſuam, ex altera S. *Franciſcum de Paula* repræſentaret, cum hac Inſcriptione: *Regiæ Stirpis Propagatori*. At, proh dolor! nefandi Hæretici Calviniſtæ, veræ virtutis & pietatis oſores, Sacrum B. *Franciſci de Paula* Corpus, quod poſt quinquaginta quinque quietis ejus annos integrum ac incorruptum fuerat anno MDLXII. repertum, tartareo ſacrilegio igne combuſſerunt, ac totam Galliam tam charo ac pretioſo theſauro per ſummam impietatem privarunt. Plura de S. *Franciſco de Paula*,

Paula, Ordinis Minimorum Fundatore, legeſis apud *Henſchenium*, & *Papebrochium* in Supplemento Hiſtorico Actorum S. *Franciſci de Paula* ad diem 11. Aprilis. Inter Religioſos Ordines, quos Sæculo XV. aut peperit, aut reformavit Eccleſia, locum etiam obtinere debent Congregatio Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. *Auguſtini*, & Ordo Monialium in honorem Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ inſtitutus. Congregationi Eremitarum Diſcalceatorum initium dedit *Baptiſta Poggius*, qui pietate ac doctrinâ apud *Carolum VII.* Galliarum Regem, & *Galeatium Mariam Sforciam*, Ducem Mediolanenſem, ſpectatiſſimus, primum Genuæ Conventum inſtituit, ſicut refert *Auguſtinus Juſtinianus*, Nepeſinus Epiſcopus, lib. v. Hiſtoriæ. Hæc Congregatio à *Sixto IV.* Pontifice Maximo fuit confirmata, uti teſtatur *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCCLXXIV. Ordinem Monialium, in honorem *Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, Toleti in Hiſpania nobilis Virgo Luſitana, dicta *Beatrix à Silva*, fundavit, eumque, rogante *Iſabella* Hiſpaniæ Reginâ, *Innocentius VIII.* Romanus Pontifex approbavit an. MCCCCLXXXIX. conceſſitque, ut ſub Regula Ciſtercienſis Ordinis, & Diœceſani Præſulis obedientia Moniales Deo ſervirent, titulo tamen Conceptionis *Mariæ* Virginis, & veſte primùm acceptâ, videlicet Tunicâ & Scapulari albis, ac Chlamyde cæruleâ ſervatis. Sed *Beatrice*, hujus Ordinis Fundatrice anno MCCCCXC. Defunctâ, ejus Sodales Sanctæ *Claræ* Regulam ſub eodem ſemper Conceptionis *Mariæ* Virginis nomine anno MCCCCXCIV. amplexæ ſunt, eaſque demùm *Julius II.* Pontifex Maximus Fran-

ciſcanorum curæ anno MDXI. commendavit. De hoc Ordine Monialium Conceptionis *Mariæ* Virginis diſſerit *Miræus* lib. v. Monaſticarum Originum cap. XIII.

D. His Congregationibus, & Ordinibus Religioſis, quos hactenùs in medium protuliſti, adjungere nunc debes Equeſtres Ordines, ſi qui tamen Sæculo XV. fuerunt inſtituti.

M. Priuſquàm de Ordinibus Equeſtribus, qui Sæculo XV. fuerunt inſtituti, breviter diſſeram, prætermittere haud poſſum Ordinem Virginum *Annunciationis B. Mariæ Virginis*, quem ſub finem Sæculi XV. B. *Joanna Valeſia*, Francorum Regina, *Ludovici XI.* filia, Avarici Biturigum in Galliis inſtituit. Hæc quippè nupta *Ludovico XII.* Chriſtianiſſimo Regi, ſed poſteà ab eo repudiata, mundo nuncium remiſit, & Annunciatarum B. *Mariæ* Virginis Ordinem fundavit, quem Summi Pontifices *Alexander VI. Julius II.* & *Leo X.* confirmarunt, ac ſubindè ſubſecuti Pontifices Privilegiis auxerunt. Regula, quam ſectantur hujus Ordinis Sanctimoniales, ex præcipuis decem Virtutibus, quibus Beatiſſima Virgo *Maria* in Evangelio commendatur, concinnata eſt; videlicèt caſtitate, prudentiâ, humilitate, veritate, devotione, obedientiâ, paupertate, patientiâ, charitate, & compaſſione, & ad illarum virtutum exemplar Sacras illas Virgines informat ac dirigit. Veſte utuntur leucophæâ, ſeu griſeâ, ut vulgus loquitur, in teſtimonium vitæ pœnitentis; chlamyde candidâ, in memoriam Virgineæ puritatis Dei-paræ Mariæ, quam imitari geſtiunt; Scapulari rubro in formam Crucis ante pectus aptato, memoriæ Paſſionis

ſionis Domini aſſiduè in mentem revocandæ causâ. Hic *Annunciatarum Virginum* Ordo, de quo librum edidit *Aubertus Miræus*, latè per Galliam, & Belgium propagatus eſt, multis erectis cænobiis, quibus, ſic ſtatuente B. *Joanna*, hujus Ordinis Fundatrice, præſunt FF. Minores, dicti *Obſervantes*. Silentio etiàm hìc prætermittere non poſſum *Societatem*, quam noſter Cardinalis *Joannes de Turrecremata* Sæculo XV. Romæ inſtituit ſub nomine *Beatæ Virginis Annunciatæ*, in qua Caſtitati puellarum Romanarum inopum ſic providè conſulitur, ut tàm his, quæ ſeſe Deo in Monaſteriis conſecrare volunt, quàm illis, quæ in Sæculo remanere, & matrimonium inire cupiunt, numerentur Dotes, datâ omnibus utriuſque ſtatus optione. Sed veniamus modò ad Ordines Equeſtres, qui Sæculo XV. fuerunt inſtituti. Ordinem Equitum *Velleris Aurei* inſtituit anno MCCCCXXX. *Philippus* cognomento *Bonus*, Burgundiæ Brabantiæque Dux. Hujus Equeſtris Ordinis originem atque appellationem alii ducunt ab *Jaſone*, qui in Colchida cum Argonautis profectus eſt, ut indè *Vellus Aureum* adveheret, hoc eſt, auri gazam, quod hujus regionis Incolæ per rivos è monte Caucaſo dilapſum villoſis pellibus piſcari, quaſi retibus, ſoliti erant. Alii verò iſtius Equeſtris Ordinis originem & appellationem accerſunt à *Gedeone*, magno illo Iſraelitarum Duce, qui, ut legitur in Scriptura Sacra, ſeu cap. VI. libri Judicum, Vellus primò ſiccum, deindè rorulentum vidit, intactæ ſcilicet Virginis *Mariæ* Simbolum, eoque ſigno confirmatus, trecentos juſſu Dei viros elegit, quibus numeroſas Madianitarum copias pro-

ſigavit. Sed,utut ſit de iſtius Equitum *Velleris aurei* origine & appellatione, certum eſt, *Philippum*, dictum *Bonum*, Burgundiæ & Brabantiæ Ducem Sæculo XV. Ordinem Equeſtrem Velleris aurei inſtituiſſe,ſeu delegiſſe viginti quatuor Equites, quos torque aureo, in cujus imâ parte Vellus aureum pendebat, donavit, eoſque ſingulos toga coccineâ, ſive purpureâ laneâ in Comitiis publicis uti voluit. Hanc tamen Equitum togam purpuream *Carolus Audax*, filius *Philippi Boni*, in holoſericam commutavit in Comitiis in Urbe Valentiniana in Belgio habitis anno MCCCCLXXIII.Hic Velleris Aurei Equitum Ordo, dùm cæpit, viginti quatuor tantùm Equitibus conſtabat, ſed idem *Philippus Bonus*, Burgundiæ Dux, hunc Equeſtrem Ordinem à ſe inſtitutum equitum XXXI. deinceps futurum pronunciavit, dato Diplomate in Comitiis in Urbe Inſulenſi in Belgio celebratis anno MCCCCXXXI.ac tandem *Carolus V.* Imperator,Conventum Bruxellis agens anno MDXVI. hunc Velleris aurei Equitum Ordinem unius & quinquaginta Equitum in poſterum fore ſtatuit. Diploma *Philippi Boni*, Burgundiæ Ducis, de inſtitutione Ordinis Equitum Velleris aurei, ex Gallico Latinè redditum refert *Aubertus Miræus* lib. 2. De *Originibus Ordinum Equeſtrium*. Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto *Renatus*,Andegavenſium Dux, & Rex Siciliæ, inſtituit Ordinem Equitum, quibus figuram *Lunæ Creſcentis* attribuit. Anno autem MCCCCLXIX. *Ludovicus XI.* Galliarum Rex, inſtituit Ordinem Equeſtrem S. *Michaelis*, ita dictum, quòd hujus Ordinis Equites imagine S. *Michaelis* Archangeli, Cacodæmonem

nem è Cœlo deturbantis, ornari voluerit. Denique, *Amedeus VIII.* Sabaudiæ primus Dux, ſui Sæculi, ſeu decimi quinti, *Salomon* acclamatus, Torquatorum Equitum Ordinem, quem Sæculo XIV. *Amedeus VI.* Comes Sabaudiæ inſtituerat in memoriam Annunciationis B. Virginis *Mariæ*, ob navalem victoriam eâdem die ab Avo ſuo *Amedeo* reportatam, multis additis pietatis legibus inſtauravit. Inſtituit etiam idem *Amedeus VIII.* primus Sabaudiæ Dux, Ordinem Equitum S. *Mauritii*, & tandem rerum humanarum pertæſus, Ripallianam Eremum, ad Lemani Lacus ripam, cum decem Mauritianis Equitibus ſeceſſit. Hic eſt ille *Amedeus*, qui, ut in ſuperioribus noſtris Colloquiis diximus, creatus eſt in Conciliabulo Baſileenſi Pſeudo-Pontifex, contra *Eugenium IV.* verum ac legitimum Pontificem Romanum, dictuſque eſt *Felix V.* qui tamen poſt novem annos, ſex menſes & ſeptem dies ab electione ſuâ pſeudo-Pontificatu in Conciliabulo Lauſanenſi ſeſe abdicavit, & ſolo Cardinalis ac Legati munere contentus in Ripallianam Eremum iterùm ſe recepit, ut videre eſt in *Arbore gentilitia Auguſtæ Regiæque Sabaudæ Domus*, quam anno MDCCII. Auguſtæ Taurinorum publicâ luce donavit *Franciſcus Maria Ferrerus à Labriano*.

D. Multi, ut video, Ordines cùm Regulares, tùm Equeſtres, Sæculo XV. in Eccleſia prodierunt, indèque facilè conjecturam facio, Diſciplinam Monaſticam & Regularem magnum eo Sæculo ſuſcepiſſe incrementum, eoque Eccleſiam fuiſſe plurimùm illuſtratam.

M. Monaſticam ac Regularem Diſciplinam

Sæculo XV. maximè floruiſſe non ſolùm probant recenſiti ſuperiùs à nobis Religioſi Ordines, quos peperit, aut reformavit Eccleſia, ſed etiam apertè demonſtrat ſummus ille ardor Miſſionum, ſeù per totum Orbem ſpargendi Evangelii, & lucis inferendæ ſedentibus in tenebris & umbra mortis nationibus, quo hujus Sæculi Monachi & Religioſi Mendicantes erant accenſi. At enim ſtatim ac Sæculo XV. Luſitani Indiam Orientalem auſpiciis *Joannis II.* eorum Regis; & Hiſpani Indiam Occidentalem, Duce *Chriſtophoro Columbo Genuenſi*, necnon *Americam*, quartam mundi partem, Duce *Americo Veſpuſio*, qui ei nomen ſuum indidit, detexiſſent; actutùm tam Monachi, quàm Religioſi Mendicantes, quaſi nubes in aera ſublatæ, ad latiſſimas illas oras, novumque Orbem convolarunt, ut ibi Evangelii prædicatione infideles illuſtrarent, Eccleſias fundarent, atque cænobia excitarent, in quibus Viri Apoſtolici, quà verbo, quà Diſciplinæ Regularis obſervantiâ, Eccleſiæ dilatandæ, Fideique Catholicæ propagandæ jugitèr incumbere poſſent. Inter eos, qui Sæculo XV Evangelium in Orbem novum invexerunt, primo loco cenſeri jure debent Monachi Benedictini, qui (ſicut teſtantur *Gravina* cap. 6. Opuſculi *De voce Turturis*, & *Thomas Boſius* De Signis Eccleſiæ lib. IV. cap. 3.) in Occidentales Indias an. MCCCCXCVII. Chriſti Fidem intulerunt, Duce Patre *Bucil*, ejuſdem Ordinis Benedictini. Eâ ſiquidem orbis parte hactenùs inacceſsâ, facili tandem navigatione à *Chriſtophoro Columbo* reſeratâ, & omnium primâ Inſulâ illâ, quæ Sancti *Dominici* die feſto cùm fuiſſet inventa, ejuſdem nomine nobilitata eſt; ſta-

tim

tim P. *Bucil* duodecim aliis Benedictinis ab *Alexandro VI.* Pontifice Maximo præfectus & ad has oras deſtinatus, Chriſtianam Religionem longè lateque propagavit, digniſſimus ſanè tot Benedictinorum hæres, qui, ut in ſuperioribus Colloquiis oſtendimus, innumeris Nationibus à Fide Chriſtiana alienis, Germanis, Duce S. *Bonifacio*; Anglis, procurante S. *Auguſtino* Apoſtolo, Evangelii lucem importarunt; quorum omnium longam priſcorum temporum, & noſtræ ætatis, ad gloriam Benedictini Inſtituti, ſeriem texuit Author *Congeminatæ vocis Turturis* ad Caput novum *Caveæ Turturis*. Neque Patres Franciſcani ſuâ hic carent, aut fraudandi ſunt laude, cùm noſter jam citatus *Gravina* cap. 6. *Vocis Turturis* obſervet, *Ferdinandum Corteſium*, poſt *Columbum*, & *Americum Veſpuſium*, latiſſimas Oras Mexicanas reperiſſe, & multis ſibi adjunctis ſociis è Familia S. *Franciſci*, innumeros Chriſto populos acquiſiviſſe, ita ut Indiarum Mexicarum primus Epiſcopus creatus fuerit *Joannes Cadebus* Ordinis S. *Franciſci*, ſicut teſtatur *Thomas Boſius*. Denique, Dominicani his omnibus operariis ſeſe adiutores adjunxerunt, utramque Indiam, Orientalem & Occidentalem penetrarunt, Indorum ſaluti magno ſtudio allaborarunt, eoſque veluti filios in Chriſto multo ſudore genuerunt, vaſtiſſimas regiones prædicationis causâ pedibus circumcurſantes, nec quidquam tamen de abſtinentia à carnibus ac jejuniis ex itinere fatigati remittentes: non aurum, lapideſque pretioſos expetentes, ſed per rupes monteſque ſursùm arrepentes, & quæ cavernis lociſque inacceſſis Indi occultarant Idola argentea & aurea ſollicitè con-

conquirentes, & ſi quæ reperiſſent illicò comminuentes, & à materiâ, quâ conflata erant, velut ſacrilego uſu, abſtinentes; rati nimirùm non convenire hominibus Apoſtolico miniſterio addictis, hujuſmodi rebus uti, & indè commoda vitæ captare. Mira de Novi Orbis Miſſionariorum Ordinis S. *Dominici* Vitæ ſanctimoniâ & eximio paupertatis ac Religioſæ diſciplinæ ſtudio narrat *Joannes Lopes* Hiſtoriæ ſuæ parte quartâ, illoſque Viros Apoſtolicos in omnem terram diſperſos, eorumque ſonum exiviſſe, *& in fines Orbis terræ verba eorum*, multa ex priſca ætate hodiè ſervata monumenta teſtantur, in quibus multò majora & illuſtriora his, quæ hactenùs dixi, in eorum laudem referuntur, quæ tamen, brevitati conſulendo, ſilentio prætermittere cogor, ut pauca dicam de quibuſdam Monaſticę & Regularis Diſciplinæ Capitibus, quæ Sæculo XV. erant in uſu. In primis, Jus eligendi Abbates & Priores Monaſteriis Sęculo XV. adhùc competebat, quod poſteà per Concordata, *Leonem X.* Pontificem Maximum inter & *Franciſcum I.* Regem Chriſtianiſſimum inita, extinctum eſt, & ad Regem in Galliis translatum, uti fuſiùs exponemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam Sæculi XVI. Hìc tria tantùm obitèr advertere debes, primò, Regiæ Nominationi in Galliis in vim Concordatorum ea non ſubeſſe Monaſteria, quæ per Præpoſitos Generales & Capita Ordinum regi conſueverunt, quibus adjungendæ ſunt quatuor Ciſtercienſis Abbatiæ filiæ, *Pontiniacum*, *Feritas*, *Claravallis*, & *Moriſmundus*. Item Abbatiæ, ſive Prioratus, quorum Caput eſt *Caſa-Benedicti* in Bituricenſi Diœceſi, Gallicè *Cheſalbenoiſt*, & ce-

cę;

celebris altera Abbatia in ſuburbio Biturigũ S. *Sulpitio* conſecrata. His enim omnibus ſuos eligendi Abbates & Priores ſervata eſt libertas. Secundò, advertere debes, Galliarum Regem in vim Concordatorum teneri quidèm ad Abbatias & Prioratus nominare Religioſum ejuſdem Ordinis, eum tamen Sedis Apoſtolicæ Indulgentiâ, præſcriptâ jam conſuetudine & poſſeſſione firmatâ, Clericos Sæculares ad Abbatias & Prioratus nominare, sed eâ lege ut ſolo Commendationis titulo hæc Beneficia poſſideant. Quas Cænobiorum Commendationes tardiùs & ægrè admodùm in Galliis fuiſſe receptas facili negotio oſtendere poſſem, ſi per tempus liceret. Denique, advertere debes, Regem Chriſtianiſſimum ad Abbatias Monialium nunc in Galliis nominare, non in vim Concordatorum, ſed in vim Pontificii Indulti, quo *Clemens VII.* Pontifex Maximus cum *Franciſco I.* Galliarum Rege Maſſiliæ congreſſus, Ius ad eas nominandi conceſſit. Pecunias exigi pro Monachorum, aut Monialium ad Profeſſionem Religioſam receptione prohibuerunt Concilia, quæ Sæculo XV. fuerunt celebrata, Friſingenſe anno MCCCCXL. Sueſſionenſe anno MCCCCLVI. & Senonenſe anno MCCCCLXXXV. Dotales tamen eleemoſinas in Monialium Profeſſione, & receptionem pecuniæ ab his, qui Religioſam Vitam inire volunt, ſpontè Monaſteriis oblatæ, approbarunt. Monachi Sæculo XV. adeundæ hæreditatis, quæ per ipſos Monaſterio acquireretur, incapaces non erant, ut liquet ex Diplomate *Eugenii IV.* Pontificis Maximi, quo Monachis Benedictinis Congregationis S. *Juſtinæ* in Italia anno MCCCCXXXVI. confirmavit facultatem acquirendi

rendi bona mobilia & immobilia, *& quæ ſi in Sæculo remanſiſſent, jus petendi & exigendi, ipſis eorum Monaſteriis acquirenda; non obſtantibus quibuſcumqua Statutis, Ordinationibus, & Decretis cujuſvis Eccleſiaſticæ ſive Sæcularis Perſonæ, Communitatis, Collegii &c.* Verùm, Sæculo XVI. Monachi, aliique Religioſi Principum Legibus, aut Conſuetudine, ſeu jure Municipali, ab adeunda hæreditate pluribus in locis, præſertim in Germania, Gallia & Polonia excluſi ſunt. Cujus excluſionis *Chaſſaneus* in Commentariis Conſuetudinis Burgundiæ hanc rationem affert: *quia inquit, ſi* Religioſi hæreditati *ſuccederent, eſſet annihilatio temporalitatis in Republica, cùm Religioſi ſemper traherent ad ſe temporalia, eò quòd ſuccederent Laicis, & Laici eis non ſuccederent, ſed eorum Eccleſiæ & Monaſteria. Undè nulla æqualitas obſervaretur*. Cùm Regularis Diſciplinæ vigor diù ſtare haùd poſſit abſque pace & tranquillitate, quæ inter Religioſos omnium Ordinum vigere debet, opportunè quatuor Ordinum Mendicãtium ſupremi Moderatores, qui Concilio Baſileenſi anno MCCCCXXXV. intererant, neceſſarium eſſe judicarunt, quaſdam præſcribere & ſtatuere Leges, quibus Religioſa pax, nullo deinceps turbanda diſſidio, firma ſemper conſiſteret, omniſque præcluderetur aditus diſſenſionibus, quę indentidèm quorumdam Fratrum imprudentiã emergentes, mutuam concordiam dirimebant. Eam ob rem, poſt maturam deliberationem, ad perpetuam inter Fratres quatuor Ordinum Mendicantium concordiam ſtabiliendam, Epiſtolam Encyclicam ſcripſerunt, ſuis nominibus & ſigillis munierunt, quam ipſe adhuc ineditam vidi

&

& legi in Charta pergamena deſcriptam, quæ Romæ in Archivo Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis FF. Prædicatorum aſſervatur. Hujus autem Epiſtolæ Encyclicæ hoc eſt initium: *Univerſis & ſingulis Fratribus Sacrarum Religionum, Prædicatorum B. Dominici; Minorum B. Franciſci: Heremitarum S. Auguſtini: & Carmelitarum B. Mariæ, Fratres Bartholomæus Texerii Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, Guillelmus de Caſali Miniſter Generalis Ordinis Minorum, Gerardus de Ariminio Prior Generalis Ordinis Heremitarum S. Auguſtini, & Joannes Fachi Prior Generalis Ordinis Carmelitanum B. Mariæ: æternæ ſalutis & perpetuæ pacis munus &c.* Data eſt Baſileæ die 2. menſis Aprilis anni MCCCCXXXV. Porrò in hac Epiſtola Encyclica injungitur Fratribus, ne, dùm quis aliquem è ſui Ordinis Sanctis laudat, aliorum ex cæteris Religioſis Familiis merita detrahat: ne quis, dum ſui Ordinis Doctorum Sententias propugnat, aliorum doctrinam præpoſtero zelo abreptus incautè carpat: ne quis aliorum contemptu ſuum Ordinem extollat, ac de aliorum dignitate, & auctoritate obloquens, eumdem in comparationem vocet, quâ deprimat alios. Præcipitur inſuper Fratribus, ut omnes conjunctis animis quatuor Ordinum Mendicantium commune bonum certatìm curent: & nullus, cùm Frater aliquis alterius Ordinis de ſuis Moderatoribus conqueritur, ejus cauſam tuendam ſuſcipiat, ſed potiùs quietis impatientes ad pacem reducat: ſi de Cænobiorum limitibus aliqua ſuboriatur lis, quàmprimùm componatur amicè à Provincialibus, vel ſi illi convenire non potuerint, Arbitrorum auctoritate intra menſem tranſiga-

ſigatur : ſi Fratres ullius quatuor Ordinum Mendicantium Cænobium fundent in aliquo loco, in quo alterius Ordinis Cænobium jam conſtructum eſt, ſpatium inter illa ſervetur, quod interjacere Summi Pontifices jubent: ne quis Religioſos Novitios ex aliis Ordinibus ad ſuum alliciat, vel pertrahat: ne denique Sæculares, qui ſepulturam habent in Eccleſiis aliorum Ordinum inducat ad illam transferendam in Eccleſias Ordinis ſui, vel ad mutanda legata adhortetur. Hæ & aliæ hujusmodi Leges ad fovendam Religioſam pacem prorsùs neceſſariæ præſcribuntur in hac Epiſtola Encyclica, quam anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo renovarunt alii quatuor Ordinum Mendicantium Præpoſiti Generales, videlicet *Martialis Auribelli* Magiſter Generalis Ordinis FF. Prædicatorum, *Jacobus Garſola* Miniſter Generalis Ordinis Minorum, Magiſter *Alexander de Saxo Ferrato* Heremitarum Sancti Auguſtini Vicarius Generalis, *Paulus de Panorma* Vicarius Generalis Ordinis Carmelitarum, ut videre eſt in eorum litteris Encyclicis, quæ ſimul cum laudata mox Epiſtola Encyclicâ in Pergamena charta ſunt deſcriptæ, & datæ ſunt Romæ apud Beatam *Mariam* ſuper Minervam die ſextâ Julii anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi octavi. Has Epiſtolas Encyclicas obitèr indicare neceſſarium eſſe duxi, non ſolùm quia necdùm editæ ſunt, ſed quia etiam ex his nullo negotio percipitur, Regularis Diſciplinæ obſervationem & incrementum pendêre ex mutua Religioſorum concordia, quia, ut *Salluſtius* ait: *concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabun-*

labuntur. Sed hæc de Monaſtica & Regulari Diſciplina, quæ Sæculo XV. viguit, breviter annotaſſe ſufficiat.

D. Ad benè beatèque vivendum cùm certas tutaſque Regulas præſcribat Doctrina Moralis Chriſtiana & ad probè informandos mores plurimùm itidèm conferat piorum librorum lectio, optarem ut ſub finem noſtri Colloquii brevem exhiberes notitiam Ethices Chriſtianæ Sæculi XV. & eâdem, operâ, digitum ad fontem intendens, illos hujus Sæculi Scriptorum indicares libros, ex quibus ſalutaria cùm morum, tùm Vitæ Aſceticæ poſſim haurire documenta.

M. Notitiam Ethices Chriſtianę Sæculi XV. meliùs perſpectam habere, ac ſecuriùs, meâ quidem ſententiâ, haurire non poteris, quàm ex S. *Antonino*, Archiepiſcopo Florentino, Ordinis Prædicatorum nobiliſſimo Sæculi XV. Scriptore, qui *Summam Doctrinalem* in quatuor partes tributam compoſuit, in qua *quidquid ad conſiderationem Sacratiſſimæ Theoriæ, quidquid ad nobiliſſimarum virtùtum acquiſitionem, quidquid denique ad beatè benèque vivendi uſum pertinere videtur, dilucidè ſapientèrque conſcriptum eſt. Nihil ibi prætermiſſum, nil obſcurè, nil conciſè, mutilatèque dictum. Non enim de univerſalibus tantùm rebus ſcripſit, verùm etiam ad particularia quæque deſcendens, ad hunc noſtrum vivendi uſum, & ad ſingularem quamdam humanæ vitæ operationem doctrinam accommodavit. Scripturæ Sacræ, Patrum, & Canonum, quorum peritiſſimus, erat, teſtimoniis ſua de rebus moralibus pronunciata confirmavit, adeò ut nemo unquàm in tanto Opere quidquam minùs rectè, minùs elimatè, aut imprudenter pro-*

prolatum redarguere potuerit, Verba ſunt *Franciſci Caſtellionenſis* in ejus Vita, quam ex Autographo Florentino Conventus S. Marci, Ord. Præd. in quo Corpus S. *Antonini* colitur, deſcriptam, ediderunt Patres *Henſchenius* & *Papebrochius* cum Additionibus *Leonardi de Sur-Ubertis* ex MS. codice Bibliothecæ ejuſdem Cænobii ad diem ſecundam Maii. Hanc itaque S. *Antonini* Moralem Doctrinam, quæ Sæculo XV. pervulgata erat, obviis ulnis amplectere, quam ſi ſequaris, duas perindè periculoſas nimiæ laxitatis & rigiditatis extremitates, ceu Doctrinæ Moralis ſcopulos, facili negotio declinabis. Non eos audies Theologiæ Moralis Interpretes, quorum Opera jure merito proſcripſit Eccleſia, quique, ut peccatorum libidini indulgerent, legem Dei plus æquo laxarunt, emollierunt, & tanquam plumbeam, lesbiamque Regulam flectere moliti ſunt, *conſuentes puluillos ſub omni cubito manus, & facientes cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*, ut dicitur *Ezechielis* cap. XIII. v. 18. Nec minus repudiabis Doctrinam Moralem quorumdam Recentiorum, quos paritèr damnavit Eccleſia, quique rigidiores, durioreſque opiniones magno animorum æſtu propugnantes, in aliud ſeveritatis exemplum prolapſi ſunt, alligantes onera gravia & importabilia ſuper humeros hominum, conſilia cum præceptis promiſcuè confundentes, ubique ceſpitantes & trepidantes timore, etiam ubi non eſt timor, ſemper ad difficiliora & quaſi impoſſibilia non ſine deſperatæ ſalutis periculo obligantes, omnia ferè de peccato lethali damnantes, peccatores moroſâ quâdam & nimiùm aſperâ agendi ratione

tione à Tribunali pœnitentiæ arcentes, Cœlique tramitem ſic arctantes, ut quaſi impervium reddant & occludant. Has, inquam, duas ſemitas è diametro oppoſitas, nullo negotio declinabis, ſi in Doctrina Morali poſt S. *Thomam*, Scholæ Angelum, ſequaris S. *Antoninum*, eoque Duce ac Magiſtro ad optatiſſimum veritatis ac tranquillæ conſcientiæ portum feliciter, tutòque poteris pervenire.

Inter omnes libros aſceticos, qui Sæculo XV. prodierunt, & ex quibus ſaluberrima Vitæ Spiritualis documenta depromi poſſunt, unus inſtar omnium eſt liber *De Imitatione Chriſti*, non tàm mole, quàm uſu & famâ magnus, appoſitis Sententiis, eloquio ſimplici & aperto, igneis pietatis ſcintillis ſpendidiſſimus, nihilque eo ſolidius, altius, ſalubrius ad componendos mores, vel divinius & efficacius ad ciendos pietatis affectus. Non reperiuntur quidem in hocce libro novi illi & ſubtiles conceptus, quos ex Scriptura Sacra & ex Sanctis Patribus contra apertam illorum mentem ſummâ vi & obtorto collo nonnulli hac noſtrâ tempeſtate trahere ſolent, quibus nihil infructuoſius ad mores, nihil frigidius ad movendos pietatis affectus, nihil ineptius etiam ad ſenſum communem, qui doctoribus movent riſum, & ſolis imperitis admirationem; ſed totus quantus eſt hic liber complectitur ſimplicem ac cœleſtem doctrinam, quæ omnibus ex æquo ſeſe accommodat, ſubmittit ſe parvulis, ad illorum modulum ſeſe attemperat, lacte illos alens, ferens, confovens, ſuſtinens, donec grandeſcant in Chriſto, & rursùm ita non deeſt infimis, ut ſummis ſit etiam admirabilis. Ad

amorem Dei,ad contemptum rerum terrenarum, & ad exercitium omnium virtutum ita omnes hortatur, invitat & animat, ut, ſi quis ad hunc librum legendum attulerit animum, ut par eſt, pium ac promptum, & in primis ſimplici, purâque fide præditum, totam Chriſtianam Philoſophiam ex eo, velut ex limpidiſſimo fonte, facilè haurire poſſit. Hunc igitur aureum librum, chariſſime Diſcipule, in ſinu tuo jugitèr circumferre, hunc ſemper habere in manibus, ſingula in eo piâ curioſitate cognoſcere, diſquirere, venari, & excutere debes, ut ſtudia tua abeant in mores, & ſaluberrima, quæ legentibus inſtillat, pietatis documenta, in purum putumque, ut dici ſolet, ſuccum convertere ſtudeas. *Ego* (inquit *Bellarminus*, de *hoc Imitationis Chriſti* Opuſculo judicium ferendo in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* pag.387.) *ab adoleſcentia, & uſque ſenectam hoc Opuſculum ſæpiſſimè volvi & revolvi, & ſemper mihi novum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit.*

D. Quis eſt Author iſtius libri *De Imitatione Chriſti*, cujus dignitatem & utilitatem, necnon uberrimos fructus, qui ex illius aſſidua lectione colligi poſſunt, tam magnificis verbis deprædicaſti?

M. De Authore hujus libri *De Imitatione Chriſti* graviſſima noſtris temporibus Benedictinos inter & Canonicos Regulares oborta eſt controverſia, cui licèt memet in præſentia immiſcere nolim, nec meum ſit tantas tot Virorum eruditorum componere lites, varias tamen, quæ hinc indè circumferuntur, ſententias brevitèr hìc annota=

notare tibi non ingratum fore arbitror. Patres Benedictini hunc librum *De Imitatione Christi* vindicant *Joanni Gerſen* Benedictini Ordinis Abbati Sancti *Stephani Vercellenſis*. Ex adversò Canonici Regulares hunc librum *Thomæ Kempenſi*, Canonico Regulari, adjudicant. Manuſcriptorum Codicum fide cauſam ſuam utraque pars acerrimè tuetur, &, ut eximii illius Operis meritum ſuo Ordini adſcribat, tanquam pro aris ac focis pugnat. *Joannem Gerſenem* hujus libri *de Imitatione Christi* Authorem eſſe probant Patres Benedictini Codicibus MSS. *Padolironenſi*, *Aronenſi* Collegii Societatis Jeſu in Ducatu Mediolanenſi, *Cavenſi*, *Allatiano*, *Sluſiano*, & Canonicorum Regularium, *in Monte Sanctæ Agnetis prope Zuvollam*, cujus in fine leguntur hæc verba minio deſcripta: *Finitus & completus anno Domini* MCCCCXLI. *per manus Fratris Thomæ Kempenſis in Monte Sanctæ Agnetis propè Zuvol.* Quæ verba *Thomam Kempenſem* hujus libri non tam Authorem, quàm exſcriptorem fuiſſe inſinuare videntur. Alios etiam duodecim MSS. Codices nomen *Joannis Gerſen* Abbatis præferentes adducunt PP. Benedictini, adduntque ſuas conjecturas ab Authoris patriâ, ſtylo & profeſſione petitas, necnon varias hujus libri *de Imitatione Christi* Editiones, quæ diverſis in locis ſub nomine *Joannis Gerſen* prodierunt, ut videre eſt in Diſſertationibus & Vindiciis, quas eâ de re lucubrarunt doctiſſimi illi Monachi, *Conſtantinus Cajetanus* Congregationis Caſſinenſis Monachus Benedictinus, *Franciſcus Valgravius*, Ordinis etiam Benedictini Monachus, Prior de Alneto Congregationis Cluniacenſis, *Robertus Quatri-*

marius ejuſdem Ordinis Profeſſor, & *Franciſcus Delfavius*, Monachus Benedictinus Congregationis Sancti *Mauri*, quibus acceſſit *Joannes Launojus*, Theologus Pariſienſis. Iiſdem armis pugnant Canonici Regulares, quippèqui, ut *Thomæ à Kempis* Canonico Regulari aſſerant librum *De Imitatione Chriſti*, multos proferunt MSS. Codices, ſcilicet Sancti *Martini* Lovanienſis Codicem MS. exaratum anno MCCCCLXXXII. Domus SS. *Petri* & *Antonii Dailhem* alium manuſcriptum Codicem anni MCCCCLXX. Tertium, Domus Sanctæ *Barbaræ* in Colonia, Ordinis Carthuſienſis, ſcriptum anno MCCCCXLVII. Quartum, dictum *Bruxellenſem*, qui aſſervatur in Cænobio Carthuſianorum, à doctiſſimo *Chiffletio* in Apologia MS. commendatum, & exaratum anno MCCCCLXIII. Quintum, Sancti *Martini* Tornacenſis ab eodem *Chiffletio* inſpectum & laudatum. Sextum, *Montis Blandinii* Ordinis Benedictini, cujus idem meminit *Chiffletius*. Septimum & Octavum, *Reinsbergenſem*, & *Maſcychenſem*, quorum mentionem facit *Roſweydus* Societatis Jeſu. Nonum, *Kirchemienſem Davidis Ebingeri*, & alios Codices MSS. dictos *Rebdorfianos*, eò quòd aſſerventur in Monaſterio Rebdorfienſi Sancti *Joannis Baptiſtæ*. His manuſcriptis Codicibus addunt Canonici Regulares quàmplures hujus libri *de Imitatione Chriſti* Editiones, quibus *Thomæ Kempenſis*, Canonici Regularis, nomen inſcriptum eſt, antiquorum Scriptorum teſtimonia, variaſque conjecturas, quæ legi poſſunt in Vindiciis, quas pro *Thoma à Kempis* adornarunt *Heribertus Roſweydus*, *Heſerus*, *Bollandus*, *Theophilus Raynaudus*, Societatis Jeſu Scri-

pto

ptores; *Fronto*, & *Verlinus* Canonici Regulares, *Gabriel Naudeus* Artigiæ Prior, *Chiffletius* Abbas Balernenſis, *Nicolaus Deſnos*, Canonicus Regularis, & alii. In hac controverſia à PP. Benedictinis, & Canonicis Regularibus magno æſtu & ſummâ cum eruditione ventilatâ conſultius eſſe duco meum non interponere judicium, nec quidquam in hac lite, quæ adhuc ſub judice eſt, derogare juri, quod tam PP. Benedictini, quàm Canonici Regulares ſibi ex plurimis titulis, perdoctis conjecturis, & Codicibus MSS. ſinceræ fidei & optimæ notæ hac in re tribuunt. Dicam tamen obiter. His Scriptoribus mox à me laudatis, qui Vindicias & Diſſertationes eo de argumento ultrò citròque ediderunt, haud immeritò aptari poſſe illud *Terentii* Dictum: *Feciſtis probè, incertior ſum multò, quàm dudùm*. Ex his itaque Diſſertationibus cùm nihil certi ad dignoſcendum verum Authorem libri *De Imitatione Chriſti* colligi poſſit, duo dumtaxàt ex eodem libro hìc annotare haud pigebit, quæ ſpectant dotes, tempus & modum ſcribendi hujus Authoris adhuc incogniti. Et primò quidem ex hoc *De Imitatione Chriſti* Opuſculo, quod in quatuor libros tributum eſt, compertum habemus, ejus Authorem Monaſticam Vitam fuiſſe profeſſum. Sic enim Author libro 3. *De Imitatione Chriſti* Cap. 10. Num. 11. de ſe ipſo loquitur: *O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodò potero tui oblivifci, qui mei dignatus es recordari, etiam poſtquam contabui & perii? feciſti ultra omnem ſpem, miſericordiam cum ſervo tuo, & ultra omne meritum, gratiam, & amicitiam exhibuiſti. Quid retribuam tibi pro gratia iſta? non*

enim omnibus datum eſt, ut omnibus abdicatis, ſæculo renuncient, & monaſticam Vitam aſſumant. Et Cap. LVI. ejuſdem libri, Num. III. hæc ſcribit: *Domine Jeſu, ſicut dixiſti, & promiſiſti, ſic utique fiat, & mihi promereri contingat. Suſcepi, ſuſcepi de manu tua Crucem; portabo, & portabo eam uſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi. Verè, Vita boni Monachi, crux eſt, ſed dux Paradiſi. Inceptum eſt, retrò abire non licet, nec relinquere oportet*. Quid autem per vitam monaſticam intelligat hic Author, luculentèr ipſemet explicat libro I. *De Imitatione Chriſti* capite vigeſimo quinto, ſeu ultimo, his verbis: *Quomodò faciunt tam multi alii Religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? rarò exeunt, abſtractè vivunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multùm laborant, parùm loquuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, Orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Attende Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & diverſæ Religionis Monachos ac Moniales, qualitèr omni nocte ad pſallendum Domino aſſurgunt; & ideò turpe eſſet, ut tu deberes in tam Sancto opere pigritare, ubi tanta multitudo Religioſorum incipit Deo jubilare*. Quibus ex verbis liquidò patet, Authorem libri *De Imitatione Chriſti*, Monaſticam, ſeu Religioſam Vitam verè fuiſſe profeſſum, ac ſubindè ſtare non poſſe ſententiam illorum, qui hoc *De Imitatione Chriſti* Opuſculum attribuunt *Joanni Gerſonio*, Sacræ Facultàtis Pariſienſis Cancellario, cùm certiſſimè apud omnes conſtet, *Joannem Gerſonium* nunquam Vitam Monaſticam, ſeu Religioſam fuiſſe amplexum. Ultrò tamen fateor, in quibuſdam Manuſcriptis Codicibus libri *De Imitatione Chriſti* inſcri-

ſcriptum reperiri nomen *Joannis Gerſonii*, ſed id ex eo accidiſſe arbitror, quòd loco nominis *Joannis Gerſen*, Ordinis Benedictini, Abbatis Sancti *Stephani* Vercellenſis, qui erat Scriptor parùm notus, ſuffectum fuerit nomen *Joannis Gerſonii*, Academiæ Pariſienſis Cancellarii, & Sæculi XV. Scriptoris celeberrimi. Explodi etiam debet tanquàm omninò improbabilis, opinio eorum, qui quatuor libros *De Imitatione Chriſti* adjudicant S. *Bernardo* Abbati Claræuallenſi, cùm certo certius ſit, Authorem Opuſculi *De Imitatione Chriſti* poſteriorem eſſe Sancto *Bernardo*, ut apertè evincunt hæc verba, quæ in calce capitis quinquageſimi libri tertii *De Imitatione Chriſti* leguntur: *Nam quantùm unuſquiſque eſt in oculis tuis, tantùm eſt, & non ampliùs, ut ait humilis Sanctus Franciſcus*. Non potuit autem Sanctus *Bernardus* citare Sanctum *Franciſcum*, cùm in confeſſo ſit apud omnes, S. *Bernardum* obiiſſe anno MCLIII. & S. *Franciſcum* ex hac vita migraſſe anno MCCXXVI. Non eſt ergo S. *Bernardus* Author Opuſculi *De Imitatione Chriſti*. Nec oppoſitam ſententiam probant quidam antiqui manuſcripti Codices Opuſculi *De Imitatione Chriſti*, in quibus nomen Sancti *Bernardi* præfixum eſt, quia vero quàm ſimillimum eſt, Amanuenſes, cùm hoc Opuſculum inter Opera manuſcripta Sancti *Bernardi* abſque ullo Authoris nomine inveniſſent, ſibi perſuaſiſſe illud eſſe Sancti *Bernardi* legitimum fætum, eique Sancti illius Doctoris nomen appoſuiſſe, ut inde majorem huic libello conciliarent auctoritatem, in quorum errorem poſtea impegerunt nonnulli Typographi, qui aliquot Editionibus Opuſculi *De Imi-*

tione Chriſti nomen Sanċti *Bernardi* præfixerunt. Addo etiam ſtylum, quo inter ſcribendum uſus eſt Author Opuſculi *De Imitatione Chriſti*, multò ſimpliciorem eſſe ſtylo Operum Sanċti *Bernardi*, & *Joannis Gerſonii*, ex quo, juxta Critices diſciplinæ Regulas, optimo jure concludi debet, nec S. *Bernardo*, nec *Joanni Gerſonio* tribuendum eſſe Opuſculum *De Imitatione Chriſti*. Sed, ut ut ſit de excellentiſſimi iſtius Opuſculi Authore, de quo non ita pridem plures lites & altercationes, non ſine magno temporis, & tantùm non charitatis detrimento, motæ ſunt: in hanc omnes conſpirant ſententiam, nempè ut credamus, hoc *De Imitatione Chriſti* Opuſculum ſanċtiſſimis Documentis, exquiſitis Sententiis, cœleſti doċtrinâ & Spiritus Sanċti unċtione pleniſſimè perfuſis à capite ad calcem abundare. Tot inter ſaluberrima documenta, duo tantùm hìc ſeligam, ex quibus iſtius omni laude ſuperioris Opuſculi utilitatem, velut *ex ungue Leonem*, facilè dignoſcere poteris, & eâdem operâ intelligere, quàm parùm proſit ſcientia, niſi cum genuina pietate amico fœdere ſit conjunċta. Primum Documentum extat capite primo libri primi *De Imitatione Chriſti*, ubi hæc verba leguntur: *Qui vult plenè & ſapidè Chriſti verba intelligere, oportet, ut totam vitam ſuam illi ſtudeat conformare. Quid prodeſt tibi, alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? Verè, alta verba non faciunt ſanċtum & juſtum, ſed virtuoſa vita efficit Deo carum. Opto magis compunċtionem, quàm ſcire ejus definitionem. ſi ſcires totam Bibliam exteriùs, & omnium Philoſophorum Diċta: quid totum prodeſſet, ſine caritate*

Dei

Dei & gratia? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum & illi ſoli ſervire. Iſta eſt ſumma Sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cæleſtia. Alterum Documentum, quod eòdem collimat, legitur cap. 3. ejuſdem libri primi, ubi ſic Author loquitur: *Non eſt culpanda ſcientia, aut qualibet ſimplex rei notitia, quæ bona eſt in ſe conſiderata, & à Deo ordinata; ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſtudent ſcire, quàm benè vivere; ideò ſæpè errant, & penè nullum vel modicum fructum ferunt .... Certè adveniente die judicii, non quæretur à nobis quid legimus, ſed quid fecimus; nec quàm benè diximus, ſed quàm religiosè viximus. Dic mihi, ubi ſunt modo omnes illi domini & magiſtri, quos benè noviſti dùm adhuc viverent, & ſtudiis florerent? jam eorum Præbendas alii poſſident, & neſcio utrùm de iis recogitent. In vita ſua aliquid eſſe videbantur, & modò de illis tacetur. O quàm citò tranſit gloria mundi! Utinàm Vita eorum, ſcientiæ ipſorum concordaſſet, ! tunc benè ſtuduiſſent & legiſſent. Quàm multi pereunt per vanam ſcientiam in Sæculo, qui parùm curant de Dei ſervitio! Et quia magis eligunt magni eſſe quàm humiles, ideò evaneſcunt in cogitationibus ſuis. Verè magnus eſt, qui magnam habet charitatem. Verè magnus eſt, qui in ſe parvus eſt, & pro nihilo omne culmen honoris ducit. Verè prudens eſt, qui omnia terrena arbitratur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat. Et verè benè doctus eſt, qui Dei voluntatem facit, & ſuam voluntatem relinquit.* Hæc duo præclara Documenta ſi negligas, cariſſime Diſcipule, nunquàm illam aſſequêris ſapientiam, quam ſincera

cera pietas comitatur, quia, ut inquit Apoſtolus Jacobus cap. 3. ſuæ Epiſtolæ Canonicæ: *Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deindè pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiæ, & fructibus bonis*.

D. Cùm nihil in vita hominis ſuave eſſe poſſit, niſi adſit animus nullius mali ſibi conſcius, undè ceu fonte ſcatet vera voluptas; totus in hanc curam deinceps incumbam, ut ex jugi lectione cùm Scripturæ Sacræ, tùm libri *De Imitatione Chriſti* veram adipiſci poſſim conſcientiæ pacem, ac ſinceram morum emendationem, quam ſola efficit doctrina Cœleſtis, quia ſola ſapientia eſt. Hanc unicam Chriſtiani hominis felicitatem fruſtrâ quærerem in libris Ethnicorum Philoſophorum, quibus hæc cæleſtis ſapientia penitùs ignota fuit, & in quorum mores ſi quis diligenter inquirat, inveniet iracundos, pecuniæ cupidos, libidinoſos, arrogantes, protervos, & ſub obtentu ſapientiæ ſuæ vitia celantes, domi facientes ea, quæ in Scholis arguiſſent, ita ut cum eorum vita & vitiis mirabiliter pugnet oratio. Philoſophorum itaque libri, utpotè terrenam tantùm ſapientiam, falſam, variam, & multiplicem, totamque ſibi contrariam complectentes, hominem Chriſtianum nec meliorem, nec feliciorem reddere poſſunt, ſed ſola hæc efficit cœleſtis ſapientia, in Sacris & aſceticis libris contenta, quæ, quantùm valeat in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant, idque *Lactantius*, ſcriptor mihi familiariſſimus, libro III. *Inſtitutionum Divinarum* cap. XXVI. explicat his elegantiſſimis verbis: *Da mihi*, inquit, *virum*, *qui ſit iracundus*,

male-

maledicus, effrænatus: pauciſſimis Dei verbis tam placidum, quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: jam Cruces & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem: jam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem: continuò & æquus, & prudens, & innocens erit............. Nùm quis hæc Philoſophorum aut unquàm præſtitit, aut præſtare poteſt? qui cùm ætates ſuas in ſtudio Philoſophiæ conterant, neque alium quemquam, neque ſe ipſos poſſunt facere meliores. Itaque ſapientia eorum, ut plurimùm efficiat: non exſcindit vitia, ſed abſcondit. Pauca verò Dei præcepta ſic totum hominem immutant, & expoſito vetere novum reddunt, ut non cognoſcas eumdem eſſe: Cùm igitur nulla ratio, vel ſcientia, vel lex benè vivendi, niſi in hac unica & vera, & Cœleſti Sapientiâ, quæ ex ſolis ſacris ac piis libris hauriri poteſt, conſtituta ſit; conſtanti animo decrevi, cunctis Philoſophorum, Poetarum, & Oratorum libris valere iuſſis, uni deinceps adhærere aſſiduè Sacrorum & piorum librorum lectioni, præſertim *libri De Imitatione Chriſti*, quem mihi viæ ac vitæ Spiritualis comitem adſciſcam, parvi faciens gloriam vel ignominiam mundi, dummodò ad mentem Chriſto Salvatore noſtro dignam perveniam, & Ægyptum unà cum ſuis & vitiis & delitiis velis remiſque effugiam.

M. Quò mihi charior es, hoc impenſiùs gratulor tuo tam ſalutari propoſito, quod, ſpero,

ro, vel citrà meam operam, fortunabit provehetque ipſe Deus, qui dignatus eſt excitare. Hoc unum dumtaxat te monebo, ut ſedulò caveas à præſtigiis, à blandiſſimis ludibriis, mille nocendi artibus & inſidiis, quibus mundus te, virtutum iter ſuſcipere meditantem, oppugnare tentabit. Nunc laudibus animum titillabit, nunc ignominiâ & pudore à ſancto propoſito avocare ſtudebit. At tu omnes mundi aperto marte ſævientis inſidias facilè ſuperabis, ſi diligentèr illud excuſſeris, quid mundus gloriam, ignominiam ac pudorem nominet? Laudaris: ob quid & à quibus? Si ob turpia, & à turpibus, iſta verò falſa eſt gloria & vera ignominia. Vituperaris, ridêris: quâ gratiâ & à quibus? ob pietatem, ob innocentiam, utique à malis; non iſta eſt ignominia, ſed nulla verior gloria. Eſto ſanè, vel univerſus mundus explodat, exſibiletque, non poteſt non eſſe glorioſum quod approbat Chriſtus. Et versâ vice, ſi quidquid eſt mortalium applaudat atque acclamet, euge, euge, non poteſt non eſſe pudendum, quod Deo diſplicet. Ad hunc modum ſi omnes mundanorum curas, gaudia, ſpes, metus, ſtudia, laudes, vituperia, ſententias excuſſeris, invenies plena erroris omnia, dùm bonum dicunt malum, & malum bonum, dùm dulce faciunt amarum, amarum dulce, lucem faciunt tenebras, & tenebras lucem, dùm denique ad inaniſſima rerum ludibria, vicibus quibusdam affectionum, iræ, invidiæ, amoris, odii, ſpei, metus, gaudii, doloris, quovis Euripo, & turbidiſſimo mari inquietiùs agitari, & continuò æſtuare ſolent. Macte igitur animo, dilectiſſime Diſcipule, Deum Opti-

Optimum Maximumque precor, ut iſtam mentem, tuoſque ad virtutem egregios conatus ſervet, & tui honeſti propoſiti, cujus ipſemet Author eſt, incrementa felicia largiatur. Finem noſtris Colloquiis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi decimi quinti his Verſibus *Horatii*, Poetæ tibi familiariſſimi, impono.

Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm ſi Lydiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
ſerviat uni.

Finis Tomi ſexti.

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google

Digitized by Google

Digitized by Google